BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
7 M B
9

6-11-C-14

Digitized by Google

POSTHVMÆ
BERNARDINI
STEPHONII
E SOCIETATE IESV.
PROSÆ
Quæ ex quamplurimis non perierunt.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

ROMÆ,
Typis Reu. Cam. Apoſt. M.DC.LVIII.
Superiorum permiſſu.

POSTHVMÆ BERNARDINI STEPHONII E SOCIETATE IESV.

PROSÆ

Quæ ex quamplurimis non perierunt.



BIBLIOTECA NAZ ROMA VIO. EMANUELE

ROMÆ,

Typis Reu.Cam.Apoſt.M.DC.LVIII.

Superiorum permiſſu.

6.7.B.9

(81)

S. D. N.
ALEXANDRO SEPTIMO
PONT. OPT. MAX.
Feliçit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VT *theſauri vbicumque inuēti Principis Fiſco debeantur, obtinet, niſi fallor, omnium conſuetudo*

Regnorum. A tempore, cuius non extat memoria, fama percrebuerat, Bernardinum Stephonium clariſsimi nominis Oratorem, & Poetam cum morte luctantem cuncta ingenij ſui monumenta ignibus (vt erat modeſtiſsimus) tradi iuſsiße: fuiſſe tamen incendio ſubtracta, & adhuc ignorari, vbi condita eſſent. Ego pro mei ratione inſtituti ſolerter quæſiui, & tandem boni ſenis indicio feliciter reperi: in lucem extraxi, ac, ne pro theſauro carbones (vt prouerbio fertur) obtrude-

rem,

rem, talium rerum peritis æſtimatoribus exploranda, tradidi. pronunciarunt, omnia proba, & antiquæ notæ videri, atque auro, gemmis, vnionibus, & ex ore Herculis Gallici prodeuntibus catenulis præhabenda. gratulatus ſum ergo mihi magnoperè de inuento theſauro, quem (ſicut ius, & fas poſtulat) ad Te ſupplex defero B. P. qui & Rerum Sacrarum, & Bonarum Litterarum obtines Principatum: fruere diutiſsimè, mihique & Stephonio, qua polles à Deo Tibi tradita

poteſtate, bene precari ne grraueris.

Ex Apoſtolica Typographia Sanctitatis Tuæ

Humillimus, & deuinctiſſimus ſeruus

Zenobius Maſottus.

P. Ste-



P. STEPHONII ELOGIVM.

BERNARDINVM STEPHONIVM virum virtute non minus, quàm cognomine coronatum Sabini gens ingenijs, quàm frugibus feracior, mundo mirandum, quia vix æquandum tulere die octaua Decembris 1560. *Inde Romam proficiſcitur indole virili puer, Sabinarum rapinam citra iniuriam vlturus dum Romanam Eloquentiam ſic arripit, vt ad Sabinos in ipſo ea tranſmigraſſe videretur. Vt autem vberem eruditio-*

nem adhuc tiro præcerperet; in Seminarium illud admittitur, quod ſedulò cultum, aureis ſapientiæ Pomis ſua nomina ſeruat. *Indolem Roma dignam præſenſit, & obſtupuit ALEXANDER FARNESIVS pari purpuræ prudentia Cardinalis, cum Abbas Farfara puerum audiuit Farneſianas laudes Romanè perorantem; Quæ cauſa fuit, vt eundem Seminario adiunxerit. Illic primùm Grammaticæ primarijs adnumeratus, primariam operam nauiter nauans, facilè ſodales anteceſſit. In literis deinde humanioribus, ac Rhetoricis eos habuit miros proceſſus, vt Magiſtros ſanè memorabiles, editiſque voluminibus celebres, ipſorum confeſſione ſuperarit. Deinde à Seminario in Societatem Ieſu admiſſus, ſecunda Februarij die* 1581. *annū ætatis agens vigeſimum primum (quo etiam die anno* 1602. *ſolennem Profeſſionem ex more Societatis edidit) optimam, quam collegerat, frugem tutum in horreum intulit. In hoc bonarum artium lyceo priùs magiſter, quàm auditor, primæ Claſſis Grammaticam Romæ tradidit annis ternis, deinde binis Peruſij Rhetoricam. Poſtea Philoſophiam didicit ſub Mutio Vitelleſco, inclytiſſimi nominis primum Magiſtro, tum Societa-*

tis

tis vniuerſæ Moderatore. Sed Philoſophicis anguſtijs maius & amœnius ingenium coerceri non potuit, quin multa interim poeticè luderet, ſcriberetque ad Romani Seminarij Iuuentutem ingenuè oblectandam italicè, atque italicolatinè feſtiuiſſima Dramata, & Poemata non pauca, & anno vertente 1591. tragici cothurni Tyburtem Symphoroſam ſcriptionis genus ſeculi veteris aurea latinitate refloreſcens noſtros ita Rhetores Benciũ præſertim ac Turſellinum, prima illo æuo facundiæ capita externauit, vt minoris eloquentiæ ſarcinulas admirabundi collegerint. E contentioſo digreſſum lyceo Rhetorum Parnaſſus excepit, docuitq; Romæ Rhetoricam annis compluribus, intermixtis Theologiæ ſtudijs. Deinde Neapoli noſtros Rhetores informauit; abijſſetq; ad Siciliæ fertile ſolum erudita ſemente conſerendum, ni fœda tempeſtas oppoſita eam noſtris felicitatem regionibus reſeruaſſet. Porrò quos Roma plauſus dabat, cum quotidianam torrentis eloquentiæ volubilitatem, non affectato ſtudio expreſſam, & quaſi tortiuam, fucatamq; ſed fecundo ex ingenio ſponte profluentem, & conſueta diſcipulorum, & honoraria cùm Præſulum, tùm Cardinalium panegyris attentis, attonitiſque auribus exciperet? Cumq;

§ 5 *Audi-*

Auditorũ multitudo relictis anguſtiaribus Rhetoricæ roſtris Logicæ capaciſſimo in lyceo declamare Stephonium compelleret, vbi non vnum aliquem ætatis noſtræ diſertiſſimum virum; ſed æui veteris Tullium & Virgilium reuixiſſe ac Pythagorico miraculo ex ore Stephonij proloqui exiſtimabant. At quales, quantique viri ſic de Stephonij facultate dicendi exiſtimabant? Taſſus, Bargeus, Guarinus, Vrſius, Vgonius, Mazzonius, Querengus, Sanctorius, Marinus, Maffeius, Beneius, Turſellinus, Scottus, & quicquid Patrum noſtrorum memoria in Vrbe fuit inter Muſarum cultores hominum excultiſſimorum. Et Torquatus quidem Taſſus auditus eſt non ſemel cum diceret, ſi ſibi contigiſſet, vt ante Stephonij conſuetudine fru etur, quàm ſuam Ieruſalem in hominum conſpectum daret, haud dubiè fuiſſe illam multis partibus meliorem prodituram in publicum; Ioannes vero Baptiſta Marinus Poetarum ſui temporis ingenioſiſſimus, quandiu Romæ fuit, ita Stephonium colebat, vt eum tanquam artificij poetici Magiſtrum cupidiſſimè ferè quotidie adiret, ſemper noua, ſemper recondita oracula de poetica facultate domũ ſe reportare profeſſus: Romam Neapoli reuerſus præfuit literario humaniorum

ſa ho-

ſcholarum ſcro, multumq; ad fructum, ac dignitatem profuit, quia corā Apolline Muſas decet eſſe ſolertes. Poſtremus eius labor Mutinenſis profectio ad Principes Ducis filios inſtituendos; ne ſolus Alexander Macedo Ariſtotele magiſtro gloriaretur. Mutinæ mortem obijt 1620. ſexagenarius, quam multo ante preſenſiſſe viſus eſt. Eodem natus & mortuus eſt die, Deiparæ ſine labe conceptæ ſacro, vt innocentem vitæ periodū confeciſſe ſub innocentiæ tutelari Magiſtra interpretemur. Moriturus immortali dignis præconio enixis precibus flagitauit, vt quæ ſupererant euulganda ſcripta complura, flammis data, ſecum funerarentur. Nempe par erat, vt magno geminus Maroni, dum ſcriberet, ſimili vitam voto & voce terminaret. Peperciſſe dicam tunc funeſtas flammas egregijs lucubrationibus, ne rediuiua vetus Eloquentia inuido incendio extingueretur. Sed neſcio quo fato factum eſt, vel qua incuria, iniuriaue accidit, vt elegans facundiæ miraculum in aurito mundi Theatro vulgandum, pluſquam ſepulchrales hactenus letebræ ſuo cum Authore obruerint. Et quamquam Stephonius quæ calamo cuderet, apud ſe non retineret, nec ſua ſecum bona portaret, quippe qui ſui, rerumque ſuarum deſpicientiſ-

ſimus erat; tamen fuit, qui eiuſdem Opera cum ſoluta, tum aſtricta numeris oratione ſedulo ſpicilegio particulatim apud alios conquiſita, in ſeptena dena volumina pulchrè deſcripta congeſſit. Dicendi genus e latinæ vetuſtaſtatis auro recuſum, ſtylo noſtrate longe mundius, atque conſpectius, ſe ipſum per ſe ſatis Lectori venditabit; modo ſit auribus exploratis, non agreſtibus & hiſpidis & latini ſermonis ac verè romani guſtum cum nauſeabundo hoc ſæculo non amiſerit. Sed iſta citrà narrantis operam, fidemque legentis oculis vſurpatur, & admiratione animos implet eloquentia. Illa potius teſtimonio indiget noſtro prodigiosè tenax memoria, in qua quicquid ſemel legerat ſic penitus inſidebat, vt cum ſcribendum quid foret: ei non eſſet opus, quemadmodum graues etiam Magiſtri conſueuere, antequam loqueretur, theſaurarium verborum foſſorem an furem? laboriosè moroſeque agere, ne calamo cæſpitaret, ſed ſui pectoris erudito e penu totius videlicet antiquitatis promptuario ſtatim eloquenda promebat. Vt Aetas recentior Stephonio dicente latinum in ſeculum ſe remigraſſe miraretur. Quàm vero Muſas ad nutum alacres habuerit, & obſequentes: vt cetera taceam infinita ociſſimè ſcribentis documen-

men-

menta, tragici Criſpi extremus actus ingenioſo impetu nocte vna perfectus euincit. At qualem Actum? nempe carminis luce ac maieſtate Imperatorium, implacabili Conſtantini parentis ſeueritate vehementem, paternam Criſpi miſericordiam implorantis innocentia lacrymabilem. Neque ſolum obſequentes ad nutum Muſas habuit Stephonius, ſed etiam Chriſtianas fecit, dum eas ex Graecia & Helicone circa Auguſti tempora in Latium & Palatinum traſgreſſas, volentes lubentes in Paleſtinam, & Caluarium traduxit. Ecquid mentior? perlege tot millia, quæ e longe pluribus ſuperfuere, Stephonij carmina, nullum ferè argumentum non ſacrum eſſe deprehendes; nullum dices eſſe in ſacris litteris facinus paulo illuſtrius, nullum in Chriſtiana Religione Myſterium, quod Stephonius ingenio quidem & marte ſuo, ſed Poetarum aurei ſæculi lingua & ſtylo elegantiſsime non expreſſerit; quæ laus eo præſtabilior cenſeri debet in Stephonio; quod is in hoc ſcribendi genere, præter Sannazzarium, Poëtam, quem imitaretur, habuerit neminem, ſiquidem quæcumq; nunc tandem huius Auctoris Carmina lucem aſpiciunt, ea ille ferè omnia panxit ante annos ſexaginta; quo tempore præter verſiculos

les paucos Andreæ Fruſij, nemo, quod ego ſciam, ex hominibus Societatis carmen vllum ediderat; vt propterea videri poſſit Stephonius tam multis noſtratibus, qui poſtea tanta cum laude cecinerunt, propoſitus fuiſſe ſi minus ad imitandum, ſaltem ad feliciter æmulandum. Iam verò virtutum decora ingenij laudibus non ceſſere. Quamquam loquentis miraculo attentionem ad ſe totam prouocante, ſingulas agentis dotes aduertere non potuimus. Apex ille facundiæ de ſe adeo demiſsè ſentiebat, vt omni gloriæ ſenſu quodammodo caruiſſe viſus ſit, in ſui oſtentationem infans & elinguis; ne ſe populo venditaret, aut Principum virorum gratiam aucuparetur, ſuaq; ſibi eloquens demiſsio perſuaſerat vt vel inuita fama, plauſuque publico lateret. Fugiebat in primis Potentiorum aulas, vbi ſui diuiſam exercebant hoſtes tyrannidem, Inuidia, & Aſſentatio, ſed nemo melius quàm de ſe ſentiret demiſsè Stephonius deſcripſerit, quàm ipſe Stephonius aliquando expreſſit; cum ſcilicet de more Societatis in ſemeſtri inſtauratione votorum ſcripto tradidit ea in quibus ſe peccare in vita religioſa fatebatur vt in triclinio publicè e loco ſuperiore, ſicuti ſolet, recitatis, obiurgaretur. In eo ſcripto miſerum animi

ſui

*ſui ſtatum cum tabido corpore compa-
rauit Sanctiſsimi viri Iobi, qui ſibi in
menſtrua ſortitione Sanctorum apud
nos viſitata, menſe ſuperiore obuenerat
præcipua religione colendus. Eius verba
„ſunt hæc: Sortes bonorum nutu quo-
„dam regi diuino vetus opinio eſt, id
„nec vnquam mihi dubium fuit, &
„proximis diebus ea ſortitione peſpicuè
„patuit, quæ propriè mei mihi calami-
„toſiſsimum animi ſtatum calamitoſiſ-
„ſimi Iobi ſanctiſsimique ſignificauit
„exemplo. vt manifeſta videtur Nu-
„minis ſignificatio, quam negare non
„debeo; ſic ærumnarum mearum aptiſ-
„ſima ſimilitudo eſt, quam diſsimula-
„re non audeo. omnia ſibi mirè con-
„ſentiunt, & tanquam e regione com-
„poſita reſpondent: morborum vis in-
„ſanabilis, & complexio multiplex fœ-
„da corrupti corporis ſanies undique
„deliquſcens, illuuies inſinceri ſangui-
„nis, macies atque tabes, grauis odor, ac
„peſtilens; luctuoſa calamitas, ac cru-
„ciatus, mæror, angor, pedor, inſom-
„nia, ſterquilinium, ſolitudo. Demum
„omnia ſunt ſimilia collata noſtris; ex-
„tra quam quod aſperrimorum illa
„ſanctiſsimi viri excruciamentorum
„Ilias in cute dumtaxat fuit, & vlce-
„roſo tabidoque corpore multifariam
„recta mentis oppugnata non expugna-*

ta

„ta felicitas. *Meum contra egcum & „inteſtinum eſt malum: intus latet in-„cluſum, intus occulti ſcatet exitij „lues; clandeſtinis viſceribus efferueſcit, „omnium fœdiſsima corruptela morum; „intus in imo corde gliſcit inquinatiſsi-„mus malorum fons omnium, & cœno-„ſa perennitas deteſtabilium cogitatio-„num, ſententiarum, opinionum, ſuſpi-„cionum, dubitationum, voluntatum, „appetitionum, affectionum, aſſentio-„num, diſſentionum, deliberationum, „ſtudiorum, imaginum, aggreſsionum, „contentionum, declinationum. Et ex „eodem fonte officiorum deriuata la-„bes; perturbationum euripi; cupidi-„tatum æſtus, iracundiarum faces, „ægritudinum furiæ, timorum, aber-„rationum, exanimationum, odiorum, „ſimultatum, diſsimultatum, ſimula-„tionum, obtrectationum, voluptatum, „& oblectationum, iudiciorum, conſi-„liorum, decretorum, dictorum, facto-„rum ſenſuum, & aliorum omnium „inquies, inconſtans, turbulenta ſeditio; „quarum rerum omnium ſeditioſiſsi-„mo conflictu naturæ viribus omnibus „temere profuſis & neruis omnis virtu-„tis inciſis, & Diuini Numinis penitus „ac perditè profligato metu, animi quo-„que ſtatus intimus labefactatus & cō-„cuſſus eſt, diſſoluta modeſtia, repreſſa*

faci-

„*facilitas, contaminata ſimplicitas, ad-*
„*uocata calliditas, deſerta veritas, ad-*
„*miſſa falſitas, inflammata cupiditas,*
„*incitata temeritas, amiſſa libertas,*
„*neglecta ſanctitas, dehoneſtata reli-*
„*gio, perturbata tranquillitas. Habe-*
„*tis igitur PP. reum ſua confeſſione*
„*damnatiſſimum æterni Iudicis iudi-*
„*cio contaminatiſſimum. Atqui lucu-*
„*lentiſsimas has ærumnas illi non Deus*
„*ad experimentum virtutis, aut ma-*
„*lus Dæmon intulit, vt Beatiſſ. Iobo,*
„*ſed ſuus error ac furor, ſua fraus,*
„*ſuus illi torpor in minimis noxis ante*
„*conniuens vt in maximas paulatim*
„*exinde prolaberetur; ſuus ſtupor, ſuus*
„*à labore procliuis ad otium languor,*
„*atque deſidia, ſuus poſtremo ſumma*
„*refrigerato iam pridem ardore laudis*
„*degener, ſibuique quotidie magis, ma-*
„*giſque diſsimilis tepor omnis dedecoris*
„*exitiique conficientiſsimus inuexit.*
„*In quem illud infelix elogium (eſt*
„*enim aptiſsimum)* panegyris malo-
„rum omnium puluis & cinis, reus pri-
„mæ ſecundæque mortis *Dei Iudicio*
„*proſcriptum ſupplicio prædamnatum*
„*caput, Reus religionis, & voti, Reus*
„*veritatis & fidei, Reus diuinæ Maie-*
„*ſtatis et gloriæ charitatis & gratiæ, bo-*
„*nitatis, & beneficentiæ, pietatis & mi-*
ſeri-

„ſericordiæ, longanimitatis & patien-
„tiæ, indignationis, & iræ Concilij, &
„& Iudicij, ſupplicij, & Gehenæ, cæ-
„cus & nudus, ſurdus, ac mutus, durus
„& excors, ſtolidus & vecors, pauper;
„& ſuperbus, miſer & turpis, impurus,
„impius, iniuſtus, peccator, impœni-
„tens, ſenex, fatuus, & ſtultus, inuete-
„ratus dierum malorum.

Hem tot, tantarumque turpitudi-
„num vlceribus coopertus, ac diffluens
„ſaltem in ſterquilinio iaceret. O im-
„pudentiam ſingularem! O audaciam
„non ferendam, ò animam inanem, o
„præmortui pectoris indolentiam! lutu-
„lenta ſus in amaraco ac roſa cubat,
„plauſum captat in theatris, popularis
„auræ rumuſculos aucupatur in exe-
„dris, triumphat gaudio perſona deſcuſ-
„ſa, modo Tragicus, modo Mimus, an-
„num iam prope quadrageſimum in
„ſanctiſſimorum hominum religioſiſ-
„ſimo conuictu liberalium artium ſtu-
„dijs expolitur ad laudem, inſtruitur ad
„riſum, excitatur ad gloriam, appeti-
„tur, ſalutatur, diligitur, alitur, or-
„natur, floret amicitijs ſui diſſimilium
„iuuenum honeſtiſſimorum foris nobi-
„lis, domi carus, riſui ſplendet, animo
„funeſtus, quaſi muſica deceat in luctu.
„Me miſerum! Timeo quorſum eua-

ſura

„ſura ſit tam diuturna, tamq; prolixa
„piiſſimi Numinis indulgentia. Non
„ſemper felix eſt ſcelus. ſapientibus cer-
„te ſemper improborum fuit ſuſpecta
„felicitas. Ita de ſe Stephonius.

Iam Paupertatẽ vnicè coluit, vſurpauitque, vna dicendi vbertate diues, & ore aureus. Quotidie ſe flagris piè ſeuerus cædebat, & iurè ambigitur, an paginas elegantius eloquentia inſcriberet verſibus, an pietas corpus vibicibus. Præſcriptas diuinarum contemplationi rerum horas in medio conclaui tranſigebat vni dilecto accliuis & innixus Deo; neque decreta celeſtibus curis & commercijs tempora mortali negotio interpellari, profanarique patiebatur. Idem erat in agendo antiquis & mellcis ſine ceræ mixtura & fuco ſinceriſſimis moribus: perinde religioſæ conſeruandæ diſciplinæ, ac latinæ litteraturæ propagandæ ſtudioſiſſimus. Accedebat ad ſerias eius dotes condimentum dulcis feſtiuique ſermonis, facetarumque Comœdiarum, quibus priuatim & publicè catonianas etiam detinebat & mulcebat aures, idemque tragicis lacrymis comico riſu medicatam parodiam faciebat. Denique Stephonij vitam mortemq; commendat & coronat obnoxiũ Virgini maximæ obſequium,

quæ Conceptus ſui natali die propitium naſcenti, morientique ſidus affulſit, eidem quippe morum ſtudiorumq; præſet. Decet iam viuam pridem ſepulti effigiem officioſa verborum pictura quatenus cuſtos memoria ſuggeret colorare. Statura fuit commoda, & ampla, ingenioſorum colore ſubfuſco, fronte quadrata, naſo modico rectoque, auribus ad argumentum docilitatis mediocribus, ore ad flexanimam eloquentiæ ſcatebram decenter magno, voce bona & plauſibili cuius Echo eſt. Poſthuma Gloria, *quam fore* Perennem *portendiſſe videtur inſolitus exequiarū apparatus, quo Collegij Romani Patres, & externi Rhetores per aliquot dies Stephonio elegantiſſimis laudationibus tanquam eximio* Oratori, *& mira Carminum varietate, vt Poetæ ſummo parentarunt; & ipſum Stephonium certum, vt dixi, perpetuò latendi, ſperare iubet in huius Elogij fronte appictus vermiculus, qui euolutis viſceribus vltro ſibi ſericum an carcerem? an ſepulchrum? neuit, & verſus in alitem, ſeſeque reſeminans euadit* Deliberata morte Perennior.

SO-

SONETTO
Del Caualier Marino.

AL P. BERNARDINO Stefonio della Compagnia di GIESV' Poeta,& Oratore chiariſſimo.

E La penna, e la lingua hai ſparſa e piena
Di dolcezza,e di gratia e queſta e quella
O ſe ſcriue , STEFONIO, o ſe fauella;
Di par ti moſtra a noi Cigno, e Sirena.
L'vna Apollo ſoſtien e con tal vena
Muoue ; che già per te men chiara e bella
I dorati cothurni a la nouella
Cede l'antica homai Tragica ſcena :
Nell' altra poi che da Mercurio è retta
Mirabil Dea, poſſente Dea s'aſconde;
Che dolcemente fulmina e ſaetta :
E mentre in note oltre ogni ſtil faconde
Hor n'inſegna,hor n'infiāma,& hor n'alletta
Stilla mel, pioue latte, oro diffonde ;

Goſvvi-

Goſvvinus Nichel Societatis IESV
Præpoſitus Generalis.

CVM Poſthumas P. Bernardini Stephonij, dum viueret Societatis noſtræ Sacerdotis, Proſas, aliquot eiuſdem Societatis Religioſi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint; poteſtatem facimus, vt typis mandentur ſi ita ijs, ad quos pertinet, videbitur, cuius rei gratia has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas damus Romæ 5. Ianuarij 1656.

Goſvv. Nichel.

Imprimatur,
Si videbitur Reuerendiſſ. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

M. A. Epiſc. Ierap. Viceſg.

I*mprimatur.*
Fr. Raimundus Capiſuccus, Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſt. Mag.

I N

INDEX PROSARVM.

I PRo Rhetorica contra Sciolos. Pag. 1
II P. Stephonij Teſtamentum 22
III Chriſtiani Sapientis Simulacrum. 35
IV De Poetarum Officio 75
V De Iuſto ſeu quid Chriſtianæ Reipub. debeatur. 141
VI Ingreſſio ad Dialogos de Tragœdia. 198
VII Ingreſſio ad Dialogos de Comœdia. 217
VIII Margites Homericus 237
IX Duellum Hiſtricum 334
X Rhetoricum Conuiuium 353
XI Rhodus veræ Eloquentiæ Ludus. pag. 371
XII Aeſtiui caloris refrigeratio. pag. 396
XIII Cœna Dubia. 409
XIV C. Mecœnatis Teſtamentum,

XV S. Vrſulæ Concio de Virginitate. pag. 462
XVI De Poetico Decoro. 479
XVII Expoſtulatio Vietæ cõtra Clauium confutata. 491
XVIII De ſtylo Laconico, Attico, Rhodio. 584

Proſæ XIV. priores ab Auctore publice dictæ fuerunt, IV. poſteriores in Aliorum gratiam ſcriptæ. ſingulis adſcriptus eſt annus, quo vel dictæ vel ſcriptæ ſunt; ut vel hinc appareat, Stephonium in facultate dicendi nunquam non fuiſſe ſummum.

PRO-

PROSA I.

PRO RHETORICA CONTRA SCIOLOS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Dicta in Collegio Romano 3. Nouembris anno 1591. cùm Rhetoricam publicè docere aggrederetur.

VT quotidianæ Mathematicorum coniecturæ Principes olim minimè Populares efferebant; ita quorundam contra Rhetores aſſiduæ querelæ, tantum non in dies ſingulos, Eloquentiam efferunt. Quonam ipſius Eloquentiæ læuo genio, neſcio: fato certè (ſi licet ita dicere) perincommodo. Et illi quidem non temerè faciunt: quandoquidem Magiſtram humanitatis Eloquentiam ijs odioſam eſſe vident, qui, ſi tantum alijs placerent, quantum ipſi ſibi; tantum authoritate poſſent, quantum in-

ingenio valere videri volunt; hæc omnia per illos horrerent, atque ſyluеſcerent, & ciuilis elegantiæ nullam imaginem haberemus. Deus immortalis, vt illorum faſtidium intolerandum eſt, vbi de re noſtra in illis hemicyclis philoſophantur, ſeſeque iactitant, atque venditant inter graculos patrum filios Auditores ſuos! Sedet eorum aliquis in præclariſſimo cœtu (Hiarcam diceres haurientem è Tantali fonte Sapientiam, & ex aurea ſella de ratione ſiderum differentem). Hic humeris elatis, ſupercilijs adductis, oculis intentis, & tanquam hoſtem figere paratis, librata dextera: primo digito cum altero coëunte: tumentibus buccis, & quaſi Iuppiter Mineruam (vt eſt in fabulis) parturiens, Sapientiæ fœtum illum egregium exponit, illa præclara ſcilicet, quæ ſtylo cenſorio diſcipuli non indiligentes excipiunt, effata pronunciat. Idque quibus verbis? tanti riſum non emo; vt in illa barbaria irridenda ridiculus videri velim. Hoc tantùm dico: malim me quemuis ex Arimaſpis eſſe, quos vltra ſyllabam negant vocē producere; quam illo modo dicere. Verùm hæc illorum prodigia mittamus, qui ſuam infantiam inſipientiæ

monſtroſiſſimum abortum, Sapientię ſacrum partum exiſtimant, idalio (quod aiunt) amaraco fouendum. Illis nulla Philoſophia probabitur, quam non omni macula barbaria cõtaminarit. Ad illa porrò ſententiarum portenta veniamus: quod illi minimè volunt. Soli ſunt homines hominum ex illa ſortitione bonorum apud Prometheum, qui ſibi tantùm humanæ mentis cogitationem obtigiſſe putãt: nobis homullis ex argilla ſtrepitum inanem, & profluentem ſine ſententia loquacitatem. Noſter igitur hic quartus, ex palingeneſia noua Pythagoras, illo vultu, geſtuque poſtquam ad rauim vſque vociferãdo leuiſſimis diſceptationibus Auditorum animos onerauit, &, ne quod vnum à Latio verbum habere videatur, à Græcia precario emendicato, & neque græcè, neque latinè *Prolegomena* illa ſua nuncupauit, tandem aliquando Controuerſiam illam nobilem expedit, Num nam Artis nomen in Rhetoricã quadret? Pernegat omninò, non admodum ſanè repugnantibus nobis: ſi nomine tantùm Rhetorica ſpoliaretur. At enim illud agitur, vt cum cæteris ornamentis ipſum etiam ſpiritum exuat. Addit ſiquidem nec Ar-

tem eſſe, nec aliud, niſi ſonorum quiddam, & inane, ſine pondere rationum, ad ſpeciem verè ſcenicam comparatum, linguæ ludicram pompam, odioſum aurium oblectamentum, verum ludibrium animorum.

Enimuerò domui proſpiciendum, eſt aliquando. Noſtra res hic agitur. Dabitis igitur nobis hanc veniam, Auditores (honorarios appello) vt hanc veluti flammam, ac peſtem ab Aris, Fociſque patrijs depellamus: Non quod egeat Eloquentia Patrono me, quæ Patrona ſemper ceterarum Diſciplinarum fuit: ſed quod nō optimo Philoſopho nemo meliùs reſpondeat, quàm Rhetor. quid dicā? peſſimus? tædet dicere. dicam tamen, non bonus. Et, ſi Philoſophis Eloquentia non ſemel adfuit contra vim Aduerſariorum; adſit & moderatrici ſuæ Rhetoricæ contra calumnias cōmunium inimicorum: qui (niſi contumaciam, & arrogātiam Philoſophia docet) à Philoſophia nihil acceperūt: cuius omnis ratio cùm in contemplatione Veri, tum in animorum moderatione verſatur, & hanc ipſam Philoſophiæ ſobolem Mentis interpretem, dicendi Rationem intima & neceſſaria propinquitate contingit.

Nos enim ij ſumus, qui ſalli nequaquam putamus eos, à quibus accepimus Eloquentiam ornatè loquentem eſſe Sapientiam: & fuiſſe tempus, cùm ijdem numerarentur eloquentes, qui & philoſophi, & philoſophi qui eloquentes. Quod ſi tantum iam ab illius temporis recta ratione deflexi- mus; vide, ne Philoſophorum ſit potiùs iſta culpa, quàm Rhetorum: & eam eſſe non Rhetorum, ſed Philoſophorum; poſſim equidem aperire: niſi priùs hoc habeam, vt opera ſatiua, neceſſaria quædam ad excipiendũ Eloquentiæ ſemen ingenioſis Adoleſcentibus præparem. Quod ſi dormientibus nobis iam nunc, alieniſſima ſententia, quorundam diſſeminata ſermonibus adhæreſcat, ac fruticetur in Audientia mea; qua ſpe bonæ frugis (amabo vos) ineuntis anni noſtra diligentia deſudet? nulla prorſus, Auditores, niſi mala filix illa, quæ in dies magis preſerpit, atque luxuriat, euellatur.

Fuerit igitur humanitatis veſtræ, dum ex animis horum Adoleſcentiũ incommodam ſententiam vel ingreſſam eijcio, vel ingredientem defendo, noſtra verba diligenter audire, fuerit doctrinæ, genus hoc diſputationis nõ

aſpernari: fuerit iudicij rem æſtimare momentis ſuis: fuerit æquitatis, auditis non acclamare (tantum enim mihi non arrogo) ſed probatis non obſiſtere: quod non gratiæ, ſed cauſæ dabitis. Vt quando apud hanc Iuuẽtutem authoritas veſtra tantùm habet ponderis, quantum apud doctiſſimos dignitatis; intelligat Audientia mea apertè probari à vobis id, quod non improbatis. Sic fiet, vt tacitum iudicium veſtrum nobis ſuffragatio ſit: veſtrum ſilentium Auditoribus meis adhortatio: plauſus humanitas: æquitas acclamatio.

Age ſis, cui ſolùm ex Mortalibus pectus ſapit. Itera dum iſta mihi. Rhetoricam omninò negas Artem eſſe? Negem? imò verò pernego. facilè perſuades. Tamen exponere poſſis quibus rationibus iſta tibi fixa ſit, & ſtabilita ſententia? quidni poſſim? nihil faciliùs; permultis in primis, atque firmiſſimis. Non mira narras: inſtrue nunc aciem quantum potes. At, heus tu? (quanquam à nobis cõſilium non expectas) auctor tibi ſum, vt quo loco, quo tempore legionem explices, animaduertas. vides anguſtias vtriuſque: melius hic non militũ multitudine, ſed virtute pugnabitur.

quæ prima, quæ firmiſſima robora, videbuntur, educito. places. ſic igitur inſtruo.

Si cui Facultati nullum argumentum ſit certum, ac ſuum, quod elaboret: in eam Artis nomen aptè non conuenit: argumentum certum, ac ſuum Rhetorica nullum habet: genus enim dicendi nullis certis finibus cõtinetur. nomen igitur Artis Rhetoricæ non eſt aptum.

Rurſus conficitur idem hoc modo. Quæ Facultas, vt affirmat Socrates aduerſus Leontinum Gorgiam, genus, quod tractet, nec definitione poteſt, nec ratione deſcribere; ex Artium, numero ſeuocari debet: Rhetorica, neutrum poteſt: nempe quam ſui generis ſuæ rationes latent: ab Artium igitur numero ſeuocetur. Et, quem opificem fallit opificium ſuum exitu nec explorato, nec certo: nomen artificis huic appoſitè non accommodatur. Ars enim ab exitu non aberrat operis: exitus incertus, nec exploratus eſt Rhetori: relinquitur igitur vt Rhetor nomen deponat alienum.

Nempe nunc machinis iſtis hanc vnam Arcem oppugnas, Rhetores vt Artifices ne vocentur, habes: vt om-

nis controuerſia tollatur,& aliquando diſcedatur ab armis. iſtuc (ſi pugnas) vltrò damus: dum æqui bonique aliquid impetremus. Age, damus, Rhetoricam Artem non eſſe, quid impetrabimus? quid impetrabitis? Arbitrio Victoris accipietis conditiones: exuti bonis omnibus, ne cum ſingulis quidem veſtimentis, quem in locum iuſſero, concedetis. acerba conditio, quam nec Annibal Saguntinis dixerit. Vide, ſi Deo placet, vt ocioſus es. Nihil damus, potiùs eſt opes noſtras, quàm clementiam experiri tuam: viribus decernatur,

Principio rationum iſtarum nulla non nutat. Et,vt aliqua conſtet; iſtuc, quod agglutinas, qua rerum conſequentium copula cohæret? Rhetorica non eſt Ars; ergo Rhetorica ridiculũ, & inane nomen? Iſthæc vtrum progreſſio Rationis, an amentiæ prolapſio videtur? Omnia ſi tranſigis iſto modo: nę tu non Philoſophis, ſed Affinibus, & Agnatis tradendus eris. Igitur, Ariolo te, quod non eſt Ars; continuò ludicrum eſt? nihil inter ludicrum & Artem eſt medium? nihil eſt tertium? hoc ſi tueris: vide ſis, an hoc probes. Nam te ſpirare: te viuere, non eſt Ars. ergo,quod ſpiras,&

viuis

viuis ludicrum eſt & inane. Vel, ſi mauis, cape ſis hoc, fabulæ ſomnium. Si neceſſariò fieret, vt id, ab arte quod diſtat, illud idem ſtatim eſſet cum inanitate coniunctum; hoc ipſum, quod ſumus, in diſceptationem vocari poſſet, an verè ſimus. Nunc verò nemini dubium eſt, quin & ipſa primum Natura rerum: deinde mortalium inuenta maximam partem, deinde, quod boni vſpiam confluxit, ac confluit in humanam vitam diuinitus, & affinitatem cum Arte nullam habeãt, & præſtantiora ſint Arte. Informatæ primum in animis noſtris, & quaſi conſignatæ notiones communium rerum, inſitæ, non acceptæ tandem ſunt: innatæ, non traditæ, diuinitùs impreſſæ, non arte conſcriptæ. Iam præceptiones futurorum: diuinationes latentium: obiectæ ſecundùm quietem rerum imagines: motus animorum celeres cœlitùs excitati: Sortes Oracula, prædictiones ſanctiſſimorum virorum, quibus maximis ſæpe calamitatibus, & priuatis, & publicis obuentum eſt, quibus in ſacrarum litterarum monumentis nihil habemus frequentiùs: non modò cõmune cũ Arte nihil habent, ſed ab Arte ſunt abiuncta, quãquę diſiũctiſſima.

Quid quod nihil vſpiam humanæ ſolertia mentis excogitauit, & extudit, quod quidem eſſet omnium celebratione præclarum; cuius non Deũ potiùs Inuẽtorem quàm ſe videri voluerit? Illi, illi ipſi repertores Artiũ, Illi diſciplinarum Parentes, illi Conditores Gentium, inuenta, conſilia, mores, inſtituta, leges, artes militiæ, togæque, ſacra, ritusque ſacrorum, conſiliorum optabiles euentus, non ſua, ſed Numinis auctoritate commendant; Legum quidem auctoritatem, quanquam alij retulerunt aliò; tamen, cùm ab ſe transtulerunt ad Deum, ſatis apertè docuerunt, non ſtatim leue putandum eſſe, quod in vulgus, artium commendatione non probaſſent. Zoroaſtres quidem, ſiue Magus ille, ſiue quod eſt verò propiùs Aſtronomus Battrianos, ac Perſas vagum genus, & indocile legibus ſepſit, ad neſcio quem Oromaſim, quem ſibi Deum ille, Geniumque confinxerat, inuenti laude transmiſſa. Triſmegiſtus Aegyptijs leges condidit: Charondas Carthaginienſibus: Cretenſibus Minos: Athenienſibus Draco, ſed cruentas, mitiores Solon: Scythis Zamolxis: Siculis, & Magneſijs Plato, quod Arcadibus, & Thebanis, &

Cyrenaicis flagitantibus denegauit. Pompilius Romanis: Arabibus, lutũ illud, ac lues, & buſtum legum omnium, Mahomethes. At, vt Triſmegiſtus authorem Mercurium laudauit: ita Saturnum Charondas, Minos Iouem, Mineruam Solon & Draco: Zamolxis Veſtam; Plato ſemel Apollinem, iterum Iouem: Aegeriam Pōpilius: Mahomethes (ne parum furere videretur) Gabrielem inſeruit furori ſuo. Moſen verò cum Deo rerũ omnium Parente, ac Principe quaſi cum Amico familiariter ſæpe cōgreſſum, legum ſanctiſſimarum latorem, ſanctiſſimum in hanc turbam conijcere non eſt neceſſe: cùm ſatis conſtet leges illas, quas ille quadraginta diebus, quaſi trinis nundinis, inter tonitrua, interq; fulmina digito Dei ſcriptas accepiſſet; non Hominis inuentum fuiſſe, ſed Numinis. Medicinæ porrò vetuſtiſſimus Author Græcorum literis Aeſculapius perhibetur, quem pari leuitate ſupra mortalitatē efferunt verè mortalem: quã falsò immortalem infra mortuos abſtrudunt. Argonautæ, genus audax, auidiſſimum cœteroquin gloriæ, nauigationis, & aperti maris gloria nō ægrè carent.

Diua quibus retinens in ſummis
Vrbibus arces,
Ipſa leui fecit volitantem flamine currum,
Pinea coniungens inflexa texta carina.

Nam Poëtæ, quorum nemo bonus euaſit, qui non eſſet auidiuſculus nominis, tam multis in locis ita leuibus in rebus, in ſuis fabulis Deorum, & Dearum opem implorant; vt eos nihil omninò didiciſſe putes.

Dic mihi, Muſa, Virum captæ poſt tempora Troiæ
Multorum, mores hominum qui vidit & Vrbes.

At illos mores, & illas Vrbes Homerus tam ipſe verè ſuo marte reperit, quàm falſò Muſa ſuggeſſit. Ecce tibi iſte alter à ſe ne Ducum quidem, nedum militum numerum init, quos in Aeneam Turnus armauit.

Pandite nunc Helicona Deæ, cantuſque mouete:
Qui bello exciti Reges, quæ quemque ſecutæ
Complerint campos acies: quibus Itala iam tum
Floruerit Terra alma viris, quibus arſerit armis.
Et meminiſtis enim Diuæ, & memo-

morare poteſtis
Ad vos vix tenuis fama perlabitur aura.

Nec Philoſophi ſecus. Nam & Philoſophiam Socrates munus appellat Deorum: & ſtellatum Cephea cœlo recepit Antiquitas, quod de ſupera cœli natura paululum quiddam) vt ego quidem interpretor) vaticinatus eſſet: & Prometheum affigunt Caucaſo, quod ætherea domo ſubductum in terras intuliſſet ignem, hoc eſt ſciẽdi cupiditatem. Neſcio an Ariſtides leuius: qui hanc ipſam Philoſophiæ proximam eloquendi Magiſtram, cui detrahit Aduerſarius minimè callidus nomen Artis: hanc ipſam Ariſtides, Orator nobilis in primis, nec obſcurus Philoſophus, contra Platonem diſputans, acceptam Mercurio refert. Adeò nec leue, nec turpe ducitur Artium nomine non inſcribi. Quando quicquid à quoquam præclarè partũ, inuentumque eſt; non arte, non induſtria comparatum volunt Mortalibus: ſed oblatum eſſe diuinitùs. Vt iam me nunc pœniteat inſtituti mei, qui Rhetoricam Artem eſſe defendã: quod nomen ipſæ ſinè vlla controuerſia Artes, ad authoritatem dignitatis, ſuapte ſponte deponant.

Age

Age verò iam hoc vel datum, vel extortum eſt, Artem nullam cohærētiam habere cum leuitate. Nunc illud, quod vel temerè colligis, vel ſuperbe ſumis; oſtendam Rhetorum facultatem non eſſe ludicram. Licebit, Auditores, excutere Facultatis noſtræ ſinum? ita credo, præſertim cùm hodie ſint quædam, quaſi nundinæ, diſciplinarum omnium, vbi pro ſe quiſque laudat Conuenis merces ſuas. Cedo, bone vir, cur Rhetoricam ludicram, dicis? quia leuis eſt. Quid ita? quia puerilis. eodem reuolueris: Cur, quæſo, puerilis? quæ (malum) iſta quæſtio eſt? Grammatice Elementarios tuos interroga iſto modo. plurimùm amo te, merito tuo. Verùm hæc in Rhetorica tamen inſunt omnia; probabilium Inuentio rationum ad fidem: inuētorum nunc ad fidem, nunc ad motum, nunc ad voluptatem apta collocatio: quorum alterum ingenij eſt, iudicij alterum: Verborum illuſtris apparatus, ac dignitas tribus dicendi generibus accommodata. Memoriæ fida cuſtodia creditarum rerum: Pronunciatio cum moderatione vocis & totius corporis dignitate: quibus qui carerent ad infimorum opificum diſciplinas, & ad ſellularios Apollonius

tranſdere ſolebat. Quid hic leue tandem? quid eſt ludicrum? Inuenimus, & iudicamus. id Ratiocinatrici Philoſophorum altera ex parte reſpondet Docemus. id eſt commune cum diſciplinis veſtris omnibus: Deſcribimus, id eſt noſtrum: ſed à rerum natura non alienum. Definimus: paulum de loco Philoſophis concedentes Poſitiones diuidimus, & partimur; quo Philoſophia nihil inuenit acutius Aliud ex alio deducimus: quod non eſt Naturæ, quàm eruditionis minus. Argumentum ad tollendam ſatietatem coarctamus: ad cupiditatem explendam extendimus. Dialecticorũ illud, hoc noſtrum. Ornamus, vt delectemus: oblectamus, vt iuuemus: iuuamus, vt excitemus: excitamus, vt priuata tẽperemus, & publica. Quod ſi negas ad felicitatem emergere: tu, quid emergat, oſtendito. Acutè ſubtilia diſputamus: acuta ſubtiliter; infima ſubmiſsè: media temperatè; ſublimia granditer. Senatum habemus: legationes obimus: concionem cogimus: tuemur in foro æquitatem: vtilia ſuademus honeſta laudamus: ſalutaria decernimus: rationes aliorum perditas conſolatione recreamus: feroces elidimus: placamus iratos: domi,
mi-

militiæque Reipublicæ proſumus; & præſentes coram affamur, & abſentes literis conuenimus: & habemus cum omni poſteritate rationem: noſtra transmittimus ad Minores: Maiorū exempla trahimus ad nos. Memoriā in omnes annales, in Mundi omnem ætatem effundimus, Naturæ infima, media, ſumma prìmùm cogitatione, tùm oratione, peragramus: animum in Cœlum inſerimus: ad terras cœleſtia deuocamus: Religionis cauſam tuemur: Superum amicitiam ſanctè colimus: ſanctiùs ſuademus: aditus obſidemus animorum, intima pectora ſubimus; & (vt ait ille) circum præcordia ludimus: opiniones inueteratas, ac noxias refigimus: infigimus ſalutares: afflictam innocentiam ſubleuamus, contra potentiam venimus: licentiam regnare nolumus: gratiam virtuti cōcedere iubemus. Vitia quis callidiùs inſectatur? laudes quis magnificentiùs euehit? gloriam quis ardentiùs appetit? infamiam quis vehementiùs depellit? fabulæ noſtræ ſunt: hiſtoriæ noſtræ: facetiæ noſtræ: noſtra ſermonis elegantia: noſtra vitæ dignitas: decori ratio noſtra: motus vehementia: morum temperatio: feſtiuitas orationis. & cum omni ſale facili-

tatis,

tatis, & comitatis vrbanitas. Hic quid habes, quod reprehendas? At inter artes Rhetorica non numeratur. Nec Philoſophia quidem. Tu tamen etiam num inſodis.

Callias quidam erat Athenienſis, ex eo genere Philoſophaſter, quod Philoſophiam compellit ad angulos ſyllabarum, is operam Medicinæ daturus, offendit in ipſo limine. Cùm enim, inter æquales contentioſiſſimo diſputationis genere quotidiè diſputaret an eſſet Facultas, an Sciẽtia dicenda Medicina; auxilio cœpit egere Medicorũ. Nam curis, & moleſtijs afflicta valetudine, non procul aberat ab extrema tabe. Medici conuocantur: laxare iubent animum: pauliſper ad lætiora flectere cogitationem: cùm diligẽtiùs conſilio Medicorum vteretur, quàm artificio Dialecticorum, breui conualuit: extra lectum pedem extulerat, non extra tectum; adeunt familiares aduerſarij ſalutatum: incolumitatem amicè gratulantur. Hic, vt fit, inter æquales, illos ipſos de Medicina ſermones ferunt: at primò molli (quod dicunt) brachio, deinde grauiore pugnant. Vbi, qui ſalutatum venerant rem mordicus tenent; vos, inquit Callias, videritis quo nomine Mediciuã

vo-

voccetis: equidem Medicinæ beneficio periculum mortis effugi. Ridiculum eſt enim, vnde tales, ac tantas capias opportunitates, ibi verborum excitare diſcordias.

Non ita multos ante annos nauigiũ Luſitanorum, tempeſtate delatum in Inſulam, ad Indos deuios appulit oneratum vino, quod cùm expugnaſſent Barbari, neque doliorum vſum noſsēt: neque vini vim, & naturam intelligerent; quidam eorum aliud agens, dolium releuit: vinum effluxit: acceſſit; olfecit, geſtauit meraciſſimũ merum: &, vt ait Plautus, vt erat è *Matre* natum, purum, putum. exhilarari Barbarus: exclamare guſtatu ſuauiſſimũ: accurrit vnus, atque alter, tertius deinceps, & quartus: vnà multi ſimul omnes momento temporis: & vt ſunt ingenia Barbarorum, quæ quantum capiunt, tãtum hauriunt: appoti probè, philoſophantur, quid eſſet illud quod è dolio defunderetur? Exquirunt ſententias: alius ſanguinem eſſe: non ſanguinem alius, ſed ſimile ſanguini dicebat: alius aquã dilutam ſanguine: lac alius externæ Fœminę: aliud alius: vitē enim Barbari nullam ſerunt. Diſputatio calebat, vt inter ebrios, maximè. Tum quidam barbarè facetus, Vos,

in-

inquit, vt libet, iſta diſquirite. quod præſtat: ergo ſorbillando obducã, hoc dolium & hunc diem. De nomine nõ liquet: de dolio liquet. Num nam in Rempub. è Rhetorica nihil vtilitatis defluit? nihil in priuatam? Iſtuc de tua meliùs, quàm de noſtra facultate dices. Rides? Cedo, quid præter priuatum commodum ex iſta ſolitudinis taciturnitate meditaris? Tua facultas ſemper ſedet: noſtra ſemper eſt in procurſu: tua ſilentij latebras cõſectatur, & otij ſinum: noſtra, quod in tacito receſſu parturit cogitando, in commune parit eloquendo: tua domui tantũ præeſt: noſtra ſuam operam publicæ, priuatæque vtilitati conſecrat: tua mente tantùm, tamquam Apelles, caput & ſumma pectoris expolit: reliquum pectoris deſerit informatum, ac rude: noſtra non animi, non corporis partem vllam ſua diligentia non impertit; noſtra denique ſemper inſtructa, ſemper armata eſt: veſtra perrarò non ſupina, ſemper otioſa, quod egregiè docuit Hippias Macedo, is, qui Philoſophos vt ſacroſanctos alendos putabat, id eſt, nunquam violandos, triſtes illas nimirùm, ac lucifugas blattas: (dum ſeſe, quantum poſſent, in literas abderent) pro Rep. nunquam

arma capturos. Alarico Duce, furia illa, atque peſte Terrarum omnium, poſt huius Vrbis fœdiſſimam vaſtationem, cuius in diſiectis murorum cadaueribus, etiamnum illius Barbari ſpirat immanitas; in Atticam tempeſtas illa pari turbine conuerſa eſt. Longũ eſt perſequi cœtera. Diripiũtur Athenæ Sapientiæ domicilium, opulentiſſimum Oppidum expilatur: in forum præda congeritur. Aurum, ſuppellectilem omnem fortitò diſtribuunt. Bibliothecas Philoſophorũ exhauſerãt. Hic cùm addubitarẽt an illa volumina ſeruarentur. Succendite, ſuccendite multi ſimul exclamant. Nihil minus, Centurio quidam ait, illos eſſe Gothorum clypeos, illa tela. vtinam hanc mentem omnibus Mortalibus immitteret Deus, vt illis literis ſeſe dederent. Nihil negotij ſuperfuturũ, quin omnibus nationibus Gothia iugum ſeruitutis imponeret. An cenſetis idem de Demoſthene fuiſſe dictur ũ, cuius eloquentia Philippum Tyrannũ è Patriæ ceruicibus depulit? qua Macedonum arma in Ciuium iugulum intenta, quoad licuit, extorſit? quam vnam Philippus pertimeſcebat: is, qui Theophraſtum non norat: is, qui Ariſtoteli Alexandrum committere non du-

dubitauit: is, qui Ariſtotelem Philoſophorum Principem nũquam timuit: ſemper ornauit. Vt finis aliquando ſit. Hæc ſi concedit Aduerſarius; vt illius argumenta confutem; non laborabo, ſi vos non improbatis Auditores; vt hos Adoleſcentes ad eloquẽtiæ gloriam excitem, nunc non eſt vſus. Erit locus hoc aliàs faciendi: Vt ea, quæ dicta ſunt, explicem latiùs, nunc non res ipſa: non anguſtiæ temporis patiuntur. Illud vt nunc eſt, itero, quod ille Barbarus dicebat. De nomine non liquet: de dolio liquet.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PROSA II.

P. STEPHONII TESTAMENTVM.

Dicta in Collegio Romano 2. Septembris anno 1593. cùm in docenda Rhetorica in reliquum Menſem ſuffectus illi fuiſſet Antonius Franciſcus Guelfuccius tunc inſignis Orator, & poſtea celeberrimus Concionator.

QVI ſuus cuique rei redditus exitus eſt, iure ſuo quoddam exitium dici poteſt: & exitus eſt rerum omnium. Rerum igitur omnium eſt exitium ſuum, quæ quidem infra lunam in apricum è Naturæ principijs emergunt. Neque verò cuiuis promptum eſt explicare, maiore ne feſtinatione cauſarum illo concilio coaleſcant, an diſſidio diſſocientur: celeriùs ne ſe conuehant ad hanc rerum celebritatem, an

auehant: auehunt omnia certè ſeſe celeritate mirabili, ſic, vt omne veſtigium à tergo ſuum, ceu liquido mari nauigia prætervecta confundant, ac deleant. Non in ſingulis inſiſtam. Omnia rapiúntur; intereunt omnia: quæ prima querela Mortalium eſt omnia in exitum & in exitium euadunt impetu cùm incitatiſſimo, tùm irreuocabili. Cœlũ ipſum melioris Mentis vel nutu, vel pulſu ſemper exercitum, & agitatum, conuerſione ſempiterna choream hac recedentium, ac decedentium rerum inſtituit, Inde motu rapidiſſimo ſupremæ Molis ſubiecta corpora concitantur, ac fugiunt. Tempus in primis menſura motus, & nota rerum omnium, nunc origo, nũc vorago viciſſitudinum notatione variatum, & conſtanter inconſtans eſt, quis fluxæ rei celerrimè fugienti manum inijciet, & quaſi frœnis adductis præcipitem ab interitu ſuſtinebit? Ipſa Mens, & motus Magiſtra, Ratio: quæ literis inuentis, rerum Mortalitate conſignata monumentis Immortalitatis & coriphæum ipſum, & chorum, Naturæ ſpõte pereuntem ab obliuione vindicat, & memoriæ conſecrat. Ita fit in Ratione quiddam aſſimile prorſus *Achillis haſtæ*, cuius ictus (vt

eſt in fabulis) noxius erat, & ſalutaris. Quippe etenim quæ Mente pelluntur ad occaſum, Mente conſiſtunt ab occubitu reprehenſa. Longum iter ad omnia ſingulaque: genus notaſſe ſit ſatis, & viæ caput. Illud ſummum (quod vtile noſtris rationibus maximè videtur hoc tempore) quod annui laboris ambitũ clauſula citeriore cõprehendit, quàm par erat: excluſo cõtractiorem extra gyrum ipſo Menſe Septembri, incluſoque Guelfuccio meo laboris in appendiculam gratioris, melioriſque temporis. illud eſt, inquam, bonum mentis humanæ maximum, quod extare quæ volumus, & hærere ſemper in iſta perennitate vicariæ Mortalitatis, ea literis expreſſa relinquimus ſubeuntibus abeuntes.

Hinc Hiſtoria, quies irrequieti tẽporis: hinc Annales, annorum moræ: Mortalitatis hinc æternitas literæ: hinc ſacroſancta Teſtamenta morientium, quibus vltimæ voluntatis authoritas expreſſa ſine poſterorum inexpiabili ſcelere neque conuelli, neque commoueri poteſt. Expectatis (vt video) quorſum euadã. Ad hunc ipſum locum proximum de Teſtamẽtis. Etenim, quoniam exitu ſuo noſter annus exactus docendi munere

me defunctum exauctorauit; abibo cum aliqua teſtificatione ſummæ voluntatis erga vos meæ, quos vnicè diligam, ſemperque dilexi: quæ quidem extabit ſempiternis (non tam inciſa literis, quam animis) inſcripta monumentis.

Quin igitur more maiorum, ò Memoria, conceptis verbis, vt aſſolet in cautione teſtamenti, præis? Quis Scriba? quis Tabellio cenſualis? Idem, qui teſtator, ego ipſe. qua iuris iurandi religione deuinctus? nulla. nam à me non iureiurando colitur, ſed ſanctitate fides. quibus teſtibus? iiſdem, ad quos mea bona deuenire volo. Nã & illi ſic inſtituti ſunt, vt teſtem grauiſſimum iudicent animum ſuum. Hac igitur ratione ſingulis bona diſpertior.

Principio, ſi quid à me, ſi quid cum aliqua laude vel ingenij, vel induſtriæ, factum, dictum cogitatum eſt: quoniã diuini muneris id fuit; illud, quicquid eſt, quod eſſe ſentio perexiguum, ac pene nullum, diuino Numini (quod fas, & ius flagitat) inſcribi volo. Dei donum addicimus Deo. Si quid autem dictum, aut factum perperam; indictum, infectum volo. nam ſi meditatum, ſi domi coctum illud fuiſſet; ver-

bis alijs vtendum eſſet, alio piaculo culpa diluenda. Multum æris alieni cum Deo contraximus, & vobiſcum. Illud quoniam ſoluendo non ſum, vt ſpes eſt, à Deo condonabitur, & à vob s.

Iam bonorum externorum ex aſſe Guelfuccium Hæredem inſtituo, quē, vt facitis, & debetis, colite. Bibliothecam, concinnam illam quidem, ſed exiguam, quam non mancipio poſſedi ſed fructu, nō iure mancipij relinquo, ſed fructus eidem Guelfuccio, qui ſe nō ſui iuris, atque mancipij voluit eſſe, ſed Dei. Cum ea tamen relinquo lege, puluerem vt decutiat, cùm inſiderit, ſi ſecùs faxit, eum libris non vti iudicium eſto.

Iure legati, quæ de capite totius hæreditatis diſtrahi velim pauca ſunt. Hæc eorum erunt, quos habeo in infima cera. Berenicis comam, quam dicebat Magiſter meus, Muſæ decimæ, ſceptrum Mercurialium ingeniorum, mercuriale iubar, hædino capillamento virgam capillatam apud morum Præfectum depoſitam habeo. Marij de Magiſtris hoc munus eſſe volo, cùm ſomnus obrepſerit, cum faſtidium cœperit literarum, habebit, quo fallat oblectamento dies. Mira vis, ictus

Scutica eiuſque vis admirabitur.

efficax

efficax illius! quem vel leuiſſimè tetigit, illi beatior ingenij vena fluit: vultus ad modeſtiam flectitur: mens otioſè cupida rerum nouarum, literarum ſuarum finibus incluſa coërcetur: abijcit à ſe longè de peregrinatione Leombruni ſomnium vetularum: in adſcripto loco ſedet: aſſiduus eſt in gymnaſio: facilis, ac tractabilis domi: mendacioli nulla latebra probatur: at apertus, & vt liberaliter inſtitutum decet, verus eſt. quid multis? Aut hæc fuit aut alia nulla fuit virga, qua Deorum Taltibium, & Caduceatorem Mercurium vſum ferunt.

——Hac animas ille euocat
Orco
Pallentes: alias, ſub triſtia Tartara mittit:
Dat ſomnos adimitque & lumina morte reſignat.
Illa fretus agit ventos, & turbida tranat
Nubila.

vt eſt apud Poetarum præſtantiſſimũ, ſed nimiùm multa de nugis.

Agellus mihi quidam eſt, cui Parthenio nomen fecerunt, vberibus ingenijs irriguus, ac lætus; Is mea manu cultus, diligentiæ non amœnitate ſolum, ſed etiam frugum vbertate reſ-

Partheniarum ſodalitas. & Academia.

ſpondet. Hic erat noſtræ quietis portus, hic otij ſinus; vbi miſeriam excutere volebam; vbi curarum moleſtias depellere, quas aliorum mihi mores difficiles peperiſſent, huc cōcedebam, à contemplatione tantiſper auocata mente, ſtatu domeſtico minime læta. Magna vis, & varia florum miracula hic ingenio veniunt ſuo, non nulla fortaſſe cultura mea; quædam hic autumnalia lilia, maturè quidem illa, ſed mihi nimium ſerò ſeſe fundunt, & explicant; Ex ijs, Guelfucci, quoniam Annæ Puerperium felix, & partus beatus aduentat; corollam Virgini texes, vt ſoles omnia, concinne. Vobis autem Auditores nouum videri non debet, ſi nimis hæc pro imperio mandari videntur illi præſertim Viro, cui vos obtemperare debetis, ego plurimum tribuo. Nam ſic habetote; fructum hunc eſſe maximum Amicitiæ veræ, quam morum eorumdem ſignificatio copulauit: & virtus religioſa Numinis æternitate ſanciuit; vt alterum velis apud te plurimum poſſe, quem diligis. Huius Agelli florum lumina quid ego commemorem? illa mihi nec gratiora, nec notiora, quàm tibi: nominabo quædam, vt ſuū Virtus præmium ferat; in Areola Seminarij

Domus Conuictorum S. Annæ.

narij

narij Landonium: primum hunc nomino, quod is Magiſtratum primum geſſit, & annum nomine notauit ſuo: præclaris legibus Republica ſtabilita: ciuium coniuratione compreſſa: magna demum cum laude honore parto, cum maiore geſto.

Seminarij Rom. luvin. Landonius.

Quem Ille ſemper habuit & ingenio proximum, & loco, Leonidam Patria reuocauit, quem ſi remiſerit; habebis diligentiæ ipſam Indolem.

Fabius Leonida eximius lyricus.

De Paulo Socciolanto dicerem: ſed vereor, ne deteriorem in partem accipiat orationem meam. nimium enim ſe miſere cruciat: & cum multis placeat, ſibi ipſe diſplicet ſemper.

Paulus Socciolancus, Orator bie, & Poeta.

Paulus Vrſinus multæ facilitatis adoleſcens feriatur: præſens cum exceptione laudandus, abſens nulla laudis detractione lædendus.

Paulus Vrſinus. Dominicanus primum deinde Epiſcop. M.alti.

Appianum, vt alios, equidem facilem ſemper ſum expertus. quid alij deſiderent, ignoro.

Appianus.

Liuium Trigonam habes, hominẽ quadratum. quid ridetis? ſuis hominem numeris expletum dico, probũ, grauem, ingenioſum, induſtrium.

Liuius Trigona

Philippe Caccia, ſi te percuſſit Eloquentia telo vehementiore, de profectione conſilium abijce: ipſa te ſi Eloquentia doceat, hoc melius nõ doceat.

Philippus Caccia.

Vannius Lucenſis elegorũ editione clariſſimus.

Vanninus nimiùm Poeta eſt; riſerunt (vide homines) perpetuum, tamen hoc vobis eſt, nihil vt vnquam de Vannino dicam quin riſu claro excipiatis. vobis hominem poſthac nũquam nominabo. Hæc ſunt Seminarij lumina clariora,& tanquam in cœlo Phenomena.

Barſottus lumen ingenij premit: Phauorinus,quaſi laudari timeat,prodire non audet.

Iam ille, qui mihi ſeſe gratioris coloris maiori luce patefecit. (ad alteram nunc agelli areolam venio) Ille, qui mihi biennio ſpectatus, & cognitus: qui plures apud me laureas numerat quam dies: cuius laudem Veritas, Veritatem laudis modeſtia commendat: qui quantum ingenio valet inuenire, tantum ornare dicendo valet: cui, quemadmodum ille ait, abũdat pectus flumine lacteo: Ille quid à me tibi Ghelfucci laudetur? Audiſti ſæpe dicentem: quoties audiſti, toties laudaſti. hic omnino meruit eſſe Auditor tuus, vt ex ore pleniore ſe ſe voluentem Eloquentiam ſi nõ hauriret, at delibaret. Vt Ille lautus eſt! quis hic, de quo dico, ſit, quærit. vſque ne eo, bone Adoleſcens, hoc anno, & ſuperiore peregrinati ſunt oculi tui,quin

aciem ſuam in Thomã Cantinãaliquã do defixerint? Si non peregrinati ſunt; illa cum dicerentur,& ſi nomen nõ audiebas; adoleſcentem ex illa laudum deſcriptione, vt ex oris imagine, non noſcitabas? Paulo Mottæ neceſſe, eſt, vt publicè teſtimonium dem. is enim, vt olim Caſſandra, ſemper verus, nunquam creditus eſt Vates. quoties cecinit, toties à me defendendus fuit: cum illa, quæ diceret, negarent ab illo dici poſſe. ita, qui laudem meruit ob ingenium, maximam; vix impetrauit immunitatem infamiæ.

Thomas Cantina Poeſi & Eloquentia Præceptori Stephonio ſimillimus.

Paulo Mottæ,

Paulus Motta ad D. Laurentij in Damaſo conſenuit. literis ac probitate inſignis.

Philippinus natus ad ſcenã & ſcribere commode poteſt, & agere.

Philippinus.

MarcellusOldoinus anni huius initio magnam mihi de ſe commouit expectationem: ſuperauit.

Rudolphinus & Torſiellus ingenio pares, æquales ætate, laudis etiam ſocietate iuncti ſunt: plus multo valent, quam volunt. apud me tamen in bono numero ſunt, quamquam Torſiellus alia laude ſuperatur. Impiger eſt Rudolphinus,& maiore folle melius eum ludere narrant.

Torſiellus & Rodolphinus.

E Dominico Piſcina hoc demum ſum expiſcatus: hiſtrionem ipſum eſſe non infacetum, tum pilæ maioris colluſorem Libellij non inſtrenuum. nocti

Piſcina & Libellius colluſores.

demere ſolent, quod addant operæ diurnæ: quo colludant, de nocte conſurgũt. vtriuſque tamen ingenij me nõ pœnitet, & modeſtiam amaui ſemper.

Camillus Eutitius. Eutitius poëticæ facultatis ſua laude non caruit.

Quo feſſum rapitis Iuli Vrſine, tuque Saluage. viuas vtinam Saluage: Orator eris. Et tu valuiſſes vtinam, Vrſine, Poeta eſſes. Sed hi mihi, qui voluntatum conſenſione coniuncti ſunt, priuata laudatione ſeparantur.

Vrſini mores qui non amat, nihil amat, niſi tuam induſtriam Ghelfucci, velut ad angulum anni compuliſſet diſceſſus meus; nactus eſſes, in quo pulcherrime collocares operam tuam. diuturnitas ad hanc rem poſtulabatur nõ ipſius Adoleſcentis ingenij difficultate, sed doctrinæ.

a Iam in Saluago tantum Ciceronis informatum eſt, vt optimi Oratoris lineamenta pennicillum non alium, niſi tuum, requirere videantur. adde, quoduis; Ciceronem exprimes.

Alia

Iulius Vrſinus hic eſt, qui Beato Aloyſio ſamiliaris Societati nomen, & Splendorem dedit Florentiæ magna cum fama Sanctitatis obijt, & ab uniuerſa Ciuitate publicis, & magnificentiſſimis exequijs, & honeſtiore præter cæteros ſepulchro cultus eſt.

a *Ambroſius Saluagus.*

Alia permulta ſunt in hac Areola ſidera colorum. Sed illa nondum è calice proruperunt. Franciſcus è Gallia cum aduenit, eloquentiæ patriæ ſecum multum attulit: laudabis vbertatem, ſi quod dederit ſpecimen ſui. Federicus Polonus æſtiuis hiſce caloribus captauit Tyburtinum frigus: ſi me audiſſet; Roma non exceſſiſſet, qui ſecum è Septentrionibus ſatis magnũ frigus attulerat. Andreæ cultus deeſt; ingenij abunde eſt. Franciſci de Torres nec ingenium, nec modeſtia ſileri debet. Franciſcus à Cibo vna ſi culpa caruiſſet, caruiſſet omni. nam eſt ingenij vis in eo magna, mores liberales. Pij bonus animus in malo corpore habitat. Peregrinus, ciuis eſt Atticus, hoſpes latinus. Epiphanium impertitus ſum laude nõ ſemel. Guillelmini turbulentius aliquanto fluctuat ingenium: nihil in legem poteſt cogere: ſi poſſet, ſummis eſſe proximus poſſet. De Curtis vero Curtus euaſit. nam ante diem ſua voluntate feriatus ſubſtitit. Sunt alia per multa, quaſi minora ſidera, quæ prætereo: ne cum omnia laudauero; nihil laudaſſe videar. Huius igitur Agelli fundum, cum cæſis atque rutis addico, Ghelſucci, tibi.

Franciſcus Carogliuih Gallus:
Federicus Sambeicus.
Andreas.
Franc. de Torres,
Franc. Cibò.
Peregrinus.
Epiphanius.

Tredecim Rhetores è Societate Ieſu.

Habeo præterea domi auream Syringam, cannis agglutinatam, atque compactam tredecim. laudarem hanc tibi: ſed quoſdam etiam laus offendit. Hæc tamen, cum accepit animam, & ad artem attemperata digitorum mobilitate percurritur; fundere ſolet nō iniucundos ſonos. Hanc tu componas oportet ac, temperes. meum votum eſt idem, quod tuū: nihil vt moduletur aliud, præter diuinas laudes, Habes ſententiam meam.

Iam exhortationis vltimam partē ad vos, Adoleſcentes, amputat huius, qui mihi ſuccedit, authoritas. tum non Ego vos, ſed vos me dimittitis. Mihi ad Sabinos itio eſt: ſpero & vobis: ſi tamen, vt mihi meus, & veſter Ghelfuccius ſignificauit; cum Quinto Ligario venietis mente, non corpore.

PRO-

PROSA III.

CHRISTIANI SAPIENTIS SIMVLACRVM.

Dicta in Aula maxima Collegij Romani anno 1595. in ſolemni Studiorum inſtauratione 2. Nouembris.

SI mentis humanæ ſapientiſſimus ille conditor ac magiſter Deus liberam nobis optionem daret auferendi, quod potiſſimum expeteremus, ex ipſo; neminem vnum ex hac frequentia futurũ arbitror Aud. quin Sapientiam maximum intelligentis naturæ bonum ſibi diuinitus impertiri vellet. ingenue, quòd vnam: erudite, quòd primam: & , quòd præter cætera, ſapienter. Eſt enim illa mentis iucundiſſima lux, veritatis inuentrix, virtutis interpres, officij cuſtos, vitæ moderatrix: quam qui ſanctiſſimam effigiem Dei dixit, certiſſimamque du-

cem ad veritatem; is veram animo cō-
plexus eſt Sapientiæ formā. Vt enim
vmbra ſequitur corpus, vt reſonat glo-
ria virtuti; ſic reſpondet beata vita
Sapienti. Nec ſanè temerè fuit illud,
quod diuinæ literæ prodiderunt, illi
Regi tributum hoc fuiſſe, qui Sapien-
tis & rem inuenit & cognomen ada-
mauit, etenim cum Sapientiam rebus
omnibus ante tuliſſet; eadem à Deo
permiſſa poteſtate muneris, ex eo mi-
rifica Sapientiæ luce colluſtratus cla-
riſſimum præterea nomen, & dignita-
tem, & gloriam, & opes, & omnem
fortunatorum Amalthæam, vt aiunt,
Sapientiæ tanquā appendiculam, ac-
cepit. Et ille quidem cur ex omnibus
bonis, quæ videlicet ex ipſo capite bo-
norum omnium affluenter ad ſe deri-
uare potuiſſet, vnicam Sapientiam
concupiuerit; veſtrum arbitror late-
re neminem. noſtra ratio non eadem
cupiditatis eiuſdem. ille quod felicita-
ti publicæ deſeruiret, Sapientiæ præſi-
dijs indigere noluit: nos & nullam
rerum publicarum procurationem
habemus: & Sapientiæ cupiditate ve-
hementer exarſimus. An non exarſi-
mus vehementer, qui florem integer-
rimum ætatis in aſſidua liberalium
Artium exercitatione contriuimus?

qui

qui iam tum ab incunabulis à complexu quodammodo voluptatis abſtracti penè correptare cœpimus ad ſpatia Philoſophorum? qui cogitationem ad hoc ſilentium ab omni vitæ munere ſeduximus? qui libere degimus, hoc eſt eleganter, hoc eſt inter homines humaniter, hoc eſt procul à ſtrepitu negotiorum, & longius à forenſis ambitus ſeditione deflleximus? Hic ſi quiſpiam eſt veſtrum, qui ſtudium Sapiẽtiæ noſtrum quod laborioſius ſit, honeſtius quàm illius fuiſſe contendat; ſumat id licet, minimè repugnante me: dum viciſſim non neget noſtrum honeſtius, illud felicius fuiſſe. quandoquidem illi, quaſi diuina virgula contigit, vt vnico ceu ſpiritu, quod ſitiebat; hauriret vberrime: præclariſſime tunc agetur nobiſcum, ſi minus, quã antea diſceſſerimus à commonſtrato fonte ſitientes, ad diſciplinas acceſſimus. quid ſic venditem, quod ſatis animoſe Philoſophi dilaudant in officinis ſuis? quidlibet efferant, Sapientes audiant; audiant eruditi. tandem tamen quicquid aquulæ promanat ex ea vena; nihil ad vberrimum illud caput vnde cum virtutis, & veritatis origine liquidiſſimum vniuerſæ Sapiẽtiæ flumen erumpit, efferueſcit ema-

nat,

nat, euoluitur. Ergo Sapientiam habemus in optatis: mitto quam ob cauſam: ſed Sapientiam in amoribus habemus, quam vel impetu naturæ quodam, vel ſuaſu domeſticorum, vel auctoritate prudentum, dum aut ad immortalem illam platanum conſitam, ingenio Platonis, adultam ſermonibus Socratis: aut ad exedras, ambulatione Peripateticorum, ſuis quodammodo veſtigijs indagamus; illud aſſequimur, vt è loginquo neſcio quid ex eo, quod inueſtigamus, odorati, ſpe quadam potiundæ Sapientiæ, tanquam odore contacti, Sapientiam exinde fugientẽ conſectemur ardentius noſtro iudicio, quàm antea minus ignari vulgi ſuſpicione Sapientes. Qui vobis igitur (iuniores appello) iam nunc ex ipſis huius annui curriculi carceribus oſtẽdat, quo veſtrorum curſus eſſe debeat animorum: næ is (vt mihi quidem perſuadeo) magnã à vobis ineat gratiam: ſiue quod illud ipſum ſententia comprobauerit ſua quod vos expediendum tantopere iudicauiſtis: ſiue quod ſuo ſtudio vobis currentibus alacritatem iniecerit ad id, quod expetiſtis aſſequendum.

Audite me nunc igitur pro veſtra facilitate diligenter; & mecum Iuue-

nes ingenuæ Sapientiæ recognoſcite, liberalem indolem, quam in animis veſtris, non obſcuris lineamentis adumbratam, quoad eius fieri poterit expreſſius, & ſuis coloribus hodierna diſputatione depingam: Et Chriſtiani ſapientis ſimulacrum informabo. Rem arduam, Deus immortalis: atq; haud ſcio an vnam ex omnibus difficillimã: maximam quidem certè, ſtudijſque veſtris, & hac celebritate digniſſimam: illum enim Virum deſcribere conamur, quem verè ſapientem, quem antiſtitem ſanctitatis, quem felicitatis architectum quem denique mortalem Deum in priuatis ſermonibus ſæpe dicitis. Huius admirabilis viri ſpeciem eo conſilio ſic exprimam; vt cum eius formam infixam animo, mente comprehenſam habueritis; ex ea tanquam ex ore colligi poſſit, quod quaſi penicillo veſtra deinde deligentia imitetur. Sed ego magna pollicitus Patres iam nunc planè teſtificor, & nihil eſſe, quo de poſſit accommodatius hoc tempore, & ex hoc loco dici, & perdifficili de re auctoritate veſtra mihi eſſe dicendum; vt niſi quæſtionem tantam ingenij mei vires ſuſtinuerint; intelligant cæteri, oneris iniuſti culpam impoſiti, veſtram eſſe;

ſu-

ſuſcepti meam; Si vero, quod volo, ſecundum ſententiam ſuccedet; ad auctoritatem veſtram, & ad originem ſuam quicquid erit hoc laudis redundet. laudem enim communico vobiſcum libentius, quàm crimen.

Tria ſunt omnino genera Sapientũ (volumus enim ad multitudinis ſententiam accomodate loqui) quorum, qui familiam ducunt, in magna varietate ſunt, ac diſſenſione conſtituti. Nã & ingenio quidam, & natura temperati fuerunt, qui grauitate morum, momento ſententiarum, maieſtate verborum, & mæſtitia quadam ſermonis, & vitæ, plurimum ſemper apud ſuos, & auctoritatis, & admirationis habuerunt: quod ipſum, & ſi literas non attigerunt vnquam, alij tamen concinnius, atque elegantius: alij agreſtius, horridiuſque nullo prorſus adhibito flore policioris elegantiæ ſunt imitati. Et contra literis expoliti, ſententijs interioribus abundantes, facultate dictionis perlegantis vberes, & recondita nobilium artium eruditione limati, quibus ſi multiplicem doctrinam illam, rerumque notitiam plurimarum detraxeris, nihil omnino reliqui feceris, quo ſuum illum præclarum nomen tueri queant: totam enim ab officij

cultu

cultu cogitationem ſeuocantes, ad inueſtigandam omnibus vijs veritatem ſe contulerunt: nihil cum Religione, nihil cum ſanctitate coniunctum habent. Eſt autem quidam horum neutrius expers, ac potius particeps vtriuſque tanquam interiectus, & ex vtraque conflatus, nec poſteriorum luce doctrinæ carens, nec ſuperiorum modeſtia vitæ. Is cum vidiſſet, triſtes illos, & vt (ita dicam) ſoliuagos, horrido illo vitæ genere deſidentes à multis ad hemicyclos redigi perpaucorum: contra, cognitione rerum plurimarum inſtructos alteros ad multitudinem gloriæ rumuſculos aucupātes ingenij iactationem habere popularem: collegit temperauitque ſeſe; tum illorum lucifuga ſeueritate nihil delectatus, & ab eorum leuitate penitus abhorrens, medium quendam curſum tenere maluit; vt quo permultis ſalutaris eſſe poſſet, & quo plurimum haberet apud ciues in dicenda ſententia ponderis, cū ſanctitate morum imperij ſuauitatem, & cum vbertate doctrinę copiam vberem orationis vrbanitatemque coniungeret. Horum trium generum quicunque vim ſingulis aſſecuti ſunt, in magna ſemper fuerunt opinione ſapientum. Sed videndum eſt, an in
eam

eam formam includi debeant quam adumbramus.

Ac ratio quidem veterum Sapientũ ante Sapientiam diuinitus acceptam, varia magis, quàm difficilis eſt ad explicandum. Nam cum eſt ardor Sapientiæ vehemens innatus in mentibus, atque in humanum genus longè propagatus: tum hominum variæ naturæ, diſſimileſque mores, & flexibiles voluntates; aliud apud alias gentes Sapientiæ ſtudium pepererunt: vt inter illas non tanta locorum, quanta morum videatur eſſe diſtantia. Quemadmodum enim aqua, ſi præterfluat quà ſulphureum, aut nitroſum eſt ſolum; non nihil ex ingenio loci permixtum ſecum vehit: ita Sapientiæ cupiditas, ſi manare cœpit, ac fluere longius ad publicos, priuatoſque mores; animorum ipſorum, & affectionum admixtum, quaſi colorem, ac ſaporem refert. Itaque videre licet, qualis eſt habitus vniuſcuiuſque naturæ: talem eſſe ſolere diſciplinam in vnoquoque Sapientum.

Principio Scythæ, quorum vetuſtiſſimum inuentum eſſe Philoſophia perhibetur; quòd illis ingenium naturà ferum, & indocile finxiſſet, adinuenerunt optimum ſuis moribus inſtituti

ti genus. Illis patrio more traditur cũ libera contumacia fides, arcus, ſagitta pharetra: ſine cultu paupertas, in campeſtribus, & compaſcuis plicatiles ſedes, atque compactiles, & vaga domicilia vecta plauſtris. cæterum nõ certi liberi, non certa connubia: literæ nullæ, iura nulla ſacrificia, nulla templa Ægyptijs verò, qui, quemadmodum ipſi volunt, ingenuas Artes longinquitate temporum innumerabilibus pene ſæculis celebrauerunt, à Scythis tanto maris tanto terræ interiecto tractu lõgiſſime diſſiti, longius diſtant inſtitutis, ac moribus. Ab ijs primum, (quanquã à ſe primum Phænices volunt,) indicia notata rerum: & ſermonis humani tanquam commercia conſignata monumentis: & commota potiſſimum Philoſophia dicitur; vt magnum quiddam moliretur inſolentius. Igitur cælum, terras, maria peruagata, extima: cæterum de iure, de legibus, de virtute, de Religione ſuſpicari cœpit. Verum enimuero fortunæ præmijs omnibus referta natio languidis ex eo voluptatibus emollita, & quod ingenio timido, ſeruilique eſſet; ſe ſe ridiculis ſuperſtitionibus obligauit, ad innumerabiles dilapſa fabulas anilium ineptiarum. At Aſiirij non ita lato interfuſo mari

ob-

obiacenti, ab Aegyptijs cęleſtium ſiderum rationes, prænotationeſque futurorum arte terminarunt. Homines & ipſi leues, & ſuſpicaces, & præſertim abundantes otio, vt quibus vſquequaque cęlum planities effuſæ regionis aperiret, & liber eſſet ac patens ſuſpectus aſtrorum, figuras, vim, motus, traiectiones, conſcenſiones ſiderũ intuentes, etiam ſcientiam efficere conati ſunt: vt Babylonijs numeris deprehendi poſſet, qua quiſque fati neceſſitate, vt ipſi putabant natus, qua victurus, qua moriturus eſſet. Ex ijs profecti gentis, & artis vocabulo Chaldæi, nobiles ſtellarum notationes, interpretationes ſomniorum, futurorũ præſenſiones, & omnem hariolandi doctrinam Magorum habuere venalẽ. Iam non Cilicia, non Piſidia, non his finitima Pamphilia, non Caria, non Perſis, non Bactriani, non Indi, quibus omnis in Gymnoſophiſtis vitæ cultus fuiſſe dicitur, accomodata naturæ ſuæ deſiderauerunt inſtituta Sapientum. Nam ad humanitatem Cilicia lenior erudiebatur: ad auguralem diſciplinã Piſidia ſuperſtitioſior, ad manſuetudinem Pamphilia ſedatior, ad fidem Caria conſtantior, ad gloriæ ſtudium Perſis ardentior, ad tranquillitatem Ba-

ctrianorum natio mollior, ad perpeſſionem incommodorum India toleratior. Sed nec Indi humanitate condocefacti, nec Bactriani virili conſtantia firmati, nec Perſæ ſuæ moderati licentiæ fuiſſe memorantur: fidem ab honeſtate Caria ſeiunxit, à facilitate Pamphilia rationē; & auguria ridicula Piſidarum, & permiſſa poteſtate promiſcua corporum, Cilicum fuit immanis humanitas. Quid Græcia? vetus illa, quæ ſe Philoſophiæ parentem ſatis conſtanter affirmat, nutricem ſi diceret, audirem libentius; cum ſatis conſtet, ſi repetere velimus auctoritatem ab vltimis, & Scythas, & Aegyptios, & Indos, & omnem ferè Barbariem permultis ante ſæculis philoſophari cępiſſe, quàm Greciam. ſed tamen Græcia, ſiue parens illa Philoſophiæ, ſiue nutrix, Reipublicæ non vnam imaginem tenuit, non Sapientiæ ſimplicem formam, motus illi celeres animorum, orationis illuſtris apparatus, ſtudiorum incredibilis alacritas mira contentio. quot oppida, totidē Gymnaſia: quot capita, tot ſententię: tum ſententiarum, & morum flagitioſa diſcordia. In Gymnaſijs de pulchro, de bono, de vero magnificentiſſime diſputabatur: audiebant, admurmu-

ra-

rabant, acclamabant in conuiuijs remiſſa ſeueritate frontis maioribus poculis certabatur. De modeſtia, de fortitudine, de virtute ſplendide dicebatur: verbis, vt aiunt, Herculis omnia lycæa perſonabant: miſſa ſchola, tanquam abiecta claua, ſeueriſſimus ille conuentus ad Omphalem in gynęceis. nam de Philoſophorum varietate longum eſt dicere; poſſum enim commemorare nunc ſimilium, nunc diſſimilium, nunc earundem, nunc contrariarum artium docendarum, diſſimiles ſubinde rationes inuentas cum ſingulis hominum ætatibus conſenuiſſe: nec pauciores Philoſophiæ quàm ludorum Olympiades eſſe conditas. Ac tempus quidem fuiſſe cum à leuitate Poëtarum omnis inſtitutio peteretur: ipſe nunquam dicerem, niſi id litterarum monumentis teſtatum ipſa Græcia reliquiſſet. Quo circa primam Philoſophiam Poeſim vocabant. Et officia virtutum, & vitæ moderationē, & notitiam Diuinitatis, & cultus, moreſque ſacrorum, omnemque pietatē, ac religionem fabularum integumentis inuolutam Ephæbis in gymnaſijs, inſtituto publico Poetarum licentia tradebat. Hoccine eſt ſapere? quid igitur furere eſt? Monumenta felicitatis, in-

inſtituta pietatis, documenta rationis, hortamenta virtutis, veritas, Religio, Sanctitas, hoc videlicet vno cardine vertebantur, vt ſapere ſi vellent, fingere diſcerent; intelligerent, cum ficta viderent: errare non recuſarent, peccare ſi nollent. Poſt Poeſim ad Thymelen, à pædotribijs reiectam: Poetæ theatra, lycæa Philoſophi frequentauerunt. Non eſt, cur augurere meliora. Perſonæ, non ingenia mutantur. Barbatos illos magiſtros videre velles, vbi quaſi myſteria tractarent in tenebris, & in nocte, quæ ſoli coquebant, cum paucis deuorabant: & *ſacra res eſt, oculis parcite ciues*, Aegyptiorum more clamabant. credo, quam Sapiẽtiam eſſe munus Deorum exiſtimabãt; illam vti ferculum ſacrum, verendum potius, quam introſpiciendum circumferre voluerunt. Nam Thales quidem Mileſius, quem Ponticæ Philoſophiæ Principem ferunt, Aegypto rediens admodum iam ætate prouectus Mileti docere cœpit. Deum mentem eſſe madida manu conficientem omnia: à Nilo ſapientiam hauſiſſe: quem omnes Aegyptij ſuperſtitionis honoribus affecerunt. Pythagoras autem Italicæ Philoſophiæ conditor, numeris omnia coagmentat. itaque Pythagoreis Te-

tra-

tradem, ſanctiſſimum iuſiurandum eſſe dicunt. Ergo cum quis apud eos ſacramento fidem obſtringit ſuam, hac vtitur obteſtandi formula

Omnipotentem animæ teſtor, qui Tetrada noſtræ
Perpetuos fontes naturæ infudit habentem

Huic vero te vadem fieri libenter velis: non eſt quod verearis: vadimoniũ nunquam deſeret; tenetur enim ſacroſancti religione ſacramenti, quod nec ipſe nouit, nec tu intelligis. Ecce autem Parmenides, Deum eſſe vaticinatur orbem lucis, & ambitum, candoris vnda circumductum, quem ille Stephanem appellat, replicantem, & coercentem omnia cõplexu ſuo. hunc (ego dormio, aut ipſe ſomniat) hominem non intelligo. Hos conſecuta vetus Academia, dum cohibet aſſenſum à rebus incertis; omnem ſcientiam funditus euertit, à qua vera Sapientia diſiungi nullo pacto poteſt: quod ſi nihil eorum, quæ cadunt in hominum vitam, certum eſt; ſi nihil compertũ, nihil cognitum, nihil exploratum habemus; quid ab intelligente differt ignarus, aut à ſtulto ſapiens? aut quid eſt omnino, quod in hominum vita plus valeat temeritate prudentia? »

Stoici

Stoici vero tanquam ex tripode, ſua quædam dictata, tanquam effata pronunciãt: de reliqua Philoſophia ſortiuntur, quid loquantur. Epicurum cum Magiſtro Democrito, & totam illam Leucippi manum in noſtro Mundo ne quærito; ſpatiatur in intermundijs ſuis: immenſum illud inane peragrat inane caput: & in atomorum regno, quid illi Græculo non licet? cum Philoſophia tres in partes tributa ſit, in Phyſicis planè plumbeus eſt: in Dialectica nihil illo fieri callidius poteſt, qui ſe nihil vnquam à quoquam didiciſſe gloriatur: In diſputatione vero de moribus quis illo fortior, aut ſanctior? qui, quemadmodum Poetæ Iunonis Heben in conuiuio Deorum ambroſiam miniſtrare voluerunt, ita voluptatẽ ipſe ſtatuebat ad cyathos quæ ſapientibus ſuis in hortulis, ſcite circumferret potiunculam dulciculæ ſuauitatis? Deme Cynicis oblatrandi liberam immunitatem; obmuteſcent. Laudetur ſane Socrates, qui primus flexiſſe dicitur ad modeſtiam Philoſophiam, vt prætereuecta quæſtiones inanes, de rerum humanarum temperatione cognoſceret: ita laudetur tamen, vt ab illo præter-

miſſa multa, plura non inuenta, plurima nequaquam pro dignitate tractata videantur. At Plato de quo præclarum illud elogium eſt, *loquitur Platonis ore, ſi loquitur Deus*: & pluribus fabulis referſit libros, & dicit plura, quàm probat, nec quæ probat eiuſmodi ſunt, vt illa noſtro ſatis eſſe ſapienti putem, Quid Ariſtoteles? hunc enim veſtra cogitatio iampridem expectat. Nihil aliud Aud. quam quod veſtrum iudicium eſt,& omnium Sapientum: ingenioſus, acer, acutus, diſertus, elegans, vim ad eam doctrinam accommodauit, quam in ſapiente noſtro quærimus. Hoc homine nec doctior extitit quiſquam nec copioſior nec ſolertior aut in olfaciēda naturæ veritate callidior: nullam Philoſophiæ partem integram reliquit: adiunxit ad multiplicem doctrinam, verborū incredibilem copiam: eloquentia non illa forenſis armata fulmine popularis Oratoris, nec qualis Theopompi fuit, aut eius æqualis Iſocratis omni diſtincta lumine ſententiarum, atque verborum: ſed illa caſtior, & verecundior & vno ſemper tenore fluens ſedato ſimilis amni, diſerto magis docentis quàm Orato-

ris ardentis, definitè loquitur, ac circumſcriptè, ſine calamiſtro, ſine fuco, ſine margaritis, ſine lacinia: ſed videlicet, nihil ſine exceptione laudatur. Vir alioquin acutiſſimus, atque doctiſſimus omnia ſenſibus explorans, in diuinis eſt hebes. Quod igitur fundamentum huius quæſtionis eſt, id niſi fallor, egregie iactum eſt. Cum enim non hominum inſtituto, non more, non lege, non opinione, non gentium incerta ſuſpicione, ſed rationis, & naturæ ſempiternitate conſtituatur Sapientia; cumque maneat omnium vi & incredibili Sapientiæ cupiditate firma conſenſio diſtrahi Sapientiam à veritate nequaquam poſſe, nec à Natura diuelli Veritatem; illud reliquum, & conſequens eſt, quod variũ ſit, quod non vbique ſemper cernatur, & vniuſmodi, quod contractum ad iura paucorum, longius non explicetur, ac porrigatur: quod ab anticipatione mentium, & animorum informatione diſcrepet: illud etiam à ſempiterna ratione Sapientiæ, conſtantiſſimaque lege veritatis eſſe remouẽdum. Eſt autem vera lux & vis, recta ratio naturæ conuenienter apta, diuinitus inciſa mentibus: non edi-

ĉto Prætoris, aut Ciuitatis iure ſu-
ſcepta, non tradita; ſenſibus intimis
conſignata, non arte conſcripta: vis
in omnes diffuſa gentes, conſtans,
immortalis inuicta, ſempiterna, ſin-
cera, ſacroſancta: quæ primum, &
falſum à vero dijudicans, & honeſtū
quid ſit ab eo, quod ſit turpe, ad of-
ficium iubendo vocet: vetando à
fraude deterreat: quæ tamen neque
probos, & integros fruſtra quid age-
re iubet, aut vetat: neque ſceleribus
occupatos, improbos iubendo, aut
vetando monet. Huic legi nec obro-
gare quiſquam, aut ex ea derogari
quicquam, aut tota abrogari po-
teſt: Non per Senatum eam ſol-
uere: non per Populum, non alia
maiore poteſtate poſſumus; & (vt
eſt apud Romanum Platonem) non
quærendus eſt explanator, aut inter-
pres eius alius: nec erit alia lex Ro-
mæ: alia Athenis, alia nunc, alia
poſt hac: ſed & omnes gentes, &
omni tempore vna lex, & ſempiter-
na, & immortalis continebit: vnuſ-
quiſque erit communis quaſi Magi-
ſter, & Imperator omnium Deus:
ille legis huius Inuentor: ille Diſce-
ptator, ille lator, cui, qui non pare-
bit, ipſe ſe fugiet, ac naturam homi-
nis

nis aſpernabitur hoc ipſo luet maximas pœnas, etiam ſi cætera ſupplicia, quæ putantur effugerit. ſapienter, vt multa. Nam ille contemptor quiſquis eſt legis huius æternę, ſe iudice damnatur: ſe teſte conuincitur: ſe tortore cruciatur: & voluntariè miſer, cupiditatibus excors, calamitatibus afflictus, ignauia mentis abiectus, & peſſundatus: ſine auriga quondam indoctus, excuſſus, & euolutus è curru trahitur, opprimitur, eliditur, laniatur, anxius ad moleſtias, humilis ad timores, eneruatus ad labores, proclinis ad libidines, in ſuo nepos, in alieno rapax, in rebus attritis deſperatione fractus; in florentibus elatus, inſolens, contumax, non ferendus, ciuili nunquã ſanguine ſaturatus, in acerbis etiam ſuorum funeribus exſultat. Contra verò qui domeſticum hunc, vt ita dicam, monitorem audierit; animũ in officio continebit, & quocunque ratio iuſſerit, impellet, ac flectet. Et vt olim in fidibus, ac tibijs, aut etiã in ipſo cantu iucundiſſimum cõcentum efficit, moderatione diſſimilium ſonorum, aut vocum auribus admodulata ratio, ſemper diſpar, ſemper æqualis, quam immutatam ac diſcre-

pantem aures eruditæ ferre non poſ-
ſunt;hic ex infimis,ſummis,medijſq;
virtutibus;interiectis ac penè tēpera
tis,vt ſonis animus ratione modera-
tus, cōſenſione diſſimiliū laudum vt
modorū ſexcentū illā decorē dabit,
& concordem diſpari æqualitate di-
ſcordiā Ergo noſter ille qui Sapien-
tiæ principatū petet; huiuſce dome-
ſtici doctoris diſciplinæ libentiſſime
ſe dedet: hunc audiet: huic obtem-
perabit. Ex hoc primū illam perci-
piet moderationem officij triparti-
tam, Religionis æquitate cohæren-
tem. Intelliget proinde ſanctum
hoc animal præteritorum memor,
præſentium ſagax, prouidum futu-
rorum, multiplex, acutum, viribus
inſtructum,ſenſibus armatum intel-
ligentia cōmunitum; mentis & con-
ſilij plenum, cui nomen Homini fe-
cimus, à ſummo Deo præclara qua-
dam conditione generatum,ſic è re-
bus vniuerſis, vt floribus, eſſe deli-
batum, vt cum Opifice ſuo, & ar-
ctiſſima neceſſitudine legis æternæ,
& ſimilitudinis immortali religione
teneatur. Hinc & intelliget figuræ
ſuæ vim,ac ſtatum. Et quid ſit illud
anquiret, quam ob rem cæteris ani-
mantibus in ventrem proiectis: ipſe
ſtatu

ſtatu celſus, & excitatus ex humo ſe conuerterit ad cæli conſpectum, hoc eſt ad agnitionem domicilij ſui vultum, oculoſque contulerit? Propemodum hic cum ipſo Deo conſociatus, exſeret illam aciem ſuæ mentis, & tanquam exacuet, & in ſedem Patriam, imo ſuam inſinuabit, & inſanæ cupiditatis excuſſa compede ſolutus, ac liber toto cœlo magnifice triumphabit. Hic adeo caſtiſſimis cogitationibus explorabit immenſum illud, & infinitum nullo temporum ſpatio, nulla locorum regione circumſcriptum, quod eſſe vere dicitur: quod rebus omnibus interuenit, ac moderatur: quod intereſt, quod ſupereſt, quod ſubeſt, non oppreſſum, non obſeſſum, non ſecluſum, ſine materiæ concretione ſimplex, ſine labis adſperſione pulchrum, æternum ſine detrimenti metu, ſine viciſſitudine varium, ſine varietate vnum: ſanctè verum, verè ſummum Bonum, nunquam natum, nunquam interiturum, à ſe nunquã fugitiuum, ſemper integrum, ſemper totum, ſemper aptum ex ſeſe, ſemper idem, ſemper ipſum: ſine acceſſione cumulatum, ſine deceſſione diffuſum, ſine lege nunquam effluẽs,

ſine neceſſitate ſemper exundans, demum è rebus omnibus facilem tractum bonorum ſuorum in ſe reciprocans, ac reducens, beneuolum, intelligens, præpotens, ingenua naturæ ſuæ virtute diuinum. Hic verò cum amantiſſimi Parentis indolem aliquam, ac mores hauſerit; illi ſe ſe quam ſimillimum finget. Ac primũ dignitatem ſui generis agnoſcens, de moribus cognoſcet ac iudicabit ſuis, tum inſolentiſſimo illo dominatu nefarij, vt ita dicam, triũviratus è ceruicibus victo, quo res humanæ miſere diſtrahuntur, labefactantur, diripiuntur, indulgentia carnis euicta, clari nominis inanitate contempta, diuitiarum cupiditate ſuperata, caſtam, & integram omnino Religionẽ ſuſcipiet, & quaſi receptui ſignum ac reuocationem audierit, & vaſa collegerit, è rebus humanis in ipſum templum ſanctitatis virtute quà duce, quà comite commigrabit, & vt olim in oppugnandis arcibus, ſtratis, aggeratiſque cadaueribus ignauorum militum ſui corporis promptiſſimi quique ſcandunt, ac nituntur in altum; ita degeneres cupiditates omnes infra pedes abijciens, exinde quaſi iacto

gradu,

gradu, Sapiens hic noſter euadet ad libertatem filiorum Dei; nec ſanè liberè magis,quàm libenter in optimi maximique Parentis ſe ſe complexum reijciet: inque eum omnem vim mentis, amoremque transfundet. Hoc igitur Auctore ſtatuet, & iudicabit primum officium eſſe coniungi cum Deo,quod eſt Religionis: alterum cum genere conuenire, quod eſt humanitatis; quanquam enim, quod in hominem confertur, Deo tribuitur; nam homo ſimulacrum eſt Dei: tamen hoc officium oblique collatum in Deum,quia rectiùs ad hominem ſpectat; humanitas commodè dicitur; neque vero neſcire volet quod ſuarum ſit partium,& quod ſe propriè vitæ genus attingat;quo cōſtituto viderit oportet, vt illa Regia virtus, alumna pacis Iuſtitia foras emineat, ac ſpectet, & proiecta tota ſit, quantum cauſarum ſuarum pertinere patiatur ad domeſticos,quantum ad reliquos ciues, quantum ad alienos, quantū ad ipſos hoſtes abire verum ſit. Hoc probè fixo,ac ſtabilito, volet hic noſter eſſe ſuus; ita tamen vt intimo perpurgato fonte cogitationum ac cupiditatum, nihil ad priuata com-

moda deriuet vnquam: at in diuina cauſa veras intelligentias, honeſtiſſimaſque voluntates, commotas diuinitus diù multumque verſari velit Cum vero deiecerit oculos & ex illa lucis infinitæ rota, Mundum hunc circumſpexerit; diuerſorium, non domicilium cæleſtium animorum: cum acie corroborata vniuerſum hoc rerum corpus, & omnes partes eius admirabili diuinæ prouidentiæ ratione deſcriptas, nequaquam leuiter impreſſa veſtigia ſeruare viderit Architecti ſui: cum animaduerterit quantum commodorum importet cæleſtium hæc orbium temperatio, conſtans, & æqualis in ipſa varietate curſus aſtrorum, & annui temporis quadripartita deſcriptio, & hæc tēpeſtiua fœcunditas terrarum, & in immenſum explicata ſpatia camporum, & aggeres, ac ſepimenta montium, & viriditas vbertaſque ſyluarum, & ſaluberrima fontiū eruptio, & fluminum opportuna inundatio, & maris opulenta interfuſio, & vtilis, imò vitalis aſpiratio ventorum. hæc (inquam) omnia, & alia permulta cum perfuſus meliore luce recognouerit, & Diuinæ beneficentiç magnificentiſſimum apparatum

admirabitur, & tamen deplorabit exſilij ſui, quamuis honorifici, conditionem acerbam. Emolumenta porro, quæ percipiuntur ex eo, facile conſtituet illa caduci corporis adiumenta, non immortalis ornamenta mentis, & fragilis præſidia vitæ, non cæleſtis præmia virtutis eſſe; dicet. Hæc ſpecies innumerabiliũ læta rerum, tantus hic talium munerum expoſitus apparatus, hic illuſtris ornatus cæleſtium luminum, non eſt, anime mi, non eſt huiuſmodi, qui patriæ deſiderium tuum, & incommodi exſilij moleſtiam lenire poſſit: maior es, & ad maiora natus: ecce tibi multiplices orbes ſapiẽtiſſimus artifex penè tornatos conglobauit, atque ſuſpendit, & verbo continet virtutis ſuæ, quorum extimus ille cœleſtis inuſitata mole libratus, incredibili candore diſtinctus, ac notatus eſt: infra varia, caduca, fluxa, fugitiua, vtpote quibus vnius corporis concitatiſſima conuerſione conuoluitur, atque prætervolat iſta ſeries perpetua rerum cũ temporis abeuntis celeritate mirabili. Quin, tu igitur illa contemplans æterna, diuina, ſumma, hæc humana contemnis? quæ penè deuata

citiùs, quàm nata, cæli celerrimo tractu volubiliter agitata cum temporis fugitiua perennitate rapiuntur! Hæc ille domi ſecum. Sed tempus nunc eſt, vt hic vir velut è cælo, ſic è ſacrario cogitationum ſuarū deuocetur ad terras: hoc eſt ad aliquam Reipublicæ partem; vt illum ſibi natū omnes intelligant, & gratulentur. Enimuero hic ille vir erit, qui conuocata clientela virtutum, omnium, laudumque pulcherrimarū conſeptus egregio comitatu Senatū adibit. hic ille magiſter officij ſantiſſimus curam omnem, quò volet, ideſt quò decet, inflectet, conſilij sēper princeps, optimæ ſententiæ ſemper auctor, hic iura condet, hic honeſta deſcribet, hic ſalutaria decernet, hic conſeruator æquitatis, hic fundator publicæ quietis, hic vere popularis, hic verè dux Optimatum, & Patriæ Parens: hic inter principes virtutis auctoritate ſummus, facilitate ſermonis, & mentis æquus, infimis, vniuerſæ Ciuitatis conſtitutor & moderator omine prærogatiuo centuriarum omnium pulcherrimè ſtabit, omnemque Populum in Comitijs ferre coget ſine varietate ſententiam. Quid? quod minus ho-

no-

norum dignitate, quàm ſuæ virtutis maieſtate ſacroſanctus, Magiſtratu nunquam abibit ſuo? ſemper enim iure ſuo Conſul, faſces nunquam dimittet, vel potiùs nunquam admittet: neque popularis tabellæ beneficio factus, ſed, vt dixi, iure ſuo Cõſul, ſuis viribus ſubnixam ſuſtinet ſemper dignitatem ſuam, beneuolẽtia Ciuium munitus, & clementiæ maieſtate ſemper armatus. Res autem ſic ſe habet, Auditores (vt perſtringam breui quod ſentio) quibus ratio munere diuino data eſt, ijs etiã recta ratio dari diuino cõſenſu ſolet: ratio porrò diuinitus & impreſſa mentibus, & aucta diuinitus, fit etiã, neſcio quomodo, melior exercitatione virtutis, & auctior adiunctione doctrinæ, quæ cum adoleuerit, ac pariter cum morum ſanctitate creuerit; ſeque virtutis, ceu tempeſtiua maturitate firmauerit; illa tandem exiſtet ſolidæ gloriæ parens, felicitatis effectrix, humanarum rerum gubernatrix, diuinarumque cuſtos Sapientia neque ſanè quiſquam reperietur; niſi plane ſit hebes, qui vel à rerum notitia Sapientiam ſegregandam, vel à caſtitate Religionis, & morum, quam ſanctitatem dicimus,

mus,

mus, diſtrahendam putet. Verùm ſanctitatem doctrina ſic adiuuari putamus, vt hiſtrionem Paleſtra, vt Muſica oratorem; quemadmodum enim Paleſtra non ſolum robuſtior, ac coloratior hiſtrio, ſed fit etiam ad agendum ipſa moderatione geſtus accomodatior: orator autem, qui muſicus ſit, artis illiuſce beneficio ſuauitate vocis, & cantus inflexione quadam iucundius auditur; ita Sanctitas morum eſt. adiuuatur illa quidem à doctrina: ſed ſi caſta doctrina ſit, ſi pura, ſi ſancta, ſanctitatis acceſſu neſcio quâ iucundiore in luce collocatur. Quòd ſi quiſpiā noſtrum ſolitaria ſanctitate, ſine dote doctrinæ poteſt eſſe contentus; vtatur. Eſt enim, vt ait ille, dotata ſatis, quia morata eſt bene: modò meminerit, illam vti virginem verecundam intra priuatos, ac domeſticos parietes eſſe continendam. At nos aliud hoc vberius, ac perfectius quærimus. Illum enim Virum quoquomodo deſcribimus, quem omnes domi ſanctum, in templo pium, in foro conſtantem, in Senatu grauem, in omni negotio liberū, tanquam è cœlo delapſum ſuſpiciāt, prædicent, vereantur ſingulari diui-

næ

næ beneficentiæ munere Reip. conceſſum, arbitrum Iuris, Diuinitatis interpretem, vindicem veræ libertatis, dominum humano generi conſulentem. Hoc exemplum ſi ponitur, ad has animi laudes tamen multas & tantas, quibus excellere volet ille princeps, accedent ornatus externi, ceu lemniſci, & infulæ cum ingenij facultate facilitas morum, & omnis affabilitas, & ſermonis cum horrida quadam elegantia digna ſapiente Maieſtas, inſtitutio liberalis, & doctrinæ multiplex, ac varia ſupellex, & rerum humanarum, ac diuinarum prudentia; ne nos ſolùm ſalutis, vt Medici: ſed etiam coloris, vt Aliptæ, rationem habuiſſe videamur. Volumus igitur ad officium, eo ferè modo cvm morum tum doctrinarum diſciplinis noſtrum hunc informari publicę felicitatis ducem, quemadmodum apud Perſas Regiũ Puerum, penes quem eſſet futura ſumma rerum, inſtitui conſueſſe, ſcriptum reliquit Plato. Principio ſtatim, vt ille Regius exceptus in lucem, ſpe bona felicitatis Regiæ, fundare domum viſus eſſet; honeſtiſſimis infantiæ cuſtodibus alendus tradebatur, cum eo ne quid præterirét

quo-

quominus à teneris Principem ſibi quam elegantiſſimum conformarēt. Proinde corpuſculi vitia, prauitatēque corrigerent: vultum ducerent: membra figurarent: geſtum omnē, inceſſumque componerent. Vbi ſeptimum attigiſſet annum; continuò magiſter aderat artis equeſtris: ex eo ſternacem, & indocilem equum intra gyrum compulſum inflectere diſcebat: & à gyro longiùs explicare curſum, & volubiliter ad numerū glomerare greſſum, & in arduum vrgere cunctantem, & à præcipiti ruinà ſuſtinere labentem. Hinc ad tolerantiam membra durabat, inedia, ſiti, frigore, ſudore, telorum iactu, palęſtra, clamore, venatu, quo venuſtatem oris ad dignitatē horridiuſcula quædam concinnitas efferaret. Exin quartum annum & decimum ingreſſus ad Moderatores itabat, quos vocabant Regios: qui quidem numero quatuor anteſtare cæteris Sapientia, Iuſtitia, Temperantia, Fortitudine putarentur: quorum ille primus Sapientiæ magiſter ad Zoroaſtri magiam erudiebat adoleſcentem. nam magica Perſarum inſtitutione Deorum cultus, moreſque ſacrorum & inſtituta Regia cō-

ti-

tinebantur. Secundus Iuſtitiæ Doctor monebat, vt illiberalis ingenij mendacium eſſe duceret: vt vteretur parſimonia verborum:& in omni vita ſimplex, & apertus eſſe meditaretur. Tertius Temperantiæ præcepta tradebat: vt omnia rationis imperio, & præſcripto faceret: neue cupiditati ſeruiret vnquam: omnem impetum animi contineret: ſui prius Rex eſſe diſceret, quàm ſuorum auderet eſſe populorum. Quartus autem nihil Viro forti terribile videri dicebat: audacter omnia pericula ſubiret: ſeruitutem supremũ malum eſſe: vitæ gloriam anteponeret, gloriæ virtutem: pro Regia dignitate, pro ſalute Ciuium, pro patrijs legibus,& inſtitutis, pro religione Deorum, & cultu libentiſſime vitam in diſcrimen offerret. Hic Regius cultus, hæc Imperatoria dignitas, his ornamentis quaſi lemniſcata Perſarum Maieſtas erat. At nos, quoniam non fori Leguleium, aut Rabulam fingimus: ſed Auctorem ſententiæ ſalutaris, & Ciuitatis, non poteſtate, ſed virtute Principẽ, illum diſciplinis omnibus explicandum, & vniuerſis virtutibus, vt nutricibus educandum tradimus. An

ille

ille Troiani belli Pictor verius, quàm Scriptor cum in Achillis clypeo formam optimi bellatoris effingeret; ſcientiam in eo diuinarum, humanarumque rerum, & vim eloquentiæ deſiderare noluit: nos popularem hunc, & Senatorium tranquillitatis ducem, validiſſimis illis auctoritatis præſidijs ſpoliatum relinquemus, qui ſententiæ ſuæ non ſolum approbationes excitet, cùm oporteat, ſed admirationes etiam & clamores? Quo igitur modo gradum obtinebit dignitatis ſuæ? An genera ſine Philoſophorum diſciplina conſtituet, aut ſpeciem cuiuſq; rei cernet, aut quaſi ſepiet definiendo rem, aut diſtribuet in partes, quod eſt definitione comprehenſum, aut vera diſcernet à falſis, aut conſequentia ſubijciet, aut repugnantia notabit, aut ambigua diſtinguet? quid dicam de moderandis animis? quid de moribus inſtituendis? quid de condendis legibus? quid de ſuadendis? mediocrine illum doctrina ſubornatum eſſe oportet? Age quam multa, quàm varie, quàm appoſite, quàm eleganter, quàm vehementer de Diuinitate dicenda ſunt? Ignorabit igitur quid ſit æquum, qui de æquitate:

quid

quid ſanctum, qui de Religione: qnid honeſtum, qui de virtute: quid turpe, qui de vitijs: quid quemque deceat, qui de officijs, deque omni vitæ genere diſceptet? qui docebit ignaros? qui mitigabit iratos? qui iacentes eriget, feroces elidet, impuros à flagitijs, impios à ſcelere, maleficos à facinore, deuios ab errore reuocabit? Maneat igitur, illi, qui ſcenæ quod aiunt, & populo ſeruire debeat, vt audiatur, vt placeat, vt ametur, omnem vndique ceu florem elegantiæ decerpendum eſſe, quodque pingendi magiſtrum illum nobilē feciſſe legimus, qui de multis elegantiſſimis puellis, quod emineret in ſingulis in tabulam contuliſſe fertur, vt quam venuſtiſſimam faceret ſuam illam venuſtatis Deam: ita ciuium ſuorum hic, vt ita dicam, Deus ex omnibus diſciplinis deliget, quod allicere poſſit, ac tenere.

Expoſui breuiter, Iuuenes, meam de Chriſtiano Sapiente ſententiam, quem ſi partibus iudicatis explicatum ſuis; habetis, quod in vobis exprimere debeatis: ſin deeſt aliquid, vt fortaſſe deeſt, adijcite, quod eſt omiſſum: noſtrum nō facietis aliud, ſed perfectius. Ac me quidem nunc

per-

peroraꝛe cogitantem ipſa rei magnitudo vereri cogit, ne contra quam inſtitueram cohortatio mea reſtinxerit ſtudia multorū. Exiſtent enim, qui dicent, talem virum neminem vnquam eſſe viſum: & rem ingenij ſui imbecillitate metientes, id ſequi nolent, quod aſſequi ſe poſſe deſperant. egregiè, quaſi vero vel quod fuerit, aut futurum ſit, ac nō potius quid eſſe debeat, aut poſſit, quæratur à nobis: aut ſi non in primis hæreas, in ſecundis, & infra ſecundas, vel etiam tertias conſtitiſſe non ſit decorum

Non ſi priores Mæonius tenet
Sedes Homerus: Pindaricæ latent,
Ceæque, & Alcæi minaces,
Steſichorique graues camænæ.

Dicebat romanæ fidicen lyræ ſe ipſe conſolans: quòd etiam in alijs artibus vſu venit, quarum qui principes numerantur, etſi longiſſimè cæteros anteire gloria cenſentur; tamen artifices, qui poſtea conſecuti ſunt, nequaquam ſunt ab illorum exercitatione deterriti. Quid, quod in magnis, ac præſtantibus rebus, vel ſine ſucceſſu conatus laudari ſolet? Ac ſi diuinis, humaniſque deſtituti

præ-

præſidijs omnibus eſſemus, experiri tamen omnia deberemus; vt optima niſi tenuiſſe, ſaltem laudaſſe videremur. Nunc ad eam rem cum abunde ſuppetant humana, diuinaque omnia; verendum eſt, ne perditæ Mentis ignauiæ tribuatur, poſtpoſitis omnibus alijs, deterioribus adhærere maluiſſe. Verùm timidos illos, & deſides, ſi res ipſa cognita non permouit, nullius vnquam oratio permouebit. Quod illis nequaquam ſine magna mercede continget erroris in conſilio, ſtuporis in animo, prauitatis in moribus, ignobilitatis in vita. Vos propius attingit oratio mea, Iuuenes, quorũ claritatem dum mecum ipſe conſidero, partem omnem cohortationis vt amputem, neceſſe eſt. Quam ob rem ſi vobis in animum induxiſtis, vt ſpero Sapiẽtem perueſtigare velle; agite (quod bene vobis, ac feliciter vertat) vnicam vnicè diligite Sapientiam. Scitum eſt illud, Sapientiæ cupiditas, indoles prima Sapientis. Et quidem ſi mihi vobiſcum id conuenit; illam nullam eſſe Sapientiam, quæ non cum animi recta ratione conſentiat: quæ vero conſentiat, eſſe mancam, & mutilã,

ſiqui-

ſiquidem à caſta Religione diſſentiat; hoc inquam ſi bene poſitum eſſe dicitis; illud relinquitur, impios, facinoroſos, quamuis doctos, non eſſe Sapientes. Omnis igitur ſapiētia hominis, vt nobilis illius Oratoris verbis vtar, in eo eſt, vt Deum cognoſcat, & colat. Hoc inquam, noſtrum eſſe denuncio. Hoc eſt illud, quod Philoſophi omnes in tota ſua vita quæſiuerunt, nec vnquam tamen inueſtigare, comprehendere, tenere voluerunt. Faceſſant igitur illi omnes, qui humanam vitam non inſtruunt, ſed turbant. quid enim docēt, aut quē inſtruūt, qui ſe ipſos nondum inſtruxerint? quem ſanare ægroti, quē regere cęci poſſunt? Huc ergo nos, quibus eſt cura Sapientię, cōferamus: an expectabimus donec Socrates aliquid ſciat? aut Anaxagoras in tenebris lumen inueniat? aut Empedocles dilatet animi ſui ſemitas? aut Ariſtippus & Carneades videant, ſentiant, percipiant? aut Ariſtoteles & Theophraſtus omnia manibus attentent? Ecce vox de cœlo Veritatem docens, & nobis ſole ipſo clarius lumen oſtendens. Quid nobis iniqui ſumus, vt frugibus inuentis glande veſcamur? vt Sa-

Sapientiæ cupidiſſimi, Sapientiam oblatam ſuſcipere cunctamur, quam docti homines contritis in quærendo ætatibus ſuis, nunquam reperire potuerunt? Qui vult ſapiens ac beatus eſſe, audiat Dei vocem: diſcat Iuſtitiam: Sacramentum natiuitatis ſuæ norit: humana contemnat: diuina ſuſcipiat; vt ſummum illud bonum, ad quod natus eſt, poſſit adipiſci.

Hæc ille pereleganter, vt ſolet. At neſcio quomodo iucundiùs, ac reſonantius complet aures meas ipſius vox, & oratio Sapientiæ. Quo circa, quoniam cæpimus, cumulatiùs hoc faciamus: Sapientiam ipsã audiamus loquentem. Mortales, fauete linguis loquitur, Deus.

En ſapientia foris prædicat, & in plateis dat vocem ſuam, & in capite turbarum clamitat, & in foribus portarum vobis profert verba ſua dicens.

Quouſque tandem paruuli diligitis infantiam? & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia concupiſcunt? Odio ne ſemper habebitis imprudentes ſciẽtiam? conuertimini, reſipiſcite ad increpationem meam. En proferã ſpiritum meum, & exponam vobis Prou. 1. & 2.

verba

verba mea. Qui me audierit; abſque terrore requieſcet, & abundantia bonorum perfruetur, timore ſublato. fili, ſi ſuſceperis ſermones meos, & mandata mea penitùs inſiderint in animo tuo, vt aures Sapiētiæ præbeas: inclina cor tuum ad cognoſcendam prudentiam. Si quęſiueris, vt pecuniā, & ſicut theſauros illam effoderis; intelliges timorem Domini, ſtatimque nanciſceris ſcientiam Dei: quia Dominus dat Sapientiam: & prudentia, & ſcientia ex illius ore dimanat. Tunc intelliges iuſtitiam, & iudicium, & æquitatem, & omnem diſciplinam bonam. Si intrauerit Sapientia cor tuum & ſcientia animę tuæ placuerit; conſilium te cuſtodiet, & prudentia ſeruabit; vt diuertas à via mala, & ab homine, qui peruersè loquitur, eripiaris: vt illorum conſilia deteſteris, qui ſcientiarum ſuarum errore circumacti tenebris obruunt inſcitiam ſempiternis: maleficio lætantur: exſultant in rebus peſſimis, opibus circumfluunt: magnificè habitant: purpuras trahunt: voluptatibus illiqueſcunt: vnguenta redolent: floribus coronantur: commeſſantur, per potant, epulan-

tur,

tur, perbaccahantur: quorum viæ inuiæ, deuiæ, flexuoſę ſunt, ipſorum flagitijs infames, ſceleribus obſeſſæ, cædibus cruentæ, latrocinijs infeſtæ, luctibus frequentes, cladibus nobilitaræ. Vtinam intelligas ò fili, nec te blanditijs corrumpendum dedas, vt abducaris à meretricula voluptate, quæ lenocinijs, ſermonibus, & forma vim omnem mentis, ac neruos virtutis incidit: quæ relicto duce pubertatis ſuæ, ac diuini fœderis oblita fidem Deo ſuo pactam deſeruit, vt in lutulentis nequitiæ cubilibus volutetur, ac contabeſcat. inclinata porrò ruina, nutuque vergit ad occaſum domus illius, & ad interitum ſempiternum illius pedes præcipites dilabuntur. Quicunq; blandimentis illius deliniti lenam illam impuram per multiplices labyrinthos perſequuntur miſeri, retro reditum expedire non poſſunt, & ad vitæ ſaniora conſilia non aſpirant. Quin tu frugi ſis? & potiora mediteris & iuſtorũ inſtituta cuſtodias? Qui enim recti ſunt habitabunt in terra, quam integri nec vllo ſcelere contaminati poſſident.

Impij vero diſiecti, perditiq; diſperibunt, & qui vitam impurè de-

gunt, è viuorum regione dilabentur. Sapientia ſententiam dixit. Equidem, quod addam, aut corrigam, nihil habeo. Si placet, aut quoniã placet: diſceſſio fiat, & pedibus in illius ſententiam concedamus.

Tum, tu, Deus, & Parens, & Doctor animorum, & veræ Sapientiæ largitor, & Arbiter: tui nos cupidos, teque quærentes animos, fęlicem ad exitum tuo lumine dirigas, & bono numine ſoſpites. Dixi.

PROSA IV.

DE POETARVM OFFICIO

Dicta in Collegio Romano anno 1597. initio Nouembris. hanc Stephonius temporis ſpatio ad dicendum præſcripto excluſus ab rupit. Sed Auditores peruicerunt vt totam duobus conſequentibus diebus pronunciaret.

CVM Rhetoricas Inſtitutiones Principis eloquentiæ romanæ Poeticis Inſtitutionibus apud Philoſophiæ Principẽ hoc anno cõdire ſtatuiſſem: quiddam equidem me reperiſſe ſperabã, quo meorum Auditorum non faſtidium modò doctrinæ veritate leuaretur, ſed animus etiam ſanaretur ſcientiæ ſalubritate. Animaduerteram etiam in huius Gymnaſij nobilium artium

quaſi mercatu cæterarum omnium Diſciplinarum ampliſſimum nomen videri; Doctorum autem ipſorum perſonam grauiſſimam: qui ſi Poetam Platonis verbo mortalem fidicinem Immortalium Deorum in illorum adhibuiſſem, & cantatum quaſi prouocaſſem: feciſſem aliquid, vt mihi quidem videbatur, quod apud Romanum Homerum in Eliſę regio conuiuio ſplendide fieri videtis; vbi

—— Cithara crinitus Iopas
Perſonat aurata, docuit quæ maximus Athlas.

Profecto, qui cultus eſt ingeniorum veſtrorum, maiorem plauſum illi veſtra dediſſet humanitas, ſi de poeticæ facultatis ampliſſimo genere ac dignitate diſſeruiſſem: quam, vbi deliniti ſuauiſſimo cantu doctiſſimi Vatis Ingeminant plauſum Tyrij, Troeſque ſequuntur. liberius fortaſſe quam ſobrios decebat: tamen in ſympoſijs omnia, neſcio quomodo, pulchriora ſunt, vbi ſuauitatem epularum ſermonum ambroſiam eſſe dicebat Socrates. Quanquam argumentum ipſum Iopę vel Sobrijs iucundiſſimum videri poteſt:

Qui

Qui canit errantem Lunam, Soliſque labores,
Vnde hominum genus, & pecudes, vnde imber, & ignes,
Arcturum, pluuiaſq; Hyadas, geminoſque Triones
Quid tantum Oceano properent ſe tinguere Soles
Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet.

Homeri quoque iudicio conſilium noſtrum aliquis laudare potuiſſet, apud quem ærumnoſus, & morum experientiſſimus Vlyſſes ex diutina iactatione cũ ad Alcinoum Phæacẽſium Regem appuliſſet; hominem Alcinous perhumaniter accepiſſe fingitur, atque in hortis ad amœnitatem diligentiſſime conſitis conuiuium ornaſſe magnificè ac ſplẽdidè. Hic oratus à Rege ſuper Epulo, vti fit, vt de laboribus à ſe fortiter exhauſtis aliquid exponeret: miratus primo Regis poſtulatum Vlyſſes, vt ſe collegit, rerum abundantiam, maieſtatem dominatus, ædium magnificentiam, regiorũ hortorum, amœnitatem, & ſuauitatem odorum, quæ expiraret à floribus; tum multo magis Regis ipſius purpuram intuens, & eximia forma pueros, & ſeriem,

cultumque famulorum, & exquiſitiſſimum ornatum, ſtructuramque conuiuij; dixiſſe fertur, ab affluentibus illius beati delicijs, tantaque fœlicitatis indulgentia diſcrepare ſuarum ærumnarum querimoniam luctuoſam; quin audiret potius ille Vatem (aderat enim fidicen cantu conuiuium exhilarans more Græcorum) qui conuiuarum animos ſaluberrimo carminis acroamate saturaret. Ita profecto eſt. Animi iucunditas, & iucunditatis alumna Poeſis, propria beatorũ eſt; Quid? iſta ne (dicet quiſpiam) ad præſentem vſum detorquenda ſunt? Sane inquam. Quid enim eſt accommodatius? An in tanta celebritate pulcherrimarum Artium, in hoc diſciplinarum medio apparatu, tanta diuitiarum opulentia ac pompa, in tam multis integerrimæ voluptatis inſtrumentis, atque in tanta ingenuarum affluentia delitiarum, in vbertate Rhetorum, in ſubtilitate Dialecticorum, in iactatione Mathematicæ ſolertiæ, in Phyſicæ multiplici varietate, in cultura morum, atque amœnitate ciuilium virtutũ, in Theologorum amplitudine, præſtantia, diuinitate, in tam, inquam,

beata

beata copia rerum tantarum, & ingeniorum, vt ita dicam regia fortuna; non adeſſet aſſidua pediſſequa felicitatis, ipſa conciliatrix lætitiæ deſideraretur, voluptatis artifex operoſa Poetica conticeſcet? indignum videbatur, atque ab hac elegantia humanitatis alienum. Verũ non idem de rebus ijſdem iudicium eſt omnium: multique multorum incommodi ſermones contra noſtrã ſententiam differuntur, quorum ſi de veſtris animis opinionem euelſo; reliquus deinceps noſtræ diligẽtiæ curſus expedior erit ad eam laudem, quam noſter labor ſequitur aſſequendam, vt cum oratoria Facultate pariter Poetica dignitas vſui publicæ felicitatis adoleſcat.

Cum multas in omni Philoſophia res nequaquam ſatis adhuc illuſtratas nobis eruditorum hominum literæ reliquerunt, tum in ea Philoſophiæ parte, quam ciuilem appellant, in obſcuro prorſus iacere patiuntur peruetuſtam illam, & multorum contumelijs verius, quàm ſententijs vexatam opinionem de Officio Poetarum. in primiſque magna diſſentio eſt eorum, qui Sapientes numerantur: quam niſi nullis partium

ſtudijs occupatus Interpres aliquis veritatis diudicet aliquando, Mortalium maximam partem in magna pulcherrimarum rerum ignoratione verſari, fœdiſſimaſque conſcientiæ labes in officio ſuſcipi neceſſe ſit. Sunt enim,& fuerunt Philoſophi nō ignobiles excellenti cum primis ingenio, vberrimaque doctrina,qui nō modo nullum omninò commodum ad hominum vitam; ſed omnem perniciem, & corruptelam ex hac Poetarum vel arte, vel facultate,vel furore prouenire voluerunt; coercendos vt noxias belluas Ariſtides: Polemon, vt dementiſſimos affinibus sradendos. orandos dicebat Socrates,vt aut omniuo conticeſcerēt, ſi Reip. prodeſſe vellen: aut ſi dicēdo nollent obeſſe; de melioribus Muſis acciperent,quæ loquerentur. Carneades veroCyrenaicus interrogatns, quid de Poetarum ingenijs ſentiendum eſſet? quod de Sacrilegis, inquit, & parricidis. quandoquidem Poetarum impuritas non ſecus Reip. ſtatum conuelleret corrumpendis ciuium moribus, maieſtatemque læderet Diuinæ Naturæ commentitijs Numinibus inducendis, atque parricidæ cum arma contra

Contra Poetas Ariſtides Poetas vocat noxias Belluas. Polemon dementes. Socrat. meliores ad Muſas amandat, Carneade Cyrenaicr Sacrilegi, & Parricidæ ſunt Poetæ.

tra

tra Patriam conuerterent: Sacrilegi Deorum templa violarent. Chryſippus autem Stoicorum facile doctiſſimus omnem calamitatem in Græciam inuectam à Poetis exiſtimabat: nec ſatis mirari ſe poſſe dicebat incōſtantiam Athenienſium, qui Diagoræ ſtatuam in foro combuſſiſſent: mulctaſſent exſilio Protagoram; quod eorum alter nullos eſſe putaſſet Deos: alter an eſſent, dubitare ſe dicebat: Homero ſimulacra publice dedicaſſent, qui ridiculis fabulis Deorum naturam funditus ſuſtuliſſet. Nam Plato, ſine controuerſia magnus Philoſophus, cum apud ſe bonorum ne plus, an malorum attuliſſet hominibus, ac Ciuitatibus licentia Poetarum ſatis conſtituere non poſſet; in ea Rep. quam ad Imperij iuſtam imaginem exigebat, diligentiſſimum habere ſelectum Poetarum iubet; ex quo genere, quos audiendos, quos repudiandos putent florentiſſimæ Reip. iuſtiſſimi Ciues. Idem, cum Poetis omnibus ſuccenſeat; Homero placari non poteſt, quod imperitæ multitudinis animos delirus ille ſenex de Deorum, & Heroum moribus alieniſsimis opinionibus imbuiſſet.

Chryſippo Poeta ſunt Deorū hoſtes, vt fuere Diagoras & Protagoras,

Plato delectum habet Poetarū

Homerum expellit.

Epicuri in Nauicula Syrenum, & Poetarum cantilena vitãda.

At Epicurus in omni plane Philoſophiæ plumbeus nugator, hac vna ſententia virilis habitus eſt: quod Poetis fuiſſet inimiciſſimus, locum proinde prouerbio fecit. Cum Epicuri nauicula præteruehi dicunt eos, qui quemadmodũ Vlyſſes Syrenum voculas; ita Poetarum cantilenas auribus reſpuunt. Iſocrates quoque quem Socrates habitu naturæ quodam, non auditione ſapientem in Phœdro vocat, in Buſiride quibuſdam Poetis & homines infeſtos, & Deos infenſos merito fuiſſe dicit; quod quemadmodum eius Magiſter Leontinus Gorgias exiſtimabat; hominum mentes anilibus fabulis infeciſſent, & impiæ ſuperſtitionis pręſtigijs obligaſſent,

Iſocrates Hominum corruptores Poetas vocari.

Ijs Plutarcus multis ſęculis inferior reconditarum rerum notitia fortaſſe par, cum Polypodis capite Poeſim comparat in eo libro quem ille ſedulo de Poetis audiendis inſcripſit. Quemadmodum enim piſcis illius caput guſtatu ſuauiſſimum eſſe narrant ij, qui nobis eruditius palatũ habent; ſed eo paſtis & ſomnum eſſe difficitem, & inſomnia ſubrepere cum abſurda, tum turbulenta: ſic animus adoleſcentium,

Plutarcho Polypi caput eſt Poeta.

Poe-

Poetarum lectione, quaſi iucundiſſimo pabulo delectari quidem illos, & alacriter efferri: ſed illicò quaſi Circea virgula contactos de ſtatu mentis deijci putat, immoderatèq; iactari. Nec multo ſecus Thebanus Cebes, nobiliſſimus Pythagoræus in primis cum hominum mores, & malos,& bonos appoſitis coloribus imitaretur in pynace, faceretque Magiſtras hnmanæ vitæ duas Fallaciam,& Veritatem: ſtultorũ alterã, alterã Sapientum; cũ ariolis,& coniectoribus & Caldæis, & Mathematicis, Poetas collocaſſet, eoſque cõſilijs omnibus ab honeſtate deuios, de Fallaciæ poculo combibiſſe demonſtrat inanitatem, opinionem, ſtultitiam, ignorantiam, audaciam, impuritatem, amentiam. Quid noſtri? quos ab ipſa veritate ad Sapiẽtiam dicere ſolemus eruditos? quàm multis, quàm grauibus iudicijs exagitant integris moribus aduerſariã leuitatem Poetarum? Origenes quidem, quo nemo nec ingenij celeritate promptior, nec acumine ſubtilior, nec iucunditate felicior extitit, nec eloquentiæ facilitate copioſior, nec inſtructior bonarum artium diſciplinis, Origenes igitur illis Ciuitatibus

Cebes Thebanus plenas inaniarum & Fallaciæ Poetas vocat.

Numen eſſe cenſebat inimicum, in quibus Poetarum ſtudia vigerent. Huc enim illius explicatio pertinet, cum ſimilitudinis contentione quadam odioſiſſimis ingenijs Poetarũ, odioſos illos ranunculos accommodat, quorum incredibilem vim excitatam è Nilo, vt eſt in arcanis literis, Aegyptiorum olim in ſedes Vindex irati Numinis Moſes effudit. Vt enim ranunculis, inquit, ortus, & genus eſt ex luto; ſic etiam ingenia Poetarum excitantur prauitatis libidinibus lutulentis; incũbunt in luto fœdę beſtiolæ fouentque locum, quo innaſcuntur aſſiduè. Poetarum turpiſſima vita libidinibus exorta, voluptatibus educata, flagitiorum fœdiſsimis cubilibus volutatur. E ſtagnis adnatant ad natale lutum nemine prætereunte ranunculi: rurſus in ſtagna deſiliunt alicuius interuentu deterriti. Poetæ, qui vulgi magnam opinionem habent; è ſapientiæ ſtudijs, velut è ſtagnis, ad omnem vitæ turpitudinem, niſi prohibentur, emergunt: ſi verò prohibentur; ad ſua ſe ſe recipiunt latibula Sapientiæ, quæ nominis auctoritate leuitatem ſuam protegunt, ac tuentur.

Poetæ Ranunculi, luti filij ab Origene dicuntur.

mo-

moleſtiſſimæ beſtiolæ cum obſtrepere cœperunt, aures nobis obtundere nunquam deſiſtunt abſurdo ſono. Poetarum carminibus deliniuntur quidem aures: ſed mentis acies hebeſcit, & ingenij lumen extinguitur. Atque Aegyptiorum quidem ranunculorum ingens illa multitudo defendi minime poterat, quo minus odioſiſſime locis omnibus inſiliret, in compitis, in vijs, in tectis, in ædibus, & ſacris, & profanis, in cubiculis, in triclinijs, in ipſis penetralibus apparebant, fœdiſſimoque contactu lædebant oculos dominorum. quid Poetæ? quanto cũ periculo debacchantur impurius? modulatis ad voluptatem carminibus compitalitiam turbam circumforanei Rapſodi tenent: ac ne ſeueri videlicet carminis mœſtitia multitudinem nimio mœrore contrahat; commodùm præſto eſt Parodus, qui ſeueritatis irriſione feſtiua relaxet, quod Rapſodus aſtrinxit. Comœdiæ ſpectantur in Theatris, quorum inſaniæ Mimorum petulantia ſubſeruit, & Satyrorum in triumphis Feſcenninos iocos: furores, in templis Dithyrambicos: & quorum eſt palmaris obſcenitas,
Phal-

Phallicos,& Ithyphallicos audimus in ludis. Nam Lyricorum, & Elegorum quo progrediatur impudentia, videtis. in Beatorum familiaritates irrepunt: ephœbia perluſtrãt: inſinuant ſe in gynæcea: non à cubiculis,nõ à triclinijs abeſſe poſſunt: cupiditatibus lenocinantur inſanæ Iuuentutis: attentant arcana dominorum: Virginum pudorem, pudicitiam Maritarum, Puerorum improuidam ætatem exquiſiti carminis lenocinijs inuitant: & impuritatis contagione pollnunt. Hanc ferme ſententiam ex Origene, non verbum de verbo, tanquam interpretes expreſſam extulimus. Tertullianus vero diſertiſſimus, & Diuinitatis aduerſus Marcionem, & Cerdonem infeſtiſſimos hoſtes propugnator acerrimus; vbi de numero Deorum diſputat, triplicem licẽtiam ſuadẽdi ſceleris facit impiam, & execrandam, Pictorum vnam, alteram Poetarum, Hæreticorum tertiam: quarum difficile iudicium ſit, quam humano generi capitaliſſimam peſtem eſſe dicas. Atque etiam Ambroſius Vir doctiſſimus, idemque ſanctiſſimus non leuem in reprehenſionem Sapientium incurriſſe

Tertull. Poetas cum Hæreticis comparat.

S. Amb. contra Poetas.

riſſe

riſſe viſus eſt; cum Imperatori Gratiano ſe ſe diligentiſſime purgat, propterea quod ſuorum ſcriptorum quibuſdam in locis Poetarum teſtimonijs vſus eſſet. Idem plane non ſemel facit Hieronymus Vir omninò caſtus,& omnium literarum eruditione limatus; qui quoties ad vsũ traducit ſuum commenta veterum Poetarum reprehenſoribus reſpondens; ſpoliare ſe dicit Aegyptum ornamentis ſuis. At Auguſtinus Theologorũ facilè Princeps, & cui ne de Græcis quidem omnis memoriæ Sapientibus facilè reperias quẽ anteponas; ea porrò ſanctitate morum habetur; vt etiam ſi nullum ad optimos mores litterarum lumen accederet; vnus tamẽ inter eximios longè videatur excellere; nunc autẽ cum omnibus litteris ſit etiam optimè præter cæteros expolitus; vix quicquam illius aut ſanctitate doctius, aut doctrina ſanctius inueniri poteſt. talis igitur vir ac tantus ad Marcellinum ſcribens ampliſſimis verbis ornat Platonem, eumque legum & Verbium conditoribus, Romulo, ijſque, quos Semideos appellabat Antiquitas, anteferre non dubitat. quoniam autem res illi cum

S. Hier.

S. Aug.

Ro-

Romanis erat, non mediocrem in ijs rerum delectum, ac diligentiam requirit, qui duodecim Tabularum legibus Poetarum maledicentiam repreſſiſſent: &, in cælo Romulum collocaſſent quòd huius Vrbis perangusta mœnia poſuiſſet; Platonem ignobilem, & obſcurum eſſe patentur, quem ſi ſibi conſtare vellent, longè præclarius, quàm Romulum & cæteros Semideos intelligerent de ciuium publico iure meruiſſe. Nam Plato, cũ ſuam ſepiret Remp. legibus, inque eo genere formam Optimi diſquireret; excluſit à ſocietate ſuorum Ciuium Poetas: vt è quibus boni nihil, mali plurimum in Remp. promanare poſſet. qua ſeueritate longè ſapientius, ac firmius ad iuſtitię normam Auguſtino ſtatum Publicæ rei conſtituiſſe viſus eſt, quàm cum Romulus huiuſce fundamenta iecit Vrbis, quam per impunitatem Aſyli, per licentiam Circenſium, iuſtitiæ nullo reſpectu, colluuione facinoroſorum hominũ, vndique cõfluentium frequentaret; in poſterum exemplo conſtituto, quo ſibi Ciues licentiam fabularum, ludorum amentiam, petulantiam theatrorum, Poetarum inſaniam,

quo

quo Floralia, quo Iuuenalia, quo lupercalia, quo Bacchanalia cōceſſa Cōditoris auctoritate crederent. Iam ad horum Philoſophorum, ac Theologorum ſententiam, & aliorum innumerabilium (nam copia teſtium abundamus) & alienorum, & noſtrorum, ſi diuina accedat auctoritas; ecquis exiſtat, qui Poetarum rationem omnium non dicam iudicijs, ſed diris execrationibus planè iugulandam neget? En tibi Paulus, Veritatis inter Cœleſtes mortalis auditor, inter mortales Cœleſtis interpres infelicitatem deplorat illius ætatis, quo tempore nec ſanam doctrinam ſuſtinebunt hominum delicatorum aures faſtidioſiſſimæ: & Magiſtris, atque aſſentatoribus ad libidinem quæſitis, animum non à veritate ſolum auertent, ſed etiam ad fabulas impunè conuertent. Horum igitur ſi vera ſententia eſt; quid agimus Fratres? tantæ ne cauſæ tàm indormimus diu? nihil ne mouere nos debet, quòd nobis auctoribus in gymnaſijs noſtris tantam in fraudē Adoleſcentiæ teneros animos tractatio Poetarum illicit; vt Chriſtianis adoleſcentibus meretrix illa Babylonis medicatum illud, ac morti-

Diuus Paul. s in fabulas Poetarum.

fe-

ſerum impudicitiæ poculum porrigat noſtrorum Magiſtrorum manu? Profectò, ſi quid veteres illi ſapientes viderunt: ſi quod eſſe ducimus in Theologorum noſtrorum auctoritate pondus: ſi Diuinarum literarum veriſſimis oraculis eſt aliquid tribuendum: ſi quid horum animorum noſtræ fidei commiſſa ſalus: ſi religio, ſi ſanctitas, ſi Chriſtiani nominis honeſtas apud nos aliquid valet (vt valet certe plurimum) in re tanta conniuere Patres diutius, & inuidiam ſeuiſſimi nominis, & periculum lubricæ Iuuentutis, & Reip. tantum vulnus ſalua Relegione diſſimulare non poſſumus. Informandam Iuuentutem ad veram Sapientiam ſuſcepimus: conuolant ad has exedras ſplendore tanti nominis exciti Chriſtiani generis è florētiſſimis oppidis: & ex præcipuo flore Nobilitatis Adoleſcentes, paratos & fama commodi rumoris prę cultos animos afferunt ad excipiēdā Chriſtianæ, hoc eſt veræ, ſanctæ, diuinæ ſemina Sapiētiæ. Nos Poetarum interim fabulis inaniſſimis peruolutandis, Chriſtiani Doctoris grauiſſimam perſonam, vberrimi promiſſi dignitatem, Sapientiæ ſanctiſſimum

nomen videlicet ſuſtinemus? Hoc vtrum tandem ad Sapientiam deducere Sapientiæ percupidos Adoleſcentes eſt? An non eſt in errorem, & fabulam omnis impuritatis inducere? Nam, amabo vos, quę poteſt aut in fabularum falſitate, aut in turpitudine ſanctitas reperiri? quandoquidem ſapientiam quiddam eſſe tertium arbitramur e Veritatis, & Sanctitatis conciliatione conflatum Atque haud ſcio, an ſublatis Sapientiæ partibus, ipſa quoque Sapientia, vitæ decor, honeſtas, dignitas, pietas, religio, fides, humanitas, vlla virtus, iuſtitiæ denique pars vlla, & illa tantopere expetita felicitas tollatur.

Sunt autem alij Sapientes, & ij quidem nec pauci, nec obſcuri nominis, qui multum ab ijs, quos modò nominauimus diſſentientes, adeo Poetarum & ingenijs, & facultatibus delectantur; vt eorum carmina non hominum voces, ſed oracula Deorum, illiſque mentes admoneri diuinitus, & impulſu Numinis excitari velint. quos equidem Homines, vt non omninò temerè locutos exiſtimem; permultorum Philoſophorũ facit auctoritas: qui nec Philoſophiæ dignitati, nec ſuis ſtudijs,

Pro Poetis.

ac

ac moribus alienum putauerũt hos de poetica locos ſuis illuſtrare literis, deque fabulis contexendis præcepta tradere. nam Mileſius quidẽ Democritus qui de cæteris Mortalium ſtudijs ridere conſueſſet; Poetarum ſtudium nequaquam ridiculum, aut leue iudicauit qui primus ex Philoſophis de talibus rebus diligentiſſimè quæſiuit, & multos prętere a libros de faciendi carminis ratione conſcripſit. Et Socrates, is, qui Delphico reſponſo ſapientiſſimus eſt iudicatus; rem diuinam, ac ſacroſanctam appellat Poetas. Nam modò Deorum filios, modò bonorum Ciuium Patres, modò Duces ad Sapientiam, modò decori cuſtodes, modò Parentes honeſtatis, modò virtutis, & officij magiſtros, modò Cęlitum internuncios, & ad homines interpretes Deorum nominat. Idem cum multos ea de re ſermones habuiſſet in cœtu ſummorũ Virorum; excitauit homines minimè ſecordes at magnos Philoſophos auditores ſuos, Simmiam Thebanũ, Cyrinaicum Ariſtippum, Simonem, Antiſtenem Critonem Athenienſes; vt accuratius hæc agitarent, multiſque cognitionibus, & comprehenſio-

Democr de ratione carminis faciendi libros conſcripſit.

Socrat. Poetas Deorũ filios vocat &c.

ſionibus annotatis efficerent quandam Artem, ad quam libera Poetarum commenta redigerentur. Poſtea Magiſtrum Socratem, & Socratis auditores imitatus Plato, cognomento diuinus, quanquam is quidē in Rep. quibuſdam Poetis faſtidioſe ſtomacatus; nomen tamen ipſum, & doctrinæ genus digniſſimum iudicauit, in quo diligentius, quam quiſquam alius elaboraret. Ad platanum igitur illam immortalem Platonis ipſius ingenio conſitam, irrigatā ſermonibus Socratis, à ſummis Philoſophis de furore poetico, quem incitari Numinis inſtinctu putat; de Poetarum artificio (ſi tamen artificio carmen effundi poteſt) de facultatis ipſius ortu, genere, partibus, officio, fine, voluptate, varietate, copia, dignitate præſtantia, non minus doctè quàm eleganter & multa, & ſæpe dicuntur. Omnis Academia deinceps Platonem ſubſecuta, quæſtionibus illis prius explicatis de Diuina natura, de adminiſtratione Mundi, de bonorum finibus & malorum; ſtatim animum appellit ad Remp. legibus temperandam: quo loco de virtutibus multa diſſeruntur, & honeſtatis partibus, & in di-

Plato quibuſdam indignatus Poetis, de Poetica præclare ſentit, ac docet

Furorē poeticū diuinitus incitari putat.

diligendis officijs ſalutares quædam adſcribuntur legum admonitiones hominibus, Ciuitatis ęquabili iure ſocietatis. Hic Ciuium aliquot ordinibus deſcriptis, & officiorum gradibus conſtitutis, continuò magiſtris morum Philoſophis, & Poetis inſtituendæ Ciuitatis, honeſtatiſque ſuadendæ, ſuæ quædam munerum functiones demandantur ac partes: propterea quod officia iuſtitię ſtudijs, officijſque ſcientiæ iure optimo pręponenda ſunt. Eminet enim Iuſtitia decori moderatrix foras, cuſtos vitę ſalutaris, ſuorumque conſiliorum fructum, ac præmium ad quam plurimos pertinere vult; ſtudia vero puræ cognitionis intra domeſticos parietes ita ſe ſe continent; nihil vt vnquam in commune conferant: quo fit, vt officium Iuſtitiæ, quod ad coniunctionem, vitæque ſocietatem tuendam valet, cum emanet latius; anteponendum illi ſit officio, quod natura cõtractius cognitionis, & ſcientiæ finibus continetur. Nec quiſquã adhuc ex Philoſophis paulo nobilior, & generoſior exortus eſt, qui ſecundum illas priores quæſtiones ex intima Theologia petitas poſteriores, & ciuiles haſce moderan-

Morum Magiſtros Poetas inſtituit Plato.

ran-

randæ vitæ partes duceret proximas. At in ijs tradendis Philoſophorum ingenia grauiora cum honeſtiſſime verſentur; Poetarum tamen dulciora multo ſunt, ſana quadam ſuauitate feſtiua. Qua in re, cum à Philoſophis Poetæ docendi ratione diſſentiant; officio tamen, cum illis, & fine congruunt. Licet hic inſtituta veteris Græcię mirari, quæ vitæ manſuetioris officijs, & politioris elegantiæ moribus præceteris nationibus cum iure gloriari poſſit; ſeuerioris tamen diſciplinæ præceptix, & ſanctioris Sapientiæ nequaquam hebetior indagatrix, aut diſſolutior cuſtos quondam fuit. Ea cum omnem honeſtatem decoriq; vim è partibus Virtutis quatuor manare didiciſſet, quarum vna cognitionis eſſet, altera coniunctionis, tertia magnanimitatis, quarta moderationis: cumque Ciuium mores, vt eſſet cuiuſque captus, ad decori aliquam poſſeſſionem meditaretur inducere; pręceptiones Poeticæ facultatis, & Philoſophorum in Politia docendi diligentiam ad quatuor illas Honeſtatis partes, vnde decori vim proficiſci diximus, accomodauit. Animaduerterat enim ex homi-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

minibus alios oblectari rebus: & in ſuos quemque adoleſcere mores vel inductione tacita naturæ, vel inſtitutione meliorum. Quoſdam eſſe accepimus primarios, & excellentes viros, qui præeſſe conſilio Ciuiũ commodis poſſent quoſdam primarijs illis obnoxios, parere legibus populari iure contentos: ſeueros alios, ac ſanctos, quaſi populi doctores, in literarum otio compoſitos demonſtrare quę ſit in rebus falſitatis, aut veritatis nota: quod in malis vt extremum fugiendum ſit: quid ſit appetendum in bonis vt vltimũ: nonnullos pręterea iuueniliter exultantes, fretos plerumque viribus ob auaritiam famæ nullam recuſare cõditionem glorioſi laboris. Horum igitur inductiones ſecuta morum prudentia, dum Ciuiũ felicitati conſulit, ſingulorum animos ad veræ gloriæ ſtudium flexit, & in ſuum quenque induſtriæ curriculum induxit. Principio quatuor Ciuium quaſi claſſibus deſcriptis decori quoque rationem quadripartito diuiſam terminauit ad eum fermè modum, vt quatuor etiam aperirentur per officiorum honeſtatem ad felicitatem viæ, quò ſingulæ ſingulas vias ingreſſæ

greſſæ claſſes in affluētia bonorum, liberè, decorè, iucundè, pacatè, iuris in optabili æquitate viuerent. Militares igitur illos & ingētes ſpiritus, vt alacres, & erectos plerunque natura; ſic etiam ad audendum omnia nōnunquam nimium promptos, & temerè proiectos, quibuſdā circumſcripſit honeſti finibus, intra quos incluſi vires corporis animi viribus temperarent, & veræ Fortitudinis gloriam expeterent. Sapiētes autem illos populi magiſtros, & quaſi Prǫſtites veritatis; ne quid vſpiam peccaretur in officijs, haurire iuſſit ex aureo fonte pulchritudinis, hoc eſt Deo, promulganda populis felicitatis vera præſidia, decreta Prudentiæ, quam etiam ita definiuit, humanarum rerum, diuinarumque ſcientiam: Popularem verò ſtatum temperantiæ legibus facilè contineri poſſe cenſet, popularis ideo decori vim ac notionem, à temperati moderatione duxit: quòd animus illius temperatione moderatus, nec proſperis in rebus inſoleſcit elatè: nec humili mœrore debilitatus ſe ſe abijcit in aduerſis. At populi Principes illos, & honoratos viros, quia in eorum auctoritate

cerneretur adumbrata quædam ſimilitudo diuinæ Poteſtatis, Iuſtitiæ quoque diuinæ vim, & æquitatem imitari voluit. qui nimirum iuris interpretes ſuum cuique pro dignitate & communibus vtentes pro communibus, priuatis autem, vt ſuis; in officio populos, & pacis in æquabili iure cohiberent illas præterea iuſtitiæ partes diligentiſſimè cuſtodirent, erga Deum religionem, in Patriam pietatem, aduerſus Parentes, ac ſuos beneuolentiæ neceſſitudinem, erga ceteros homines humanitatem, vulgo autem bonitatē in moribus, creditis in rebus fidem, in amicitijs ſanctitatem, in animaduertendi ratione cum æquitate clementiam.

Diſtributis in hunc modum ordinibus Ciuitatis, ſingulis decori ſui partibus attributis, vt propria Militum Magnanimitas eſſet, Sapientia Doctorum, Multitudinis Modeſtia, Iuſtitia Principum; ita tamen hæc eſſet propria ſingulorum; vt laudabiles in alienis, eminerēt in proprijs: quærendi videlicet erant, qui Ciuiū animos excolerent, inducendi quidam, quaſi decori cuſtodes, honeſtatis interpretes, & publicæ felici-

tatis duces. Poetæ viſi ſunt, & vrbaniores Philoſophi tractare poſſe Sapientiæ quadam commoditate Multitudinis animos. Hos igitur propoſitis induſtriæ præmijs euocatos in populum ad ſcenam dedit. Ac Philoſophi quidem ſeuerius hæc, & planius, apertis admonitionibus tãquam rectis itineribus ingredientes docent: Poetæ callidius id faciunt, & verò commodiùs: qui tanquam aliud agentes, vt ait ille, circum pręcordia ludunt: & viæ velut obliquis flexionibus per amœna diuerticula fabularum auditorum animos ſubeunt cum voluptate. Quo loco recordamini, quæſo, diligentiam illorum, qui notatis illis Ciuium inductionibus, & decori partibus, non ſine quodam Numinis afflatu totidem omninò fabularum genera primo propoſuerunt, quot in ordines diſpartitam Ciuitatem eſſe diximus ad notionem Honeſtatis; informãdis enim Principum moribus, Iuſtitiæque retinendæ, cum omni thymelico choragio, regioque ſplendidam apparatu Tragœdiam idoneam dederunt: moderandæ Multitudini Comœdiam: edocendæ Sapientiæ Melopeiam: inflammandis militi-

bus Epopeiam; quippe Tragœdiæ conuerſionibus repentinis admoniti Potentes, & vindicis præſentiam Numinis veriti, crudeliter, ac ſuperbe nollent opes experiri ſuas. Et fictorum irriſione vitiorum,& inſperati gaudij voluptate Comœdia feſtiuior mœrorem populi conſolaretur: & inſolentiam cogeret intra modeſtiæ fines. Melici vero cantus in templis excitati diuinitus de diuina Natura, de vero, de pulchro, de bono, de virtute, de virtutis partibus,de laudibus honeſtatis, de prima pulchritudine, de pulchritudine ſimillima primę, de non longe diſſimili planius aliquid & enodatius edocerent. At Heroum egregiè factis expoſitis, & Virorum fortium exemplis,tanquam facibus admotis militarem iuuenum alacritatem ad æmulationem Heroicæ Virtutis epicum carmen accenderet. His ira demonſtratis, non erit difficile ſtatuere quid Athenienſes; ſequerentur, cum Adoleſcentes, vt primum per ætatem iudicare potuiſſent, in Poetarum diſciplinam tradebant. quid Lacedemonij, cum in publica panegyri Spartiatas anapæſticis adhortationibus ad concertationem

Athen. ſuos adoleſcẽtes Poetarũ diſciplinæ tradebant.

Lacedemonij verſibus ſuos adhortabãtur.

He-

Heroicæ gloriæ prouocabant. quid Thebani, cum certos modulos nutricibus demonſtrabant, quorum modulatione dum, vti fit, conſopirent inſomnes Pueros & ſomnum pariter, & dulcedinem Virtutis infunderent. quid Salaminij, cũ propoſita mercede Victoribus in maxima celebritate Ciuium omnium ordinum Iuuenes Achillem Homeri memoriter reddere iubebant. Quid Acarnanes, cum inſtituto publico Heraclęam Iuuentute conuocata, multorum dierum ludo Rapſodum modulantem laudes Herculis audiebant. quid omnis Græcia, cum primam Philoſophiã appellabant Poëſim. quid Socrates, cum Deorum filios Poetas, & Virtutum Parentes. quid Cato, cum Poetarum carmina Deorum oracula nominabat. quid iterum Socrates & Plato, primique ſubſellij reliqui ſapientes, cũ Philoſophorum & Poetarum docendi rationem aliam, doctrinæ genus idem eſſe voluerunt. Imò Ariſtoteles ingenio planè ſummus doctrinæ copia propè ſingularis, ſerie quadã cõtinuata rerum ad illos ciuilis Philoſophiæ libros hos de Poetica cõmentarios, à ciuili non admodum

Thebanorum nutrices Infantes fabulis ſopiebant.

Salam. Homer. verſus memoria mãdare Iuuenes iubebant.

Acarnanes Rapſodum adhibebant in ludis.

Græcia vocabat Poeſim primam Philoſophiam.

Socrat. Poetas Deorũ filios.

Cato carmina Poetarum Deorũ oracula

Ariſtot. de poeticaegit tãquã de politica parte. abhorrentes, Platonem imitatus attexuit: non vt cuiuſquam diligẽtiam æmularetur, (quod alio loco feciſſe traditur, cum iteratis voluminibus vbertatem orationis doctrinæ varietate laceſſiuit) ſed vt quæ naturę ſocietate cohęreſcerent, ordine collocata literarum tractationis cauſa cohærentia necterentur. Fecit hoc idem Ariſtotelis Auditor *Theoph.* Theophraſtus, cui nomen inuenit orationis diuinitas. Fecit hoc Pha- *Phan.* nias, inter Peripateticos in bono numero Philoſophus: fecerunt illa *Alij plures,* præclariſſima Lycæi lumina Ponticus Heraclides, Phalereus Demetrius, Dicearchus Meſſenius, & nouæ deinceps omnis Academiæ manus. A Peripateticis etiam prouo- *Zeno.* catus Princeps ipſe Stoicorum Zeno, Philoſophiæ quandam mœſtitiã alibi ſecutus, elegantior in poeticis, & hilarior haberi voluit; vt Stoicũ iam plane neges. Ex eadem Zeno- *Cleant.* nis Schola Cleanthes Aſſius, doctus in primis, alijque complures Poetis nonnullam partem commentariorũ ſuorum tribuendam putarunt. Tum *Strato alijque,* Strato Lampſacenus, Menippus Phęnix, Ariſtippus Cyrenenſis, Xenocrates Calcedonius, Epicarmus

Chous,

Chous, Clitomachus Carthaginienſis, Diodorus Iaſius, Crantor Solenſis, & ſuperiores illi Pythagoras Samius, Xenophanes Colophonius, Parmenides Eleates; Philolaus Crotoniata Phædrus, Hyppaſus, Solon, Eudoxus, Empedocles: qui vel ipſi carmina confecerunt, vel de conficiendis carminibus præcepta docuerunt; vel in doctis illis Philoſophorum hemiciclis grauiſſimos de morali Philoſophia ſermones nunquam ſeuocarunt ab officio Poetarum.

Occurritur hoc loco nobis à nonnullis ſeueris hominibus (quibus ſatisfaciendum eſt) negantibus vllam ineſſe vim auctoritatis in leuitate Græcorum. quid? ſtatim ne ratum, ac ſanctum à nobis habendum eſt, vbi curioſius aliquid adiunxit ſolertia Græcorum? Ego vero non iſtorum modo, ſed etiam quantumlibet hominum etiam barbarorum, dnm modo quod ab illis naturę conueniēter affertur, omnium conſenſione non diſcrepet ab honeſtate; quod enim ita dicitur, non paucorum opinione vacillat, ſed omnium auctoritate fundatur: non veriſimilium mobilitate fluctuat, ſed Veritatis, &

Naturæ conſtantia conſtitutum hæret in æterna firmitate Rationis; quod ſimul vſpiam extitit, ac ſui aliquam ſignificationem dare cœpit; ſimul hominum approbatione laudatum; ideo quod naturæ genere comparatum, ſingulorum reſpondet tacitis ſenſibus. Idque tunc euenire potiſſimum videmus, cum aliquid naturæ principijs incluſum antea, poſt ipſorum principiorũ, velut ante greſſionibus, emergit vltrò: vel periculo prudentum exploratè tentatum erumpit in lucem, velut hoc ipſum de Poetarum partibus: quia decori vim attingit, vim etiam attingit Naturæ. decet enim naturã, quod aliquam materiam decet. id autem omnium ante ſenſibus inuolutum enoluit poſtea Græcorũ animaduerſio diligens. Neque vero poetici decori rationem ita definitã à Grçcis fuiſſe dicimus; vt id tantũ deceret in fabulis, quod Græcia probaret: ſed vt ſapienter id probaret Græcia, quod deceret: quod ipſum in Naturæ conuenientia poſitum; æternaque lege Rationis, nõ aliquo plebiſcito lata, ſed inciſa, non rogata, ſed innata diuinitus, cum hominum genere proſeminatum facile ſe

ſe quęrentibus obtulit hominibus non imperitis. Et ſane, quoniam rē altius ab ipſis initijs explicamus; Poeticæ ſtudium ab ipſis rerum primordijs informatum, & multis ante ſæculis inchoatum ab hominibus, & nullis omnis memorię nationibus ignotum, & ad minores à maioribus perpetuo trāſmiſſum, à Græcis cautioribus, vt diligentius animaduerſum, ſic etiam elegantius acceptum eſt. Cum enim docti carminis modulatio iucunda, magnam habere vim ad permouendum videretur: ſiue quòd animos facile caperet illa quaſi pictura fabularum, ac ſimilitudine rerum: ſiue quòd aures auidius ſitirent, ſi quid volubilius ad numerum elaboretur in cantibus: ſi quid eſt eruditis percuſſionibus ſonorum, acuta gens vſque rerū callidior cæteris opportunitatem tantā rei bene gerendæ non omittendam putauit. Quapropter, vt optimi gubernatores ſecūdis tempeſtatibus; ita Græcię Sapientes tacitis animorū approbationibus obſecundarunt; vt quæcunque velut aura ſtudiorū incideret in pedem: quicunque flatus à natura ſinum intenderet; ad id ſine cunctatione ſoluerent, ac vela

darent. Verum enimuero ne nimia voluptatis indulgentia, tanquã obſequentia tempeſtatis, aliorſum Poeta delatus à populari felicitate deflecteret; aliquis extitit, magnus videlicet Vir, qui Decori præſcriptione quadam vulgaris approbationis aura nimium paſſa vela contraxit. ne quando Poetarum licentia, Multitudinis cupiditatibus inſolentiſſimis dominis obtemperans, voluptatem ab honeſtate diſtraheret. Decori porrò prẹſcriptionem, vt in pauca conferam, hanc ferme fuiſſe tradunt. Vt Poeſis obſecuta Naturę Reip. deſeruiret; iucundæ fabulæ coloribus quàm elegantiſſimam effigiem Virtutis ſuis Ciuibus offerret. Honeſtatis acres amores obiectis illius ſimulacris in mentibus commoueret: Principibns Ciuitatis æquitatem Iuris, & morum: Militibus Reip. propugnatoribus animi magnitudinem, & deſpicientiam periculorum: Poetis Populi magiſtris Sapientię ſanctitatem: Vulgo autem ſedatæ vitæ partes, & officia Temperantiæ ſuaderet. Ita Poetarum finis, quo referuntur vniuerſa, publicæ felicitatis erat cum dignitate protectio: Officium ad feli-

licitatis dignitatem ciuilis honeſtatis inſtitutio: ſubiecta generi quaſi materies, quam elaborarent, ordinum, & Virtutum illa quadripartita deſcriptio. Facultatis autem inſtrumentum, ciuilium imitatio morum, & veritatis in fabulis expreſſa ſimilitudo. Nam qui ſolam voluptatem Poetis eſſe propoſitam volunt, periculosè faciunt, quòd ipſam anguſte, quod ſolam: inſcite, quod non intelligunt, ſic eſſe cum honeſtatis imitatione numeroſa voluptatem mixtã, ac temperatam; vt iucunditas ex ea decora ſimilitudine rerum neceſſario conſequatur. neque vero decori ſimulacra propterea fingimus, vt oblectemus; ſed eapropter oblectamus, quia ſic fingimus, vt illa decēs, & canora veriſimilium conſpiratio, ſuauis quidam ſit venuſtatis color, ex quo natiuus effloreſcat voluptatis lepor. cuius illecebra cum eſſet animaduerſum hominum mentes blandiſſime conciliari ſolere; ſecundo hoc Naturę vtiliſſimo vſa flatu magiſtra vitæ Prudentia facile paſſa eſt Veritatis ſalutares admonitiones nudas plerumque moleſtiſſimas auribus delicatis iucundiſſimarum inuolucris fabularum tegi. Poeſis igi-

tur his circumſcripta cancllis auræ iactationem habuit in populo cum dignitate, quoad reſpectum ad honeſtatem habuit: & quatuor illa fabularum genera priora celebrauit. iis autem finibus qui ſuam induſtriam terminauiſſent; digniſſimi iudicabātur, qui docti Viri, qui Sapientes, qui Deorum genus, qui germani Virtutis Auctores, qui demum ingenui Poetæ nominarentur. Qui vero nullum ex quatuor illis generibus attigiſſent, in Poetarum chorum non inſerebantur: aut ab illis primoribus non genere, ſed ordine ſegregati, numerabantur quaſi minorum gentium Quirites. Ita Poeſis ludicra quædam erat, ac vendibilis Philoſophia, quæ ſe ſe populo dabat diſſimulationis ſpecie ludibundam, ac leuem; receſſu vero conſiliorum conſtantem ac grauem.

His rebus expoſitis, vt iis aliquādo reſpondeatur, quorum auctoritas operam noſtram à Poetarum volutatione dehortari videbatur; Summorum Virorum grauiſſimæ ſententiæ facilis explicatio, & expedita diſtinctio eſt. Poetas non amant grauiſſimi Viri? ſapiēter (ita me Deus amet) ſi ſtultos, ſi leues,

ſi turpes, ſi morum corruptores, ſi Reip. pernicioſos non amant. Sin autem graues etiam illos officij cuſtodes; Magiſtros Reip. ſalutares, diuinos Virtutis Interpretes, Moderatores honeſtiſſimæ Iuuentutis, & publicę felicitatis Patres, quos exquiſito vocabulo, Deorum ſobolē appellat Socrates in Ione: hos inquam tantos ac tales Viros in eandem turbam ſi conijciendos putant (quod tamen perſuaderi nullo pacto poteſt:) ſed ſi tamen putant; (quā-quam id timide dico, quemadmodū accepturi ſitis) dicam tamen, & veſtra prudentia fretus, & cauſæ bonitate: quoniam hic à nobis non tām auctoritate quàm ratione decernitur; Ipſi nobis viciſſim reſpondeāt: cur à principijs Naturæ cur à ſtabilitate Rationis, cur à Veritatis conſtantia, cur à Diuina demum Auctoritate nos auocant? Etenim quod illuſtrem habet ſpeciem honeſtatis; elucet in eo non obſcura ſignificatione voluntatis nota qua ſit, vt Gygantum more, cum Deo pugnare videantur, qui cum integris Naturæ ſenſibus, cum Rationis conſtantia, cum Honeſtatis dignitate pugnent. An, quod ab omnibus ſem-

per, & vbique Natura ſuadente, decorè, conſtanter, ſapienter, integrè, perquam libenter adiſciſci poteſt; id deprauatæ Naturæ potius impulſu quæri, quam inculcari ſingulari munere diuino putent? nullo modo. an ſerius, an obſcurius, an incõſtantius, huiuſce rei ſpeciem, ac ſenſum Natura præ ſe tulit? nihil horum verè dici poteſt. Etenim ſi memoriam præteriti temporis reſpicere volumus, & ab vltima Generis humani ſtirpe longiſſime recordari, velut incunabula poeticæ facultatis; antiquiſſimum, & ipſi propemodũ æquale Mundo reperiemus eſſe Poetarum & nomen, & genus. Satis enim conſtat, idque diuinarum literarum monumenta confirmant, nõnullis ante ſeculis, quam nobili illa terrarum illuuione deleretur humanum genus, à Tubale primum ſolertiſſimo Viro repertum fuiſſe, quo dimenſionis artificio ſonorum interuallis conciliatus imparibus, ſed tamen pro rata portione diſtinctis, acuta cum grauibus temperans, tibiarum, neruorum, vocum concentus æquabiliter varius funderetur. Simile autem admodum veri eſt, antequam ſonorum hæc numeroſa dimen-

menſio Tubalis obſeruatione terminaretur; imprudenter, ac temere, cum ſe tamen ipſi non exaudirent homines ignarum numerorum vulgo (quod nos etiam imperitis excidere videmus) effutiri verſum, aut aliquid ſimile verſui conſueſſe: quo diligentius animaduerſo Naturam, ducem ad aurium voluptatem artificis induſtria conſecuta eſt vt extrema ex altera parte grauiter, ex altera autem acutè ſonorum tum intendens, tum remittens perſequeretur gradus. in quo illud etiam admirari ſolemus, quod ad aucupandam ſuauitatem in vocibus, ipſa noſtris auribus lenocinata natura eſt, quaſique modularetur hominum orationem, collocauit in animo iudicium tacitum numerorum, & omne verbum extulit acuta voce, neque plus vna, neque citra tertiam ſyllabam à poſtrema. Animus igitur aurium nuncio cum ſentiat naturalem quandam vocum, ac ſonorum omniũ menſionem; verſus elapſus eſt aurium terminatione primo quidem non exauditus, tum etiam intellectus, & notatus obſeruatione prudentium. Effluere autem verſum per imprudentiam imperitis

ho-

hominibus ſæpe potuiſſe, vitioſum nunc in hac vrbanitate doctrinarũ oratori fugiendum, vel ex eo decet intelligi; quod in oratione libera de verſu vitando præcepta ſunt Rhetorum: quod tamen ipſum vitium vix effugere poſſumus. inculcamus enim imprudentes cũ ſoluta dicimus gręcè, latineque, præſertim iambicos vſitatiſſimos illos ſenarios, hypponacteos, anapeſticos, ariſtophanęos, & multo crebrius obſcuriores alios, ſed tamen verſus. Nam in ſermone, quem à nutrice cum lacte ſuximus, quid accidat videtis. Ocioſe ſemel in chriſtianum Oratorem in templo de diuinis rebus italicè verba facientem inquirebam: cum ſe tamen ille poetam eſſe nõ intelligeret; verſus ex illius oratione deprehendebam amplius viginti. Hieronymus verò Peripateticus, quo gloriam Iſocratis imminutum iret, elegit ex illius libris malitioſè verſus facile triginta: tamen hic ipſe corrector, quo loco reprehendit Iſocratem ſenarium imprudenter immiſit. Sit igitur hoc cognitum: aurium naturali iudicio primo captatam eſſe voluptatem in vocibus. Quod autem ſub aurium aliquam menſu-

ram cadit i id aut verſus eſt, aut nõ longe abeſt à verſu. Quo cognito longe profectò ſuperior ętate Tubalis reperietur origo Poetarum ab ipſis Mundi naſcentis exordijs repetenda, quæ tum profectò videtur nata, cum primum eſt natum humanum genus. E naturæ porro primis hiſce ſeminibus in hunc modũ verſus emiſſus, quod ad animum improuiſus afflueret: ſimul auditus, ſimul probatus eſt. Artis expolitio poſtea conſecuta eſt vſque paulatim auctior numerus effectus eſt; vt mortalium pleræque res, imitatione cæterorum. Innatum autem in animis noſtris eſſe concentum quendã, & non hominum inſtituto, ſed anticipatione naturæ condire orationẽ iucunditate numerorum, ſatis magno argumento eſſe debet, quod ex illo rerum humanarum naufragio, cum pauciſſimis illis capitibus in ſpem generis reſeruatis enatauit ad memoriam, & notitiam, & ſeriem poſterorum; vt cum ipſa pariter hominum propagatione, Poetarum propagaretur genus. Nec mirum, quod enim in altiſſimis ingenuit naturæ principijs Deus, id neque videleri vlla, neque ſingulorum interi-

tu

tu obliterari poteſt. Et vbi, vbi ſuperſtes aliquis, ac ſoſpes illius naturę reperitur; illud etiam ipſum ibidem incolume reperiri neceſſe eſt, quod in illius elementis hærebat inſculptum. Iam renouato Genere Mortalium non longum tempus & multorum exercitatione coaluit, & corroborata Poeſis eſt. Zoroaſtres enim nobilis ille Bactrianorum, ac Perſarum Conditor; primus, (quæ longiſſima memoria retro eſt) rem à maioribus acceptam liberaliter expoliuit. Is ducentis annis, aut vix amplius eo, poſt obrutos alluuione Mortales ab extremis Beli têporibus ad Nini florentiſſimum regnum ætate proue&us, ipſumque Ninum in expeditiones ſecutus, de rebus illius geſtis confeciſſe verſibus traditur libros omnino treſdecim. Eundem Eudoxus affirmat de ratione ſyderum, numerorum, elementorum, & cæterarum nobilium artium verſuum vicies centena millia condidiſſe. Illud verò prçclarum, quod de eodem memoriæ proditum eſt. Nam præter omnium infantiũ morem, qui recens editi natalem diem, & miſerrimam vitæ conditionem auſpicari vagitu ſolent riſum,

Zoroaſ. Poematum libri de Nini rebus.

autem ad alteram & ſexageſimam lucem differunt; ſuo natali ipſo die Zoroaſtres ſtatim, vt lucem hauſit, antecepta lætitia riſiſſe dicitur. Vt iam tum intelligeres naſci Poetam, artificem iucunditatis. A Zoroaſtre deinceps ad Aſſyrios progreſſa Poeſis, continuo Paleſtinam occupauit: finitimam Arabiam inuaſit: Adiabenos, Caldæoſque luſtrauit: Orienti ſubdita regna peragrauit: exinde manauit latius ad Perſas, ad Medos, ad Piſidarum Pamphiliæque gentẽ, ad Cilices, ad Cares, ad Phrygas, & vagata longius in Libyam ad Mauros, ad Athlanticum vſque Mare, prouecta eſt. Non tamen quieuit antequàm in Aegyptum ad Oſirim ab Aſſyria tranſmiſſa penetrauit, quem Romani leporis Albius in tẽplis œſtro dithyrambico furentem, cætero vitæ cultu Poetam lautiſſimis delicijs affluentem fecit.

Poetæ Palæſtini. *Arabes.* *Perſ. Med. Cilices. Cares. Mauri.* *Aegypt. Aſſyrij.*

Non tibi ſunt triſtes curæ, non luctus, Oſiri;
Sed chorus, & cantus lenis, & aptus amor:
Sed varij flores, & frons redimita corymbis:
Fuſa ſed ad teneros lutea palla pedes:

Ety-

Et tyria veſtes & dulcis tibia cantus,

E leuis occultis conſcia ciſta ſacris.

O molle carmen, ac tenerum: ſed hoc minus ad rem. illud, quod inſtituimus, perſequamur. Ab Aſia ſerius in Europam traiecit ad Græcos, multo ſerius à latinis verſus eſt agnitus, quanquam in Originibus ſcribit Cato rudes illos, & integros homines (ex quercu natos quos vocant) in conuiuijs, ludiſque publicis, ad tibicinum modos canere ſolitos de Virorum fortium laudibus. multa neceſſario prætereunda ſunt, & tamen multa dicuntur. à Græcis Poeſis admiſſa ſerius, ex culta diligentius, in alijs regionibus diuerſorium, in Græcia domicilium collocauit.

Græci.

Rhemmoe, Virgo Pythia, quemadmodum accepimus, apud Græcos conſulentibus Delphicas ſortes hexametris prima reddidiſſe perhibetur; ad quam Lamiæ Sydoniæ fœminæ, Matris illius munere vaticinandi ratio deuenit. Exin Olenus Lycius edoctus à Pythijs; isque Phœbi Sacerdos à Callimacho ſalutatus in eo carmine, quod Delij inſcribitur. Oleno Pierus Macedo, modulator

item

item Hymnorum ætate cenſetur proximus. Piero Melampus Cumęus, Linus Eubęus, Thebanus Amphion, Cryſothemia Cretenſis, Philemon Citharædus Delphicus, Thamyra Thracius Epicus, & melici carminis Auctor Muſæus: quorum poſtremi quatuor poeſim tanquam hęreditariam per manus ſibi tradiderunt: nam Cryſothemiæ filius Philemon fuit, Thamyra nepos, Muſæus Pronepos, hos Olympus excepit fidicen, genere Miſus Megarenſis domo, quem ſubſecutus eſt Orpheus multi nominis Poeta Libethrius ex Odryſia: tum ex Orpheo genitus Muſæus alter, Nomorum ſcriptor: tum Eumolpus Lyricus, & Piſander Melicus, & Muſæus tertius Epicus, ex Eumolpo ſati, quos omnes ab argumento diuinarum rerum antiquitas Theologos nominauit, ac coluit: nulla dum familia Philoſophorum, nullis Sapientiæ diſciplinis. At qua tempeſtate Theologi floruerunt in Græcia, iam tum, vt ab ijs accepimus, qui ſubtilius notationes temporum tradunt, apud Hebræos antiquiſſimum nomen illius memoriæ primarij Duces ante Regiam poteſtatem conſtitutam rem populi iu-

di-

Apud Hebraeos Poeſis: vſus. Anna Samuelis mater, Debora.

Sed prius Moſes & ſoror.

dicabant. Per id temporis & Anna Sanctiſſima fœmina Dei conceſſu ſuſcepta prole; & Debora recuperata libertate diuinas laudes verſibus illigauit. At quanto poſterius hoc, quam illud fuit, cum ductu Moſis, auſpicio Numinis ab Aegyptiorum ſeruitute ſeſe Iudæa gens aſſeruit in libertatem? Qui dies fuit ille, cum exempti periculo ſerui, Victores dominorum in ſolitudine magnifice triumpharunt! cum fluctibus vtrinqueDucis modo Virga ſuſpenſis: modo caſtigatis, ac recurrentibus obuolutus eſt ſanguinem ſpirans cum impio Rege comitatus? Cum popularibus inſperatæ Victoriæ gratulationibus, ac præconijs hoſtium ſtrata cadaueribus Erythræi maris littora perſonarunt? Tũ Virorum hic chorus, ille fœminarũ in choream ludibunde diſſolutus, ac fortuita fronde redimitus pedum numero, manuum plauſu carmine patrio vim præſentiſſimi Numinis, animaduerſionem hoſtium repentinã, lætiſſimum ſubitæ libertatis diem, præeunte Moſe Choriphæo, Moſiſque Tympaniſtria ſorore celebrauit. Eſt in manibus, & fertur in primis præclariſſimum vtriuſque carmen

& Sororis, & fratris, quod cum legimus, quos Pindaros non contemnimus? Idem hic Moſes ab Aegyptijs Sacerdotibus, vt mos erat gentis, in Aula regia liberaliter educatus hauſiſſe creditur ab illorum fontibus omnes humanæ Sapientiæ diſciplinas. ergo cum ſæpenumero de rerum principijs illorum vanis, ac fabuloſis ſermonibus interfuiſſet, cognouiſſetque de diuina Natura, de primordijs, opificioque Mundi, non ſuperſtitioſe ſolum inter illos, ſed etiam ad ridiculam inſaniam ambigi; doctiſſimus Vir, & hæres patriæ, veręque ſapientię ducente Deo retrolapſa Mundi ſecula peruagatus, vniuerſi generis humani nodum cum hominum impijs opinionibus implicatiſſimũ extemplo ſapienter enodauit ab ipſo Capite replicatum. Hic tandem monitu diuino rerum exordia verſibus, & prima ſemina generis humani vaticinatus eſt: adultum quoque Mundũ proſecutus & ſeriem gentiũ, & progreſſiones conſequentium temporũ. Conſenuerat Iudicum diſciplina, cum Saul Hebræorum primus publicam rem feſſam, diuinitus inauguratus auctoritate regia ſub impe-

rium

rium accepit. Hoc Rege melici cā-tus, hymnorumque vſus à Pſalterio paſtoritio quàm vnquam alias cultior increbuit: tum vero magis poſteaquam deiecto Gigante Victor Ephæbus, perpetuis puerorum ac puellarum agminibus ſtipatus, pātrijſque modulis laudatus, & ouans ingenti lætitia per oppida Iudæorū, Paleſtinæ totius humeris inuectus eſt. Per idem tempus Grecorum opibus exciſum Ilium Homero, quem Heſiodo (quantum quidem aſſequi cōiectura poſſumus) & equalem, & conſobrinum fuiſſe comperimus; argumentum Epopeię dedit. At ipſe conditor Iliadis, inferior Troiano bello ſuperiorem Dauidem habet non ætate ſolum, & integritate morum, quod omnes fatentur, ſed etiam ingenij facultate quod nō nemo negat. Hoc neque Paſtore quiſquam vrbanus elegātior, neque Puero prudentior, neque Rege ſanctior, neque Vate diuinior, aut vberior vnquam fuit. Quanquam ille quidem aptior citharæ dictus, melicos modos à diuinis laudibus & ingenitę virtutis præconijs ingenioſiſſimus, ac ſuauiſſimus Poeta nunquam detorſit. Græcorum Poeſis ho-

Victoria Dauidis carmina celebrat.

hominum culpa aliò dilapſa, non item: quæ voluptatis aucupio, dum Multitudini placere ſtudet; contra præſcriptum Prudentiæ ſeſe dedens, in templis, in theatris, in triuijs, artificio ancillari, ac ſordido obſoleuit. Hic ergo non quæro quid Græcia fecit: cum quid faciendum fuerit, non ignorem. Etenim Deorum ſuperſtitionibus impedita Natio, tantum abfuit ab honeſtate morum, quanto longius à vera Religione peregrinata eſt. Ita deſerto primæ pulchritudinis, hoc eſt Diuinitatis argumento, pulchritudinis ſimillimæ primæ: hoc eſt Honeſtatis in proxima ſede non ſtetit: ſed nequiter otioſeque conniuens, inferiuſque delabens, ſimilitudinis inanis ſpeciem, & fugacem vmbellam quandam conſectabatur, Religionis, Veritatis, Honeſtatis inimicam, hominum prolapſa vitio, non facultatis. Apud Hebræos Vates omnia ſanctiora, quia veriora. Nos enim ij ſumus, qui nequaquam falli putamus eos, qui Poeſim omnem, & poetici decori naturam, & iuſtiſſimæ Reip. ſtatum, Religionis, Sanctitatis, Veritatis ratione moderari volunt, vt illa etiam ipſas vir-

Contra impncos Poetas.

tutes, ex quibus Honeſtatis, ratio ducitur. Quod ſi virtutes ipſæ diuinis præſidijs, & veræ Religionis adminiculis exutæ, felicitati ſeruire non poſſunt; quid de Poetis ſentiẽdum eſt, qui ne canere quidem aura deſtituti Numinis poſſunt? à quibus niſi felicitas hoc impetrabit, vt velut initiati veræ Sapientiæ ſacris, & caſtæ Religionis Antiſtites, operam ſuam Honeſtati, Dignitati, Reip. dedicent, expellantur. quid enim illis aliud facies? admittamus, obſecremus, audiamus? Ego vero non magis iſtos, quàm Gnathones quàm Phormiones, quàm ſicarios, quàm veneficos, quàm ſacrilegos, quàm perduelles. quid enim intereſt inter eum, qui ſe ſe ducem, ac miniſtrum ad omne facinus nefarijs ciuibus præbeat, & eum qui bonis ac malis hominibus omnium præbeat inſtrumenta vitiorum? Quapropter Poeſis Hebræorum, ac veterum Vatum, Sanctitatis veluti ſoboles, ac propago Veritatis, quoad literæ loquentur, ſemper extabit. Dauidis vero Melopeia caneſcet ſeclis innumerabilibus. Et Sponſi, Sponſæque caſtiſſimæ blanditiæ, vinctæ numeris apud Salomonem:

Sacra Poeſis ſenſu vigilet.

Et

& Prouerbiorum eiuſdem admonitiones ſalutaribus incluſæ verſibus. & Threnorum elegi lamentabiles ſuper occaſum Solymorum: & ſuper Iudittæ Victoria lętiſſimum ac glorioſiſſimum tripudium: & recuperati ſermonis primus, & primus fœtus Zachariæ canticum: & maximæ Virginis ac Parentis magnificè ſe ſe demittentis, & modeſtiſſimè efferentis Carmen multò iucũdiſſimum tam erit diù, quamdiù erit humanum Genus. Nolite, quæſo, præteruehi veſtras aures, quod extremo loco poſuimus, Auditores. Eſt enim eiuſmodi, in quo fortunas omnes Poetarum collocatas putem: vt etiam ſi cæterarum à nobis fiat iactura rerum; hoc tamen vno detrimenta compenſari credam. Vbi ſunt, qui poeticam facultatem è numero bonarum Artiũ eximendam, & Poetas è Ciuiũ ſocietate ſegregãdos putent? Enimuero geſtit hic animus audacter quoſdam huiuſce ætatis homines appellare; non enim poſſum ferre diutius illorum an inſcitiam, an imprudentiam, an vtrumque? qui cũ bina, & bina quot ſint, aliquando didicerunt; inflati opinione Sapiẽ-

tiæ, Mineruæ, quod aiunt, ſponſalia ſibi depoſcunt. Summos Viros, Vates egregios, legislatores optimos in Poetarum numero recognoſcimus. quid hic dicant omnis humani moris, ac vrbanitatis ignari? ipſam, ipſam, inquam, voluptatis, & Honeſtatis integerrimam Matrem, ipſam Cœli, Terræque Reginam in eundem numerum includimus. hiſcere audebunt? Illam indecorè feciſſe dicent? at qua fronte? quam nec perfricuerunt. quo more? quem funditus repudiauerunt. quo conſilio? quod amiſerunt. quo exemplo? ſuo. Suo dũ dico; agreſtium, & imperitorum dico. quibus ſocijs, & auctoribus? ſui ſimillimis, inhumanis, ac barbaris. quo enim alio nomine illos appellem neſcio. Ita ſe res habet, Auditores, Dei Matrem integerrimam Virginem, Generis humani ſoſpitam Parentem, Nutricem Virtutum & animorum, honeſtatis, elegantiæ, manſuetudinis, humanitatis Altricem, Auguſtini verbo Tympaniſtriam, aduerſariorum confeſſione Pſaltriam, veſtra conceſſione Poetriam nominamus. Hic ego nõ miror, atque adeo non indignor,

eſſe

eſſe quoſdam ita rerum omnium, an ignaros? an oblitos? qui cum quotidie vel ex alijs audiant, vel ex ipſis alij Tympaniſtriæ Diuinæ præſtantiſſimum carmen, cõtumelioſe tamen in Poetas inceſſere maledictis, & honeſtiſſimæ facultatis gloriam decerpere non vereantur. Si, quia neſciunt (quanquam excuſari tanta rei tam illuſtris ignoratio non debet) quoquo modo ferendi tamen ſunt. Si, quia ſe neſcire diſſimulant; quis ferat illorũ contumaciam, qui dicant contra, quàm ſentiant? Si, quia contemnunt, quod non ignorent eſſe laudabile; profecto tanta morum, & ſententiarum peruerſitas non redarguenda iam, ſed acriter punienda eſt. Non placet Faunis noſtris ſtudium Poeticæ facultatis. mirarer, ſi placeret. nec cythara, nec ambroſia Satyrorum eſt: dicebat olim in iurgio Syluano Mercurius. ſibi non placet. At placuit ſapientiſſimo, legumque optimo Conditori Moſi; qui tum alia permulta de Deo, (quicum per quam familiariter congrediebatur) accepit: tum hoc ipſum cognouit, quod deceret, & quatenus ſapientem Virum. pla-

 cuit

cuit Dauidi, Regum maximo, Vatum præſtantiſſimo, cuius Poeſis omnium gentium commendatione tamdiu cõmendabitur, quoad erũt, qui admirari poſſint. de quo Hieronymi præclarum illud elogium eſt. Dauid Simonides videtur, Pindarus, & Alcæus, Flaccus quoque & Catullus,atq; Serenus. Chriſtum lyra perſonat, & in Pſalterio decachordo ab inferis excitat Reſurgentem. placuit eius filio Salomoni, quemcum audimus dicentẽ, ipſam videmur loquentem audire Sapientiam, placuit quatuor ſummis, & præſtantiſſimis Vatibus, Iſaiæ, Hieremiæ, Ezechieli, Danieli: quorum primus occultarũ euenta rerum impoſterum longiſſimè præuidens, elegantiſſimo carmine non futura diuinare,ſed demonſtrare præſentia videtur. Secundus virgam nuceam, vt Hieronymi verbis vtar, & ollam ſuccenſam à facie Aquilonis, & Pardum ſpoliatum ſuis coloribus,& quadruplex diuerſis metris nectit Alphabetum. Tertius capita ſummarum rerum, ac nexus vltimos tam multis, tamque abditis imaginum integumẽtis occulit; vt apud Hebræos olim illius

Poe-

Poeſim,quemadmodum etiam Moſis de Mundi primordijs carmen, ante trigeſimum annum attingere religio eſſet. Quartus totius Mundi Polyhiſtor additis etiam notationibus temporum perpetuam cõſequentium rerum ſeriem ducens, & lapidem nullis viribus abſciſſum, & in abruptum de monte deuoluẽs, & illius impulſu funditus euertens regna terrarũ aperto carmine Chriſti Regnum auguſtiſſimum vaticinatus eſt. Sed quid ego ſingulos commemorem? Sapientiſſimis hominibus, optimiſque Vatibus, qui Maiorum memoriam virtutum, imitatione conſecuti ſunt, ita placuit Poeſis; vt eorum fuerit nemo, qui non ſua de grauiſſimis rebus Vaticinia, Poetarum vel numeris condiderit, vel ſimilitudinum coloribus pinxerit. Parabolas vocant noſtri figmenta ſimilium, ac diſſimilium rerum: ijs vt videtis in diuinis literis nihil eſt denſius. At ex illarum coagmentatione poeticus totus eſt luſus. Quin etiam collationes, imagines, ſimulacra, pigmenta, cõmenta rerum atque perſonarum, quas alio nomine Fabulas, & argumenta Rhetores vocant; propemo-

dum rem eandem omnino continēt. Nec defuere qui dicerent Homeri Poeſim, quamuis ex ea verſus hexameter auellatur, in quem alligatæ ſunt illius fabulæ; perfectiſſimam tamen Poeſim futuram. Ob eandē cauſam, licet ab illius oratione verſus abſit, magnus Philoſophus, aliquanto maior Poeta non paucis viſus eſt Plato: propterea quod eius Philoſophia non in Dialecticorum vepretis; ſed in myrtetis, atque hortulis verſata Poetarum, & amœnitatem ſecuta dictionis innumerabilibus fabulis libros referſit hominis, & florum omnium vndique lectorū manipulis diligentius penè, quàm Philoſophiam decebat, aſperſit. Sed quoniam illi quos nominauimus; tot, ac tales Viri, ſeueriorem, aſtrictioremque chriſtianæ Philoſophiæ diſciplinam, ætate vetuſtiores præſagire magis, quàm præſtare potuerunt: veniamus ad eos, qui ſalutis reſtitutæ felicitate recentiores Schola Veritatis egreſſi, ſuperioris ætatis & emendare mores, & ſcientiam poſſunt. Paulus gentium Magiſter, è cœlo delapſus primis illis, ac ſanctiſſimis chriſtiani generis hominibus ſuadet; vt ex animo Deo pſal-

pſallant, acuantque ſacrorum numerorum iucunditate pietatem. Heſiodi quoque verſibus vtitur in conſilio Athenienſium, vbi de diuina prouidentia diſputat in Areopago. At ille tamen Paulus hic eſt, qui ſupra deplorabat impiam quandam & fabulis deditam poſteritatē; vt magno argumento ſit ſapientiſſimum Doctorem, è cœleſti quaſi lycæo profectum non ipſum aſpernari genus, ſed generis finire modum. modus inde ductus ad poſteros diù tenuit, & nunc tenet; vt ex inſtituto publico Chriſtianorum conuentus in Templis certis horis hominū ordinibus conſecratis, per quos id fieret piorum carminum ſuauitate permulceant. Eique rei illi ipſi præſtantiſſimi Theologi, quos ſupra laudauimus, multam operam impertiti ſunt. Ambroſij numeri recitantur in templis: Auguſtinum vt credam carmen dediſſe, facile adducor: quòd in ſpatijs Rhetorum diu cum ingenij magna laude, verſatus eſt. carmine certauit cum Auſonio Paulinus, atque ex Helicone profectus Muſas, vt ipſe dicebat, in Caluariam deuocauit. Et Tertullianus ipſe non abhorruit à

Poetis : Et Origenes in carmine pangendo magnum ingenij ſpecimen præ ſe tulit. & Cypriani luculentum carmen habetur in manibus de Chriſti Supremis & Gregorij Rom. Pontificis doctiſſimi, atque optimi melici concentus, ac verſus, ne quãdo ex animis effluerent, quotidie Sacerdotum voce recinuntur. Verum etiam innumerabiles alios numerare non vacat, Iuuencum, Lactantium, Victorinum, Damaſum: quorum poſtremus ante Poeta, quã Pontifex, vt Mauſoleum ſibi conſtrueret; monumenta Martyrum carmine celebrauit, cui Conchylia nomen fecit. Victorinus hymnos ante de ſanctiſſima atque augusta Triade quam Græci vocant, Trinitatem latine difficili fortaſſe verbo, ſed vſu molliendo dicimus, deque natura diuina ſatis eleganter (vt illa erant tempora, modulatus) poſt Machabęorũ victorias epico carmine complexus eſt; Lactantius triũphum ex inferis à Chriſto reportatum. Iuuencus res geſtas Euangelijs explicatas, heroicis eſt verſibus exſecutus; Nam Attilium Seuerũ omittimus, qui de ſuis rebus, ac peregrinationibus carmen compo-

ſuit

ſuit multis diuinæ Prouidētię laudibus,quaſi floribus aſperſū chriſtiano Vate dignū, quod Odiporion dixit, Nihil de Proba Falconia, nihil de Eudoxa minoris Theodoſij Coniuge fœminis honeſtiſſimis atque doctiſſimis dico; quarum altera de Chriſti laudibus in ampliſſimo grauiſſimoque argumento luſit ea lege quam poeticæ ſonus dabat; Nam Virgilij verſibus de induſtria conciſis, particuliſque compactis id genus carminis coagmentauit, quod centonem vocant. Altera poeſim Homeri, centonem vt etiam ipſa Chriſto conſueret, Imperatoria videlicet auctoritate diſcerpſit. Mitto Manlium Seuerinum Boethium Conſularem Virum, cuius ægritudinem, vt videtis, verſibus minuit Philoſophia. Prætereo Prudentium ætate Claudiano ſupparem, elegantia imparem, pietate ſuperiorem: Cœlium Sedulium taceo Prudentio ipſo tam ingenio, quam ætate minorem. Miſſos etiam facio Sidoniū Apollinarem,Alphium Auitum, Aulum Licentium, cui minus vellem licuiſſet. Is enim, cum in diuinis egregiè ſteτiſſet, collegiſſetque non mediocrem gloriæ fructum; repen-

te mutato conſilio Chriſtianus Poeta, nec dum bene reſtincto calore pietatis, protinus ad fabulas abijt, Pyramũ & Thisbẽ babylonios errãtes amentiſſimè aſſecutus. Scilicet item Aratorem, Venantium Fortunatum, Proſperum Rheginum Epiſcopum, Marcum è Sancti Benedicti integerrima diſciplina Poetam, tacitos eſſe patiamur, quorum Arator de rebus Apoſtolorum geſtis hexametris libros cõfecit omnino duos. Fortunatus, à Sancto Martino ſupra naturæ vires edita facinora quatuor verſuum voluminibus à ſe comprehenſa ſuæ voluit eſſe pietatis erga Sanctum Virum teſtimonium, & elegantiæ monumentum. Proſper religioſiſſimus Pontifex, & Poeta de diuina prouidentia lyra canens, magnam lyrici nominis gloriam occupauit: in eo vero carmine, cuius aciem diſtrinxit aduerſus ingratos, eam ob cauſam minus placet; quod Dei, Optimi, Maximi beneficijs quoſdam homines ingratiſſimos in eo libro non numerat Poetarum inimicos. Marcus additur Benedicti diſcipulus qui cum gratiſſimus erga Magiſtrum optimum vellet videri; laudes illius pereleganti, vt

in

in illo ſeculo;, carmine celebrauit. Roſoita quoque Poetria Saxonum genere fœmina omittatur, quæ etiã Roſſana, Othonibus moderantibus Virginitatis, ipſa perpetua religione conſecrata de ſuæ Reginæ, hoc eſt Parentis Dei laudibus elegis querimoniam flebilem ordiens, videtur amicæ deſiderium ferre non poſſe. Virginis integerrimæ Virgo ſimilitudine amiciſſima: ſex etiam Comœdias Populo dedit; vt mirum ſit tantum Virgini licuiſſe. Bedæ Sanctiſſimi viri ſuperior ætas fuit. is Carolo Regi probauit induſtriam ſuam, qui à magnitudine rerum geſtarum Magni cognomen adamauit. Cum enim Poeſis ad tempus non quidem exaruiſſet (fluit enim, ac fluet allapſu perenni quæ perpetuo Naturæ fonte continetur) ſed, ceu Nilus infra gremium terræ fluminis caput; ſic etiam illa, cum vim ſuam intra tempeſtatis illius inſcitiam, ac reticentiam abdidiſſet; Bedæ rurſus opera ac beneficio Regis, poſtquam perdiù latuiſſet, erupit. amnis inſtar deinceps vberiore tractu ſe ſe euoluit per Claraualleníem ſolitudinem ad Bernardum: per Aſſiſinatem receſſum ad Bonauenturã:
per

per amœna Theologiæ ſpatia ad Theologum Thomam: exinde per omnia Europæ Lycæa, per omnia gymnaſia dimanauit ad eum vſque finem, quoad hominum culpa tertio ſe condens, & rurſus emergens, à Latio flexit in Ethruriam vt Tyberim in Italia Arni flumine vel cõfunderet, vel mutaret. Nec ita multa ſæcula interfluxerunt, cum quaſi illam pęnituiſſet, quod è latino genere deſciuiſſet, Patriæ iam memor, ac ſtudioſior apud alias nationes, alio quidem ſono fluens, ac eundem humorem vehens ad noſtram, & ſuperiorem memoriam huius ac prioris ſæculi delapſa eſt. Vbi Romanorum Pontificum liberalitatem, & elegantiam chriſtiani nominis Imperatorum, Regum, Principum, quaſi purius nacta ſolũ, Europam omnem irrigauit, ſuique lætificauit ingenti alueo ac ſatu. Hinc Alexandros, hinc Iouinianos, hinc Maiorum noſtrorum æuo Syncęros, hinc Politianos, hinc Fracaſtorios, hinc Bembos, hinc Amalthæos, hinc Flaminios, hinc Caſtiliones, hinc innumerabiles alios ad ſummam elegantiam excultiſſimos Poetas fœcundo partu expoſitos

alen-

alendos vt olim Tyberis Romulū, & Remum latinæ Nutrici dedit. Inter hæc tamen Arnus in Italia, Tyberi reſonantior, quam plenior, quantam Ethruſcorum amœnitatē, quantum incrementum attulerit, referrem; ſi quemquam veſtrum lateret. Sunt in manibus omnium monumenta cultiſſimorum Poetarum, quorum vos nomina tacitè recordari poteſtis. Quod igitur Celtarum Nobilitati, hoc Poeticæ naturæ accidit. Celtarum, & Germanorum fines nobilis amnis Rhenus interfluit, Auditores. Natio vero tota ita de Celtarum genere, & nobilitate gloriatur; vt cum omnes ſe Celtas eſſe prædicent, difficile iam reperias in ipſa Germania verè Germanos: quod diſcrimen nobilitatis, hominum iactatio deleuerat, vt ignorarent omnes. id vt omnes agnoſcerent Rhenus, de quo dicebamus, oſtēdit. Hic enim magno continentium imbrium auctu, nimiumque tabe cum intumuiſſet, & extra ripas ex alueo ſuperfuſus circumiectam regionem inundaſſet; multos mortales ſubitis fluctibus, ac vorticibus occupauit cū vaſtitate totius pene Prouinciæ. fu-

neſtæ

neſtæ fere domus omnes, complu-
ribus extinctis, pauci ſuperſtites nu-
merabantur. Verum, cum diligē-
tius rem animaduertebant, reperie-
bant illis dumtaxat familijs peper-
ciſſe flumen, de quarum ingenua
nobilitate, ac germanitate ambigi
non poſſet. Rheni factum quo de-
ducam, videte. Mortalium vel er-
rore, vel prauitate ante Chriſti Op-
timi & Maximi Magiſtri ſapientiā
hominibus oblatam ingenuarum
vere Artium, ac nobilium diſcipli-
narum per ſummam iactantiam in-
geniorum ita vultum ac ſpeciem
obſcurè confuſam vidiſſes; vt inter-
noſcere diſtinctè non poſſes veri ge-
neris, ac nobilitatis notas. Errabāt
igitur opinionibus abducti à recta
ratione homines: fœda paſſim im-
peritorum lues: nulla veræ laudis
apud mortales maximam partem
diſcrimina: confuſa notio Honeſta-
tis: nulli gradus officiorum: veræ
latebat ſpecimen humanitatis, &
manſuetudinis dignitas: cum inge-
nuis Mathematicis Coniectores, cū
Ariolis Prudentes: vitia demum
cum virtutibus falſa quadā ſimilitu-
dine conglobata in turba promiſcue
concernebantur. Adfuit tandem
ali-

aliquod ſapientiæ cæleſtis auxilium; quæ, cum è cœlo pleniore quam vnquam alias flumine delaberetur ad terras quaſi Rhenus, quorum erat dubia indoles, dignitatis adumbratam ſpeciem generis ab ingenua laude ſegregauit. E mortalium ſtudijs quam multa reiecit? quàm nō pauca correxit? Ijs tantum Diſciplinis abſtinuit, quarum facultatibus vera Virtus, & germana forma Veritatis, & nominis exiſtimatio cōparari poteſt. Quæro nunc è vobis. Ecquid ſeuerior Chriſti Sapientia Poetis nocuerit aliquando? Quæro. Numquis extiterit, qui negaret cū Chriſtiana ſapientia commoditatē, & elegantiam conuenire Poetarū? Vnus, vnus impius deſertor, vnus Iulianus Chriſti hoſtis infeſtiſſimus repertus eſt, qui id affirmare potuiſſet, cuius tam impiam orationem, oratoria, & poetica eloquentia Gregorij Nazianzeni, qui cognomentū à Diuinitate ſcientiæ reportauit; ita confutauit: vt nihil illa bellua ſtultius, nihil videatur fuiſſe dementius. Nunc igitur, ne veſtra facilitate diutius abutar, Auditores; incidam oportet non tantū media, ſed etiam extrema, prudentia veſtra magis

quam

quam beneuolentia, temporis anguſtijs excluſus. Quod ſi noſtra non claſſica potius diſputatio, quæ ſedatis rationibus vti ſolet, quàm cōcionalis contentio eſſet; vbi qui dicunt cōcitationibus abutuntur animorum in peroratione, more ſummorum Rhetorum enumerando, quodammodo retexerem orationem meam. Vbi, ſi placeret inſiſtere vehementius; quantis à me clamoribus illa tollerentur, quæ ſtrictim de Poetarū fine demōſtrauimus, quem cum philoſophico fine ſociatum publicę felicitatis ratione comprehendimus? quæ de officio, quod honeſtæ ſuaſionis complexione cōcluſimus, quæ de materia, argumento, quod iiſdem finibus circūſcripſimus quibus omnis diſtributio virtutis, ac Ciuitatis vniuerſæ finiuntur gradus: quæ de facultatis ipſius præſidijs, & & adiumentis, quæ numerorum ac fabularum decora imitatione collegimus quæ de ſtirpis antiquitate, ad vltimam hominum memoriam redordiri poſſumus; quæ de diuerſitate generis, quod nunquam interruptum, at perpetuum ad noſtram vſque tempeſtatem deueniſſe didiciſtis: quæ de propagatione facul-

ta-

tatis, quam cum hominum genere ſeminatam nulla regio non accepit: nulla ſanctior diſciplina ſummouit: nulla barbaria violauit. Si vero enumerare vellem oportunitates, ac commoda, quæ publice, priuatimque percepta ſunt è facultate Poetarum; verba mihi credo deficerent: cũ poſſim oſtendere opulentiſſimos Reges, Nationes bellicoſiſſimas, maximas, ampliſſimaſque Prouincias Poetarum ſæpiſſime voce fuiſſe ſeruatas. Fugit me vero Tirthei Poetæ factũ, qui Lacedemoniorũ attritas opes, anapeſtis redintegrauit: ignoro Solonem, qui amentiæ ſimulatæ carmine cum poſſeſſione Salaminæ dignitatẽ Patriæ recuperauit; nunquam audiui morem Battrianorum, qui naturę neceſſitatem vltimã carminis conſolatione mitigabant: neſcire me arbitramini Perſarũ Pęane ſępe Barbarorum innumerabiles copias fuiſſe contritas: non aliquando legerim Druidum modulis inflãmatas Gallorum bellicoſiſſimas Ciuitates ad terrorem vſque gentium exterarum maxime bellica gloria floruiſſe: veterum inſtituta Romanorum, Carthaginenſium, Hiſpanorum non noui, quorum copiæ non

ante

ante cum hoſte conflixiſſent, quàm armata quędam Poeſis bellicum, ceu furibunda Bellona cecinisset: nō denique diuinas ſortes, non Vatum oracula, non Sibyllarum reſponſa, cognoui, quarum carminibus & maximis, & publicis ſæpe calamitatibus obuentum eſt. Hæc, inquam, niſi veſtrę prudentiæ magis, quàm Rhetorum diligentiæ conſiderem; recenſerē enumerando, Patres. Verum magis hoc tempore me decet intelligere, quod vobis commemorari oporteat, quam quid ego cōmemorare poſſim. Vos antē, Adoleſcētes, quibus hoc anno myſteria Poetarum, Ariſtotele Myſtagogo, reſeramus; quanti præſtantiſſimi Philoſophi ſummam auctoritatem facere debeatis; hæc honeſtiſſima doctiſſimorum hominū corona vobis ſilentio dicet. Quæ doctrinæ copiam, ac veritatem, quam in vno quoque ſuſpicitis, ex hoc ſeptem nobiliſſimarū artium Magiſtro ad ſe, tanquam ex ſeptemplici Gange deriuaui. Accipite vero præceptricem Honeſtatis, felicitatis Alumnam, veræ laudis altricem, Philoſophorū Principis auctoritate commendatam, dignam ingenio veſtro, dignam ætate, dignam indu-

induſtria facultatem. Quam ab ipſo ſatu noſtri generis pubeſcentem, & in omnem ſobolem diſſeminatam, nullus interitus hominum interemit, nulla temporum iniuria labefactauit: nullum naufragium, nulla terrarum eluuio obruit: nulla natio repudiauit: nulla regionum vaſtitas ſemouit: nullus oceanus diremit: nulla rerum humanarum conuerſio mutauit: nulla reticentia poſteritatis extinxit. Sit vero vobis Poetarum nomen grauiſſimum, ipſam autem Poeſim Dei munus ampliſſimum habetote. cuius vim, atque ſenſum, quo ſanctius illius voluptate frueremur; diuinæ literæ luſtrarunt: quo doctius, ſummi Philoſophi coluerunt: quo iucundius; Natura ſuſcepit: quo honeſtius; Deus inſeruit. Quod enim Dei nutu, ſuaſuque fit; id ab omnibus decorè, caſtè, iucundè, commodè fieri nemo negabit: ſi bene ratiocinari volet.

PRO-

PROSA V.

DE IVSTO,

Seu quid Reip. Chriſtianæ tribuendum ſit

Dicta in Aula maxima Collegij Romani 2. Nouembris anni. 1598.

In ſolenni Studiorum inſtauratione.

SI, quod inſtituto Solonis Athenienſium liberi Mineruæ quinquatribus ad nouum Ciuitatis Principem iuris iurandi religione de ſe polliceri Patriæ iubebãtur; vos quoque nunc, quo tempore nouus veſtri laboris aperitur annus apud aliquem Magiſtratum profiteri res noſtra publica iuberet; quæro de vobis Adoleſcentes, ecquid adhuc animis veſtris conſtitutum, certumque ſit, quonã egregio promiſſo

miſſo veſtram indolem in hac luce, lectiſſimorum Virorum probare Patriæ parati ſitis? liceat mihi per veſtram humanitatem N. N. N. hoc orationis aditu tacitos horum Iuuenum explorare ſenſus; & quoniã ſubnata vobis hæc ætas in ſpem veſtræ non ſolum ætatis, ſed etiam virtutis adoleſcit; ſinite me per hæc annui laboris initia, quæ non abſurdè Quinquatria noſtra dixerim, & quædam quaſi Panathenaica doctrinæ, nobiliſſimæ quondam Ciuitatis memoriam, & liberalis inſtitutionis exempla reuocare.

Dicebã, Adoleſcentes (vos enim potiſſimùm hodierna hæc appellat oratio) de Iuuentutis Atticæ iureiurando, quod lege Solonis, quotannis ad inflammanda ſtudia domeſticæ gloriæ Iunioribus publicè dabatur; etenim quo die ſummus Athenienſium Moderator honorem inibat, ſimul Panathenaicos ludos patrio more per præconem oppidatim indicebat, quo facto incredibile dictu eſt, quantæ continuò fierent vndique Ciuium effuſiones ex oppidis, quantuſque Athenas omnium Ordinum concurſus eſſet. In ea celebritate ludorum, cum omnia magnifi-
cen-

centiſſimè curabantur, tum iucundiſſimum ſpectaculum Adoleſcentes erant. & illi quidem nõ dum è pueris exceſſerant, cum ſenem animum, & conſilia publicæ dignitatis præcipere condiſcebant. Templum fuit Athenis ad Pritanæum opere ſumptuoſiſſimum, opinione religioſiſſimum, Athenienſium Præſidi Mineruæ ſacrum. Huc edicto Prætoris euocati confluebant è pędotribijs ingenui centuriatim à Magiſtris deſcripti puberes, qui Ciuium incenſi ſtudijs in morem delicatè capillati, mitellis, ac vittis redimiti ſacris, amiculiſque ſplendidis induti, laudes Deæ, quam Inuentricem Sapiẽtiæ, Præſitemque doctrinæ credebant, patrijs modulis exequerentur. Exacto carmine, ſilentium. hinc Solonis leges recitabantur. tum ad Aram Templi maximam poſita curuli ſella maximus ſacrorum Magiſter in frequentiſſimo Ciuium conuentu. Iuuentutem per Deſignatorem ad Sacramentum Solonis ex cõſuẽtudine citabat. Procedebant in medium ordine tributim centuriati puberes ad ſimulacrum Deæ, verbiſque conceptis pulcherrimum hoc ius iurandum religioſiſſime iurabãt.

Adeſte

Adeſte mihi nunc animis, Iuuenes: veſtra res agitur: cognoſcite, quæſo, diligenter quantam ex iſta tunc ætate fortitudinem, quantam religionem, quantam fidem vnius hominis inſtitutio Reip. repoſcebat. ſimul cum inter Solonis humilem, iacentemque ſolertiam, & Chriſti Optimi Maximi diuinitatem, ac ſapientiam, intelligetis infinitam eſſe diſtantiam; tum demum conſtituite, per Deum, quid vos Diuinæ diſciplinæ moribus excultos plus opinioſiſſimę Ciuitatis Iuuētute chriſtianæ Reip. non iuratos quemadmodum illos, ſed voluntarios deſpondere verum ſit. Aſtabant, inquam, ad Aram egregio cultu corporis adoleſcentes, atque hæc audiēte multitudine, præeunte Pontifice, clara voce pro ſe quiſque iurabat. *Audite Ciues: audite Cælites: audi Iupiter: & quod te, Pallas, obteſtor; audi. Si Patriæ meæ ſaluti commodum priuatum vllum anteponam, niſi pro ſacris, profaniſq; rebus eius ſiue ſolus, ſiue cum multis, vel in vltimum diſcrimen animā offeram: ſi Patriam in deteriore, quàm nunc eſt rerum omnium ſtatu moriens relinquam: niſi multis partibus me-*

liorem, quàm à maioribus acceperim Remp. poſteris tradere pro virili parte contendam; ſi militiæ Ducis auſpicium deſeram: niſi domi Magiſtratibus obtemperabo: ſi legem vllam euertam: ſi decreta maiorum negligam: ſi populi ſcita cõtemnam: ſi defugiam authoritatem Senatus: ſi patrium morem vllum prudens vllo meo flagitio conuellam: niſi contra ſtrenuè repugnabo, ſi quis hoſtiũ, aut Ciuium hæc vel omnia, vel aliqua ex parte labefactare conabitur: niſi communem hanc iniuriam, aut ſolus, aut cum pluribus vlciſcar, oppoſituque defendam corporis: niſi traditam à parentibus, vt ad vltimum ſpiritum eorum religionem colam, conſtantiſſimè patria ſacra retinebo: tum vt vos mihi ſummi Cælites, tuque rex Iupiter infenſi, infeſtique ſitis, Ciueſque Diuorum, & Patriæ vindices ſunto, huius in Patriam perpetuæ voluntatis; Tu Patriæ Præſes Tritonia Pallas (& cum dicto ſignum eburneum Deæ tangebat) *eſto teſtis, & conſcia.* Audiſtis? tantam ne vero magnitudinem animi, tantam religionem, fidem ad conſeruandam Reip. dignitatẽ hodie Solon exigeret ex vobis?

Si

ſi quidem ipſe, non Chriſtus noſtrã Remp. condidiſſet; quantam, amabo vos, Chriſtus ipſe Regalis Sacerdotij Pontifex optimus, idemque Sapiẽtiſſimus requirat ex vobis, quam dare poteſt, præſtantiam virtutis omnis? Potuit Solon à ſuis Ciuibus impetrare prodigum vitæ ſpiritum, & vitalis ſapientiæ cupiditatem: à ſuis Chriſtus extorquere non poterit? gloriantur Athenæ Solonis inuentis optimis aliquãdo ſtudijs floruiſſe Iuuentutem ſuam: Auguſtiſſimus Chriſti Principatus nullo veſtro præclaro munere glorietur? Videor mihi veſtros animos haud ſane mediocriter impuliſſe: magnũ quiddam nimirum eſt, ſed inuolutum, nec dum vobis ipſis manifeſtum, quod apud ſe veſter animus tacita cogitatione verſat. Id euoluere fortaſſe vobis, quàm mihi minus expeditum ſit. ideo, niſi deinceps orationem meam veſtra diligentia deſtituet; explicabo, quò per vos ipſi ſtatuere poſſitis quam mẽtem ex hoc tempore, ſi vnquam alias, & quem animum erga Rempublicam, quemque ſapientiæ ſenſum vobis ſuſcipiendum putetis.

Quod in omni bene morata Ciui-

tate perpetuum fuit, vt aliquid eius Ciuibus proponeretur extremum, quo tanquam ad finem conſilia dirigentes, communi, quam expeterēt Reip. felicitate fruerentur; id multo facilius,& verius in ſēpiterno Chriſti dominatu ſpectari licet. Nam Perſæ quidem (vt ab ijs mea velificetur oratio, à quibus latiſſime quondam regnatum eſt) Zoroaſtris legibus temperati, primum habere dicuntur in ciues pacatam; in hoſtes Regni formidoloſam exercere vim. huc difficilium laborum facilem tolerantiam adſciſcunt: his initijs progreſſi longius iuuenes ex legibus adiſcunt nihil mentiri: ſuo contentos eſſe: rem alienam, aut laudem imminutum non ire: maioribus natu plurimum tribuere: colere magiſtratus; aſſectari, reducere, nuſquam illis deeſſe: venatu plurimo militiæ præparare vires: magnum vectigal eſſe parſimoniam: diuites habendos, qui finiant cupiditate modum: ad ſecundarium panem addito naſturtio nihil ſuauius, contractis autem adhunc modum cupiditatibus; vitæque lautioris exoticis voluptatibus amputatis; nihil ſupereſſe cauſſæ putant, quam ob rem ſeditioſè

vexare Remp. & à moderatis Ciuibus diſſidere iuuenes temperati velint, cum alteri nolint eripere, quod poſſidere non poſſint: nihil alteri poſſideant, quod poſſit eripi.

Non multum à Zoroaſtre diſtat Lycurgus, (niſi ferreus) ſeuerus in primis frugalitatis auctor. Is Spartiatas cum legibus muniret; ſæpire mœnibus noluit: cum diceret Ciuitatis munimentum firmiſſimum eſſe Ciuium virtutem: ſpiritum naturæ debitum repræſentare Patriæ paratum, quandocunque periculis obſeſſa, repeteret. hoc conſtituto, vitæ ſuauitas omnis Lycurgi legibus circumſcribitur. Lacedemonijs quidem contemnendæ mortis magiſtra vitæ difficilis paupertas erat: adoleſcentibus ſub dio fortuitus humi ſomnus, & breuis: Taygetę clamor, venatus aſſiduus, curſus ab Europa, fames ad longiſſimum tempus extracta, parabilis cibus, ſudore conditus, ſolis æſtus, hyemis rigor, in puluere pancratium, acceptæ ſilentio plagæ. ſic enim ſtatuebant, quibus in vita nihil eſſet iucundum, eos non recuſaturos honeſtè mori. Spartiatis ad neceſſitatem vltimam hac ratione præmunitis bellum aliquis

inferat ex Attica Piſiſtratus: iratus excidium minetur, niſi confeſtim subeant ſeruitutis iugum: addat effecturum ſe momento temporis, vt humi cicadæ canant. Tyrannum, credo, precibus mitigabunt; perniciem deprecabuntur: conditiones accipient, imperata facient. nihil horum. at audacter hominem inhumanum, quoad licebit, arcebunt: ſi deficere cæperint, humanitatis admonebunt illo laconicę breuiloquentiæ dicto. *Dionyſius Corinthi, victos vides, non ſupplices*, atque hæc publicè: priuatim autem eorum iuuenis aliquis in ſeruitutem abductus, cui mater peregrè proficiſcenti patrias illas admonitiones inſuſurraret. Fili, dedecus ſummum malum eſt: caue, ne quid vnquam indecorè faxis: timidis Euratas portum negat. hoc te clypeo naſcentem excepit Pater: hæc tua cunabula fuerunt: præter clypeum Spartani feretrum nullum habent. in hoc Auus tuus Auiæ: pater tuus ex acie in hoc mihi relatus eſt. Cape tuas cunas, & tumulum. Citiùs quam hunc, ſpiritum dato. viuere poſt fugam turpe Spartanis. Abi fili: *Spartam orna*. Iuuenis, inquã, ſic edoctus

ctus ſeruile quidpiam iubente Domino, iam iamque vulnus ſtricto mucrone dirigenti, niſi pareat; vltro iugulo dato dicet: *Mater non ita iuſſit: parere non poſſum, occide.*

Scythæ duriores (& ſi nonnullus illis ſapientiæ ſenſus aliquando fuiſſe dicitur, quantum videlicet capere poteſt gens ſemper armata;) neſcio quam ſuis moribus accomodatam ſecuritatem ſequuntur: eam autem non munimentis arcium, non artiũ nobilium præſidijs, non ſepimentis murorum, non militum cuſtodijs, non Senatus excubijs, ſed vitæ magiſtra paupertate defendunt. hæreditarium illis patrimonium eſt pudicitia fœminarum, virorum fides, tum patera, quam cum amicis in honorem Diuum libent: Iaculum, quo laceſſant inimicos: Aratrum, quo in annum frugem quærant: nihil amplius. Ergo campeſtri ſolitudine non abuſi patrium omne ſolũ habent, inſtabilem domum carrucis vehunt: non vrbes, non oppida, nõ templa moliuntur, non gymnaſia, non emporia, non fora, non portus; ne quid amittant: egregiè cauent, habendo nihil. Illudant Græcorum prouerbia ſolitudinem Scytharum

 licet.

licet. Alexandrum tamen Græci timent, Scythæ terrent, illoque fulmine, quo Perſis ad Cilicum anguſtias afflatis, omnes Aſiæ fines conflagrarunt: & diffuſo latius incendio Perſarum in ruinas, Indorum extrema regna tremuerunt; Scythæ neq; tacti, neque territi ſunt; imò peſtis communis immunes, auidiſſimum Regni Iuuenem ab ingreſſu Scythiæ non tam paupertate, quàm orationis libertate pepulerunt. *Tranſi modo Tanaim* (dicebat Alexandro publicus Scytharum Orator) *ſcies quam latè pateat: nunquam tamen conſequeris Scythas. Paupertas noſtra velocior, quàm exercitus tuus, qui tot prædam nationum vehit.*

Romanum vero populum, gentiū olim imperioſiſſimum, ſi roges, quidnam patrio more Quiritum ampliſſimum Quirites putent; Imperium, reſpondebit Quære rurſus Imperij rudimenta; campum oſtendet, Circum, Amphitheatrum: ad hæc enim ſpatia puberes, bellum in pace meditantes, poſtquam puluerem in Circo collegerint: ſolem in campo pertulerint oculos in Amphitheatro gladiatoria cæde ſaturauerint: efferatis ed militiam etiam animis,

&

& viribus corporis obduratis, conſuetudine domeſticorum, laboribus caſtrenſibus non frangentur: arma, galeam, clypeum, loricam, gladiũ, pilum, duodecim dierum in iter cocta cibaria nihilo grauiora, quam membra ducent, ſitim humani ſanguinis implebunt in hoſte, quem in gladiatore guſtarunt.

At Cretenſium vita pacatior in otij tranquillitate tirocinia collocabat. Hos Iouis (vt aiunt) filius Minos condidit, qui Patris etiam vſus conſilio dicitur in eius gentis moribus, legibuſque ſciſcendis: cũque Reip. tranquillitatem in modeſtia Ciuium poneret: modeſtos autem, ac frugi futuros eos putaret; ſi pulchritudinem virtutis adamaſſet; omnis eius diſciplinæ ratio tribus adhortationis ad honeſtatem partibus terminata eſt, laudationibus Deorum, admonitionibus legum, Heroum exemplis: idque verſibus, vt eo cantu quaſi per ludum adoleſcentes è Deorum laudibus pietatem, è legum admonitionibus ſapientiam, ex Heroicis exemplis fortitudinem animi moderari diſcerent.

Minoa ſecutus videtur Plato, de

quo præclarius, quàm verius illud elogium eſt. *Platonis voce loquuntur, ſi Dij loquuntur.* Is adeo cõmunem illam ſuam felicitatem, quam vnam in Politia propoſitam habet; à Muſica præparat, & Palæſtra: ſic vt Muſica quidem ad pacatas artes Sapientiæ: Palęſtra ſpectet ad Fortitudinis opes bellicas: ſiquidem, vt ille docet, Muſicæ, hoc eſt Sapientiæ, munus eſt in animo gignere temperantiam cupiditatum, in corpore temperationem virium, in rebus externis, dignitatis modũ. Palęſtra vero, quæ laborioſa quædã illi mẽtis & corporis exercitatio eſt; fortitudinem in animo, ſtrenuitatẽ efficit in corpore, periculorum alacrem ſuſceptionem in rebus externis.

Hæc illi Gentium conditores, & legum, vt in illa mentis cæcitate ſapienter: quibus vt aliquam ſuſpicionem honeſtatis attulérit perexigua rationis oſtentata lux; illam tamen ſtultiſſimæ ſuperſtitionis caliginem non ademit: vt mirum non ſit, ſi tantum humana docent, qui diuina non norunt. At noſter Auctor Chriſtus, idem homo, Deus idem, cum depreſſo Cælo delapſus ad terras,

ras, nobis aperuit Immortalitatem ſuam, Ciuitatem dignā tanto Deo, dignam tanta felicitate conſtituit in æterna ſuæ Virtutis firmitate ſtabilitam ſic, vt neque Sanctitatē à Veritate ſeiunxerit, nec Veritatem diſtraxerit à Sanctitate. formam eius ſi quæras, intelligentia facilius, quam oratione conſequi poſſis. Domum Dei ſi quis dicat; aliquid dicat: neſcio tamen quid amplius eo requirit ipſa rei dignitas, atque vis. Regale Sacerdotium, Gentem ſanctam ex Saulo Paulus appellat: magnificè, ſi tamen ipſe placet ſibi. Chriſti ſortem, & hæreditatem, & Regnum, ſunt, qui non tacent: nihil verius; verum humana verba diuina facta non aſſequuntur. Et Dei populum Babylone receptum, & Ciuitatem ſanctam Hieroſolymis conſtitutam, & Familiam cœtumque cæleſtem è domeſticis fidei conflatum, & gentem in libertatem ex Ægypto vindicatam, & Exercitum ex Sanctorū nobilitate conſcriptum, & humani generis florem ex Adami poſteritate ſelectū vir inter ſapientes eloquens, ſapiens inter eloquentes Auguſtinus nominat. Sed nimirum ingenioſiſſimus Doctor laborat, quem-

admodum, quod ſapienter intelligit, eloquenter exponat. Nam Eccleſię vox à Græcis eſt, cui concio latinũ nomen duriuſculè reſpondet. Reſponſa Generis humani, Principatus bonorum, Regius Chriſti dominatus tolerabilia verba ſunt; ſi tamen de diuiniſſimis rebus humano more loquendum eſt. Verùm quæſtio de verbo minus ad rem. rei naturam, & vim inueſtigemus, vt cognito, quæ tantæ Ciuitatis forma ſit; tum demũ cuiuſmodi Ciuium inſtitutio requiratur, intelligere poſſimus.

Scitum eſt illud Ariſtidis affirmãtis, vt fabulam hiſtrionibus, vt teſtudinem cytharædis: ſic Remp. ſuis Ciuibus cognoſcendã eſſe: ne quẽadmodum indecorum hiſtrionibus eſt, cum in fabula ſuas partes nequeunt ſuſtinere geſtu, cytharædis, cũ in fidium percuſſione peccant: ſic Ciuibus à Ciuitatis dignitate diſſentire turpiſſimum ſit: quaprpter huius Imperij domiciliũ ſi quærimus, Mundum omnem eſſe reperiemus: ſi Dominatorem, Deum: ſi firmamentum, Veritatem: ſi diurnitatem ſuperiorum quidem temporum, ętatem mundo parem, conſequentium vero, Mundo longiorem æternitatẽ,

ſi

ſi gloriam amplitudinem virtutis omnis: ſi ſpeciem, ſanctitatem: ſi vim auctoritatis, quicqnid licet; ſi licentiæ facultatem, quicquid ſanctè libet; ſi opes communionem ſacrorum: ſi vires, præſentiam amici Numinis: ſi moderationem, decori modum: ſi ſocietatem, cœleſte commercium: ſi functiones munerum, in omnes vitæ partes intentum Iuſtitiæ ſumma cum dignitate dominatum. At cedo ſummam. Mutuam officiorum fidem, conſpirationem animorum, ſententiarum conſenſionem, publicæ ſapientiæ fructum, rerum humanarum diuinarumque ſocietatem, vitalem in medio poſitę Diuinitatis vbertatem, vnico verbo voluntariam duplicis in Deum, & homines beneuolētiæ neceſſitatem, & vim. At quo conſilio, Deus immortalis, ad hanc vitæ conſuetudinem inſtituti ſumus? nempe præclaro, nempe diuino, vt ſacroſancto hoc beneuolentiæ fœdere coniuncti, nihil inter nos cauſſæ reſidere pateremur quin idem ſentiremus, omnes vellemus idem, quod ipſe vellet, & ſentiret Deus. Vt ſummi Magiſtri monitis, & exemplis ad indolem priſtinæ gratiæ refecti, quoad eſſe-

mus in terris, prægustare poſſemus vitæ beatæ ſuauitatem. ex his quaſi venis communium ſacrorum, quam deinde repoſitis ad immortalitatem corporibus, illati Cælo, multis, atq; adeo infinitis partibus copioſius ex ipſo bonorum omnium capite, quā longe patet æternitas, duceremus. Sit igitur hoc poſitum, vniuſque domus vnum ſit fundamentum vna Veritas: domeſticum inſtrumentū, infinita Chriſti beneficentia: lumen & ornamentū, Deus. Detur vnius Patris vnam eſſe familiam, vniuſque familiæ ſit color vnus indolis vnius hauſtus ex Deo: concedatur huiuſce familiæ, tanquam ex membris, multis hominibus vnum conſtare corpus, eiuſque corporis eundem eſſe ſpiritum, eundemque ſenſum, ſed functiones munerum, & officia partium diuerſa: ſicut eius Caput aurum Chriſtus ſit, quemadmodū Chriſti Deus. Non negetur ex multis ordinibus vnam confici Ciuitatē, illiuſque cuſtos æternus idem ſit, qui princeps: idem opifex, qui deſcriptor: idem Dominus, qui Dominator hominum optimus Chriſtus Deus. Huius porro Ciuitatis arcē auguſtiſſimam infinitū Chriſti Prin-

cipa-

cipatum eſſe fateamur: Licæum doctrinæ, veriſſimam Chriſti vocem conſilij Senatum, Diuinam Chriſti ſapiētiam: Templum, ęternũ Chriſti Sacerdotium: perfugium Aſyli, duplicis naturæ in Chriſto coniunctionem: ſummum ipſum Sacerdotem, ipſum victimam, ipſum expiationem, eundem ipſum, qui Dei legatus, & filius, qui parens hominũ & conſeruator, qui virtutis author, & veritatis interpres qui ſempiterni fœderis, & cauſa fuit, & copula. Proh ſuperum hominumque fidem, nobiſne potiſſimum tantę felicitatis oblatam eſſe lucem! Quid caſiſſæ fuiſſe dixerim, cur Dei tam ſingularis, ac prolixa liberalitas ad homines imbecilles, miſeroſque deuenerit? Quiſquam ne tantam ſummi Parentis beneficentiam, nõ dico ſperaſſet, ſed auſus eſſet vnquam optare? quiſquam Imperij tam præſtantis tam infinitam magnitudinem, tantam Reip. dignitatem, tantam authoritatis amplitudinem, tantum decus? moriar, ſi quicquam tale quiſpiam vnus ex pallidis illis gentium ſapiētibus vel cogitatione fingere, ne dũ aſſe qui virtute potuerit. Vbi ſunt, qui Lycurgi duritiam immanem tan-

topere commendandam putant? cur tacent, qui ſemimortuas Solonis voces prædicare non deſiſtunt? reſpõdeant ad hæc, ſi quid habent Academici, qui Platonis exanimem diuinitatem nondum efferunt: quique proiectum illud vmbratilis Reip. cadauer decoro Iuſtitię vocabulo condiunt, vbi ſunt? audeant: accedant: compareant: impudicam illam licẽtiam cum hac caſtimoniæ dignitate: libertatem illam ſeruilem, cum hoc regio principatu: concordiam ſeditioſam illam, cum hac æqualitate honeſtiſſimæ quietis: impiam pietatem illam, cum integerrima hac ſanctitate: ſuperſtitionem cum Religione: Virtutem cum Virtute conferant: ſummam cum ſumma: partes cum partibus: officia cũ officijs: authorem cum authore contendant.

Dicent tantum ipſas inter ſe diſtare Reſpublicas, quantum homo diſtat à Deo: Nam Cyrum Xenophontium, Zoroaſtrem Perſarum, Minoem Cretenſium, Solonem Athenienſium, Lacedemoniorum Lycurgum, Pompilium Romanorum, cur in Cælo collocent, ipſe quidem non video. Dicant ipſi, ſi quid amplius,

plius,

plius, quàm quæ nos de his legimus, inuenerunt. nam quid (obſecro vos) habet ſimile ſubluſtre deficientis rationis, vt ita dicam, crepuſculum illorum, cum hoc veluti meridie nũquam occidentis Diuinitatis? Verum enimuero, ne quemadmodum Plato, monſtra confingere videamur in nubibus; neu quis extra naturæ ſenſum, & vires hominis, incredibilia nos conſectari putet: quemadmodum Patrum noſtrorum memoria plebeij quidam, plumbeique rabulæ ſeditioſiſſime, more Lapitharum inter pocula depugnarũt: quorum tamen temulenta vox à ſobrijs, egregièque cordatis Theologis iugulata iampridem in ſcholis, velut Antæus ex tactione terræ, reuiuiſcit interdum ex contagione cupiditatũ in quorundam fœditate vitæ. Videamus deinceps quam alte iuſtiſſimæ beneuolentiæ ſenſum, & ſanctiſſimam æquitatis hanc legem inſcripſerit in animis noſtris, & quaſi conſignarit Deus: nam, ſi Mundi, naturæque noſtræ primordia recordari libet: tam multa paſſim in omni Mundo cernentur eius elementa legis, tam nõ obſcuræ ſignificationis inuitamenta Caritatis deprehendemus

mus in nobis; vt plane conijcere liceat ad illam homines non educatos, eſſe, ſed factos: non inſtitutos, ſed natos.

Statuendum proinde, qui Chriſti vocem non audiat, eum non magis à Chriſto, quam à ſe ipſo deſciſcere. Principio quidem, (vt breui tractatione præteruolem hæc externa) Mundum ipſum, & hoc, quod alio nomine Cælum dicimus; quod eius complexu cuncta tegantur, in ſpeciem orbis abſoluti circumſcriptũ, & conglobatum vides: & nomen ipſius in primis, & conſenſus mortalium Orbem appellantium, & rerum argumenta demonſtrant talẽ figuram omnibus in ſe ſui partibus incumbentem, & concinentem ſibi ceu perpetuo coronæ tractu, nec finem, aut initium ſui ſentiente conclusam, Mundo datam, & aſcriptam fuiſſe: non ſolum ad motum, quo ſubinde conuerti debuit, ſed etiam ad approbationem oculorum, vt ad hominem ſpectabilis naturę Regem, ac ſui Dominum in media Mundi ſede, tanquam in theatro collocatum ex conuexo, medioque quoquo verſus inſpiceretur; & aſpectus iucun-

dif-

diſſimus pateret, & rerum omnium opportunitas peruenire poſſet. Quæro nunc, ecquid in hac Vniuerſitate deprehendi queat, quod quã lege deſcriptum, ac comparatum ab Architecto fuit non eadem ſemper conſtantiſſima ſui cum cęteris partibus reſponſione teneatur? Sic plane, vt ne tranſuerſum quidem vnquem ab vlla parte totum, à toto pars vlla diſcedat; quin prima medijs, media poſtremis, poſtrema medijs, & primis maximo legis æternæ deſiderio, incredibili partiũ omnium conſenſu reſpondeant. Sed enim hæc decantata ſunt. & illa, quæ de primis corporibus, quę vocamus elementa; memorãtur illa certis diſcreta finibus inter ſe perpetuo concordem agitare diſcordiam, & Naturæ nutu quodam à ſe diſſidere cõtinenter, ſed ipſo diſſidio renouari, mutuóque partium interitu coaleſcere vniuerſa. Iucundius alij philoſophantur, eſſe rerum omnium ingenijs ingenuam vim, ac propenſionem inſitam, altiſſimiſque naturæ penetralibus incluſam, qua videlicet, cum ſui ſignificationem dederint, continuò fiat, vt ipſius naturæ ſuaſu congruenter alterum feratur

ad

ad alterũ. Hæc à Rhetoribus nunc affectio, nunc relatio, nunc reſponſio, nunc conſenſio, nunc conſpiratio dici ſolet, quam Philoſophi non nimis ineptovocabulo gręce ſympathiam vocant, beneuolam conciliatriculam rerum, & quaſi naturæ lænam, eo conſilio rebus attributam, & in intimis impreſſam ſenſibus; vt hac inductione conuenirent, & ſingula ſingulis amicè conciliata, congruerent: quo corpus incolume cōſtaret vniuerſum: ac velut annullorum amplexu mutuo catena ducitur, & membrorum apta coagmentatione componitur corpus animãtis; ita naturæ tacito conciliatu, atque hoc arcano fœdere membrorũ, Mundus primum ipſe ſui complexione totus, ſingularum partium, cohærentia, ceu beneuolentiæ connexione conſiſtit. Quare non ita ridiculus eſt Pythagoras; ſi concentum illum ſuum ex Orbium conuerſione reſonantem, hanc eſſe concinentium partium reſponſionem putauit: niſi putauit, ridiculus eſt. Idcirco Pythagoræi cum Mundi naturam deſcribunt, lyram Aegyptio commento pingunt. Arcanum autem hunc, quaſi ſonorum, ſic partiũ

con-

concentum in toto, blandiſſimamq; naturę vocem, non tam ad Mundi, quas nullas habet, quam ad aures hominis influentem, noſtri, tanquã Aſpendium illum ſibi canentem intus, exaudiri negant: audiendum olim, niſi ſibi minor orbis obſtreperet, hoc eſt homo domeſticæ diſcordiæ, quaſi iurgijs, & inconditis perturbationum clamoribus animum obtudiſſet: ſi cum Deo conſentiret pulcherrimum opificium Dei: niſi diuinæ legis contemptu intimam illã ſui pectoris concordiam diremiſſet: & hæc audiret, & maiore ſui diſſenſione non diſcreparet à ſe: iactatione cupiditatum nulla conflictaretur: primigeniæ iuſtitiæ iucundiſſima tranquillitate frueretur. Mittamus externa: noſtra videamus. Mundi dominum hominem, & domicilij contemplatorem ſui conſideremus. Sanctum vero (ſic me Deus amet) animal, ſui iuris atque mancipij natum, auræ Diuinæ particeps, inſigniterque præter cęteras animantes mentis intelligentia, tanquam ſummi Regis inſcriptione notatum, plenum conſilij, plenum rationis, præteritorum memoria inſtructum, ornatum animaduerſione præſentiũ,

pro-

prouidentia præditum futurorum. qui cælum animo conciperet, virtute conſequeretur, ſeque non tam ſibi, quam Deo natum putaret: vt legis æternæ ſibi primum, dein alijs (ſi res ita ferret) & ſuaſor, & interpres eſſet. non enim homo ſolitarius, & vagus factus eſt, qui breuiſſimi temporis animans æuum ritu ferino tranſigeret in ſolitudinibus, ac ſpeluncis, ſed qui cum apprime ſocietatis appetẽs, & omnis humani, diuinique iuris intelligens eſſet, idem inter ſui generis animantes Iuſtitiæ diligens æſtimator, & cultor, omniſque cultor honeſtatis, atque officij moderator haberetur: religione caſtus, humanitate blandus, liberalitate munificus, comis affatu, tum magis cũ vires, & opes in commune quæreret: regeret leges, oppida muniret conſtitueret templa gymnaſia celebraret genus ipſum humanum inter ſe commercio ſermonis, & ſapiẽtię deuinciret. argumento eſt ſolitarium non eſſe natum, quod recentiadhuc Mundo nonnullis ſæculis ante naufragum humanum genus è ſiluarum latebris naturæ inuitatu in oppida conceſſit, & quod multo diligentius,

poſt

poſt aquas, inter homines iure ciuili conſtituto, terras Vrbibus paſſim notauit: Vrbes hominũm cœtibus impleuit, cœtus humanos rerũ omnium communitate ſociauit. Quid ni autem ita faceret? ſi tam multis nominibus hominem homini naturæ ſimilitudo, beneuolentiæ conciliatrix blandiſſima commendabat? Id iam patebit, ſi hæc ipſa blandimenta ſimilitudinis, & lenocinia naturæ quodammodo perſpexeris. Quid enim eſt in hac Vniuerſitate tam alterum alteri ſimile, tã que par, quàm omnes omnium humanæ naturæ ſumus? Primum igitur eadem, quæcunque illa eſt, definitione continemur omnes. quod ſatis aperte docet, nullam in genere diſſimilitudinem notari: ſi notaretur; genus ipſum commune non eſſet. Nam Ratio quidem, qua lõgiſſime ceteris animantibus anteſtamus, per quam ad rerum intelligentiam coniectura peruenimus: qua genera partimur: ambigua dijudicamus annexa diſtinguimus, diſceptamus in vtranque partem ponimus, adſumimus, conficimus: ſiue Dialecticorum ſtrictim compreſſa, ſiue Rhetorum hac no-

ſtra

ſtra fuſius explicata ratiocinatione
complectimur aliquid; Ratio, inquã,
vna certe, communis eſt omnium,
vnaque communiter in omnes va-
let doctrinę, non Naturæ facultate
diſſentiens. Nam qui locum eun-
dem in eodem ſpectaculo rerum om
nium tuemur ſimili alimentorum
conciliatione concreti. ſimiliter
orti, ſimiliter educati, ſimiles etiam
rerum notas ijſdem ad animum ſen-
ſibus importamus, ab animis ad res
externas exitu nequaquam diſpari
perforato. Eadem igitur quæcunq;
ſenſum vnius impellunt, impellunt
omnium: quaſque rerum imagines
vnius animus haurit à ſenſibus, eæ-
dem ijſdem omniũ ſenſibus hau-
riuntur. Idem eſt Iudicium omniũ
eadem omnium facultas permotio-
num earundem: idem geſtus inter-
pres, eadem internũcia mentis ora-
tio voce diſcrepans, mente non di-
ſcrepans. Nullum adeo tam rudem
aut ferum mihi dederis, quin huma-
na cultura manſuefieri, & ad quam-
cumque partem honeſtatis traduci
queat. quid quod in prauitate quo-
que ſpectatur inſignis hæc natura
hominum ſimilitudo? Nam & vo-
luptatis blanditijs ducuntur omnes
quæ

quæ cum eſt illecebra turpitudinis; in Sapiente nihil, in Stulto plurimũ valet. quia clandeſtinum eſt malum, ac rectæ rationis inimicum. Dolor, ignominia, paupertas, obſcuritas, calamitas, mors, quaſi diſſolutio naturæ ducitur ab errore mentis in ſummis malis. Aliter recta ratio ſapientis docet: quodcum facit, non naturæ, ſed virtutis eſt munus. Iam vero moleſtias, lætitias, cupiditates, timores ſimiliter omnium pectora vagari videmus, ſimiliter honeſtatis obiecta ſpecie commoueri. Quid eſt, quam obrem nulla natio perfidos, elatos, crudeles, maleficos, ingratos, amet? amet autem officij memoriam, amet beneficentiam, manſuetudinem, moderationem, fidem? Quod argumento ſatis eſt hominum genus inter ſe conciliatũ eſſe commendatione Naturæ: quia ſi diſcrimen eſt vllum; id non ipſius eſſe generis conſtat; ſed morum. Ac niſi corruptela conſuetudinis, opinionumque prauitas imbecillitatem plerumque deprauarent animorum; non tam ouum, vti dicitur ouo: non aquæ aquam, omnes ſimiles eſſemus omnium. Quin etiam beneuolam hanc coniunctionem ho-

minum adeo mihi perſuaſum eſt illi rerum Principi cordi fuiſſe; vt exiſtimem ab eo mortales ad participandum alium ab alio, communicandumque inter omnes, egeſtate rerum eſſe compulſos.

Nec vero terræ ferre omnes omnia poſſunt.
Aſpice & extremis domitum cultoribus orbem,
Eoaſque domos Arabum, pictoſq; Gelonos:
Diuiſæ arboribus patriæ. Sola India nigrum
Fert ebenum: ſolis eſt thurea virga Sabæis.
Quid tibi odorato referam ſudantia ligno
Balſamaque, & baccas ſemper frondentis acanthi?
Quid nemora Aethiopum molli canentia lana?
Velleraque vt folijs depectant tenuia Seres?
Aut quos Oceano propior gerit India lucos,
Extremi ſinus orbis?

O Poetæ ſuauiſſimum ingenium! verum ridiculum nunc eſt de Poetæ ſuauitate cognoſcere, redeamus ad noſtra. Aiebam multum ad ſocieta-

ta-

tatem humani generis iungendam valere rerum alibi naſcentium deſiderium, & egeſtatem. ergo quęſtus gratia peregrinantes ab domo longiſſime gentium diſſitos homines conuenimus: nec omnino nihil ad nos pertinere diremptas Oceano terras putamus: vento fidimus, alto credimus; vt ad maritimarum orarum opportuna delati, non tam rerum venaliũ vtilitates, quam ignotorum Hominum cognitionem, & beneuolentiam nundinemur. Non ſemper baccas, aurum odores negociator refert; at notitiam externorum ſemper refert: aliena diſcit: humanitatem docet. Negociatori Sacerdos additur, eademque velificatione,qua mortalium præceps audacia,qua terrarum immemor auaritia maria omnia circumuolitat; ſocia peregrinationie, & curſus circumfertur, & Veritas, & Humanitas, & Sanctitas, & Iuſtitia, & generis humani vinculum, & fundamentum, Fides. Ad hanc porrò quà liberam. quà neceſſariam inductionem naturæ accedit communio ſacrorum, & cæleſtis ſapientiæ diſciplina communis, & ſane maximo mortalium bono, ſi maximum bo-

num eſt ad immortalitatem æterna Chriſti virtute renaſci, vitalemque diuinitatis auram, ac genus de cælo ducere, quoad eiuſdem indolis colore diuinitus expreſſo credamus, & ſperemus idem, idem amemus. vnũ in medio Chriſtum, vnũ habeamus patrem. Audite Baſilium Sanctum in primis, & eloquentem in hanc ſententiam, vt ſolet, eloquentiſſimè diſſerentem: Ille quidem hortulum (vt prouerbio fertur) irrigat ſuum: verùm cum ex communi fonte chriſtianæ Sapientiæ magna ex parte argumenta deflexerit in rem ſuam; non video, cur non liceat indidem nobis, quod illi ſupereſt, ad noſtrũ pratulum deriuare. Primum, inquit, qui communem hanc vitę rationem ſequuntur; ad illud bonum, quod ex natura eſt, reuocantur. ſapienter: omnis enim inſtitutio reuocare nos eò debet, vnde deducti ſumus, hoc eſt ad honeſtatem naturalis decori. nec minus præclara ſunt, quæ ſequuntur. Equidem perfectiſſimã illam vitæ communionem appello, quæ propriam, ac priuatam cuiuslibet rei poſſeſſionem excludit omnẽ: in qua communis Deus, communis mercator pietatis, communis ſalus,

com-

communes diſcriminum labores,certamiuum coronæ communes: vbi multi vnus, & vnus non ſolus; ſed in vno plures, & vnus in plurimis Nonne ſuis lineamētis corpus illud hoc loco videtur expreſſum, quod vti diximus ex multis hominibus, ceu membris, diuinæ beneuolentiæ, coagmentatione coaleſcit? planè ſic eſt.ergo reliqua videamus. Quid autem eſt ex omnibus humanæ naturæ bonis, quod cum hoc genere vitæ iure comparari queat? quid hac cōiunctione beatius ad fructum, aut ad vſum accommodatius,aut elegātius ad decori dignitatem excogitari poteſt? nihil omnino ſapientiſſime Pater. nihil. ſiquidem id optimum eſt, quod naturæ ſit maxime cōſentaneum; quod vero diſſentaneum ſit, inimiciſſimum. Eam autem conuenientiam; elegantiamque naturæ vel nulli tenent, vel illi ſoli tenent, qui ſingularum congruentia partium in vnum redacti corpus, officiorum neceſſitudine copulati,voluntatum, & ſententiarum ſimilitudine conſpiraut. Tales nimirum nos initio rerum inſtituerat Deus: ad hanc naturæ congruentiam ab exordio Mundi comparauerat ho-

minum genus celeſtis Pater, cum hominí pacatiſſimo Mundum hunc extimum obſequio famnlari ſubſeruientem: hominem vero iuſtitiæ libertate dominatorem in Mundum, obſtrinxit ſibi. noſtro ſcelere factũ eſt, vt corpus elegantiſſime deſcriptum, aptiſſimeque compactum membratim diuelleretur, laceraretur, vulneraretur: vt lites, diſcordię, ſeditiones, rixæ, maleficia, bella non diſſentanea ſolum, ſed etiam mortifera naturæ vulnera in hoc ſemiuiuo cadauere cernerentur. actũ de nobis erat, niſi magni Conſilij Legatus diſſipatos arctus compoſuiſſet: laceros reſtituiſſet: exules gratiæ paternæ poſtliminio reuocaſſet; vt vnus iterum Deus in nobis eſſet, vniuſque Parentis filij nos & nominaremur, & eſſemus omnes. nimis multa de noſtro: conferat aliquid de ſuo Baſilius. Omnium, inquit, rerum, quas inter homines noſtræ ſalutis Author Chriſtus præclariſſime geſſit; huc ſumma pertinet: vt humanam naturam, cum ipſam ad ipſam, tum etiam reuocaret ad Deum, ſublataque diſſenſione partium, in priſtinam integritatem, cõiunctionemque reponeret, reficeret,

re-

renouaret. egregiè, ſed neſcio an hoc magis. Quid fruſtra quæruntur in terris præſtantiſſimi boni ſimiles coniecturæ; quando cæleſtium animorum, qua nihil beneuolentius, aut coniunctius excogitari poteſt, arctiſſimam coniunctionem imitatur? Hæc inter homines à Chriſto non tam inſtituta, quàm renouata coniunctio, quantum hoc bonum eſt? Deus immortalis, quam amplum? quam vnice ſalutare? ergo mutuæ beneuolentiæ neceſſitudine coniuncti, & tanquam teſtudine facta denſiſſime conferti nos primum ipſos vnius quaſi clypeo fidei protegimus: tum communem hoſtem vno cominus impetu, communique certamine propulſamus. video vos expectare, dum explico, quid hæc oratio pertineat ad vſum huiuſce temporis, & dignitatem loci, vel quem tandem ad exitum euadat hęc ab altiſſimis naturæ principijs, & chriſtianæ Sapientiæ primis incunabulis humanæ ſocietatis longiſſime repetita memoria. quid hæc commendatio pertineat ad vſum huiuſce temporis, & dignitatem loci? Quid? niſi fallor haud ſane parum. Vt enim intelligeretur quo Iuuen-

tutem,noſtram in Remp. animo de-
ceret eſſe; quæri Reip. ſummam,
eiuſque proponi dignitatem opor-
tuit. Hæc (niſi vobis, ſapientiſſimi
Viri, videatur aliter) congruenter
in communibus naturæ ſenſibus, &
in chriſtianæ Iuſtitiæ neceſſitudine
conſtituta eſt. Etenim ad hanc hu-
mani generis ſocietatem colendam,
ſi primum facti, ſi deinde refecti ſu-
mus, ſi multa nobis ipſa natura, ſi
plura Dux noſter & author Chriſtus
adiumenta ſuppeditat, profectò ſen-
tiendum eſt, nihil illi Principi rerũ
antiquius, aut acceptius futurum,
nihil Reip. ſalutarius, aut optabilius
ad dignitatem & gloriam, quàm
quod primo diuinitus inſtitutum,
deinde reſtitutum videmus. quibus
ex rebus intelligi volo, quod proxi-
mum eſt ad rei noſtræ ſtatum, inco-
lumitatemque retinendam: ſi bene-
ficij memores: ſi grati ſumus: ſi de-
corè viuere liberale eſt: ſi præclarũ,
ipſique naturæ debitum de commu-
ni ſocietate noſtri generis quàm op-
time mereri: ſi demum homine di-
gnum eſt hominem eſſe; nobis con-
ſeruandam eſſe Iuſtitiam. hanc au-
tem nullam certam ſedem, nullum-
que veſtigium habituram, ſi volun-
ta-

tatum diſſidijs,& opinionum diſcordijs agitetur. Firmiſſimum igitur fundamentum eius, veritatem ſanctitatemque teneamus. At enim cum omnia maleficia, morumque labes, quæ contra Iuſtitiam ſuſcipiuntur; capitaliſſimæ ſunt: tum neſcio an capitalior peſtis vlla ſit, quam, quæ cum Veritate pro falſitate diſceptat. nō ſolum quia hæc fœdiſſima eſt: ſed etiam quia prima, ex qua tanquam ex peſtifero illo hiatu Tænari longiſſime, latiſſimèque promanat, ac pertinet ad omnes rei priuatæ, publicæque partes omnes curruptela publici, priuatique moris. prauitas enim vitæ prauitatem plerumque conſequitur opinionum. quatenus quid rectum, bonūque ſit prouidere nō poteſt, qui verum à falſo dijudicare neſciat. Toxilus ille Plautinus non ineptè, qui labores Alcidæ ſibi depoſcit citius, quàm cum Amore pugnet.

Nam cum Leone (inquit) *& cum Excetra, cum Ceruo, cum Apro Aetolico*
Cum Auibus Stimphalicis, cum Anteo deluctari mauelim,
Quam cum Amore.

At ego cum Amore mauelim, quàm cum falſitate, cuius alumna vecordia, atque ſtultitia eſt. dum veritatis vocem audit Sampſon; vir eſt, & ſuus, & hoſtiũ opes, & copias vnus excindit: dũ veritate deſerta vecordiæ deditur; antequã hoſtibus, amore capitur: obruitur ſomno: capillum, & oculos amittit: in piſtrinum compingitur. breuius. Dum veritatis vocem audit Sampſon vir eſt & ſuus, & innumerabiles hoſtiũ copias fundit ſolus: dum veritate deſerta vecordiæ deditur, effoſſis oculis in piſtrinum compingitur.

Cedo, qui veſtram Remp. tantam amiſiſtis tam cito?

ita ſciſcitanti reſpondetur in Næuij ludo.

Prouenìebant oratores noui, ſtulti adoleſcentuli.

Et vero ſi ſuperiorum temporum memoriam reſpicere, ſi circumſpicere præſentem volumus; omnes, quaſcunque deplorare ſolemus humani generis calamitates, non prius ab honeſtatis transfugis, quam à deſertoribus Veritatis inuentas, & inuectas eſſe ſtatuemus. atqui ne quid ærumnoſum aſpiraret ad nos; egregiè cautum erat, cum in omniũ

ani-

animos vna diuinitus ex Deo tranſcripta lex eſt illa cęleſtis, illa ſancta, Naturæ congruens, cum Veritate conueniens, in omnes diffuſa gentes, conſtans, immortalis, æterna, quam qui ſpernit, ipſe ſe fugit, & naturam hominis aſpernatur, cuius interpres animus noſter eſt, inuentor, & diſceptator Deus. Huic vtinam ille Propagator generis humani paruiſſet; ſe luctuoſiſſimis angoribus non fœdaſset: infinitum hoc maiorum omnium agmen poſteros non obruiſſet. ex illo Mortales hæreditariæ ſtultitiæ calamitatibus inuoluti, quà cupiditatibus incenſi, quà timoribus exanimati, quà lætitia geſtientes, quà dolore cruciati, dum ſe non exaudiunt ipſi, rem humanam ex mala peſſimam habuerunt. animi ratione neglecta, cum corporis dediti gaudijs ad filias hominũ adhinniunt filij Dei, rabidèque deuolãt ad colorem carnis; euolat ab eorũ fœdiſſimo cadauere pudor, & Spiritus Dei. cui additus etiam alius furor, amore peior. audax enim Iuuentus aggreſſa cælum Babylonica mole conſcendere, veſtigium humanitatis vix tenuit in terris. tunc audaciæ cauſa, & pœna ſtulti-

ſtultitiæ principem Sapientiæ fœtũ Eloquentiam amiſit: ſed ante ſermonis humani perturbato ſono nota non effugit ex auribus, quam ignota lex mẽtis effluxit ex animis. Exin Belus ex Oriente profectus Mortalium primus inter homines liberos inſtituit Regnum decorum ea memoria; quia publicum latrocinium, vt dicebat Lyſias, non æquitate naturæ, ſed audaciæ impunitate conceſſum. Ille ne libertatem humani generis occupaſſet, aut publicum Solum priuatis finibus, cõmunem ſocietatem, priuata cupiditate, cunctorum æquitatem ſingulari mancipij iure diremiſſet, ſi domeſtico monitori, hoc eſt Deo ex intima hac lege reclamanti, vacuas aures, liberum animum præbuiſſet? Beli filius Ninus nequaquã parente melior, quod pater non fecerat adortus, vt homines habeat in poteſtate, rationem humanitatis nullam habet. Is patrem dum pie colit, excludit Deum. etenim ne parentis deſiderio vectigales populi præterita, quàm præſentia mallent; fuco pietatis induxit libidinem imperandi. Poſito Simulacro, demortui parentis memoriam in populos

ex-

excitaſſe dicitur, laudabili cætero-
quin inuento; niſi de non optimis
initijs peſſimum facinus erupuiſſet.
Deus bone, quam anguſto pietatis
introitu turpiſſimum illud malorũ
omnium examen, Deorum, inquã,
colluuio, maior penè quam homi-
num,profuſa repentè per omnes gẽ-
tes infinita ſuperſtitioſi ſceleris con-
tagione propagata eſt? Belus enim
fictus vt homo,dein cultus vt Deus,
corollas odores, preces, tributa re-
ligionis Deo debita,quæ viuus è ſo-
lio non poſtularat, quaſi viuus, ex
frigido marmore per filium Antiſti-
tem ſibi vindicabat: modo Belus,
repente Iuppiter. Hoc tanto ſuſce-
pto facinore poſt, nunc vbi gentiũ
deſitum eſt, furere? Ecquid inta-
ctum in terris, aut inauſum ſceleri
relictum eſt? iam ad libidinem cu-
iuſque Deus erat, quicquid vſpiam
erat: pie fieri putabant quod impio
cępiſſet exemplo. Piget meminiſſe
veterum inſaniam, quiduis Dei no-
mine dedicantem, Memphiticum,
aut Arginum Oſirim, Iſidis ſiſtra,
Deorum cœnis ſanginatum Apim,
naſcentes in hortis Aegypti Deos,
Cybeles Corybantes, Curetas, Le-
legas, Cares, Phryges, & Græciam
in

in Principum honorem omnia flagitia ſomniantem: cum Romæ in hoc ampliſſimi Imperij domicilio M. Tullius, tantus Orator, & Senator, filiolæ, cuius deſiderium ferre non poſſet Diuinitatem decernendam putauerit. cum S. P. Q. R. ille gentium Dominus Diuini numinis nomen, & cultum in Cæſares adeo prodigè tranſtulerit; vt mortalium flagitioſiſſimis helluonibus Caijs, & Neronibus Iuliorum Apotheoſim ſperare licuerit. Si Beli ſcelus cum hac Nini pietate conferatur, præ Nino Belus ſalutaris videbitur. Belus rationis humanæ fidem aſpernatus, hominibus æquitatem iuris eripuit. Ninus quantum in ipſo fuit, cælum, & Diuinitatem ademit Deo. Pater libertatem hominibus detraxit: Regnum impoſuit non ſemper noxium, aliquando bonum, Filius terris expulſa pietate, nullum in terris reliquit Veritati locum. Hinc inexpiabilis officiorum deriuata labes: omnes morum turpitudines ex hoc fonte redundarunt. Vt Helena Troianis, vt Heſiodi Pandora terris infelix: ſic cauſa vitiorum, & impiæ corruptelæ ſemen in Nino fuit. Qui niſi ve-
ram

ram edoctus, nunquam falſam pie-
tatem edocere voluiſſet. At in re-
bus dumtaxat diuinis accepta cla-
des. ceterum humanæ vitæ corpus
integrum à falſitate manſit. Vti-
nam manſiſſet incolumis humanitas
reliqua ſi fuiſſet; obducta cicatrice,
pietatis ſanctitatem aliquando ſpe-
rare potuiſſet: fœdiſſima fuit plaga
pietatis, fœdior doctrinæ fuit, tan-
to profecto ſuperſtitione periculo-
ſior, quanto falſitas ſplendidior eſt,
quæ veritatis opinione defenditur.
Hic factionibus diſtracta veritas,
quod neceſſe fuit, effugit è manibus
diſtrahentium, amiculo relicto ve-
riſimilis opinionis: ipſa nuda cum
paucis, quos æquus amabat Deus,
in ſolitudinem ſe recepit, indumen-
tum à pietate mutuata. Ceterum,
in vulgo ſapientum non doctrina, ſed
rixa, vel potius docta diſcordia Se-
ctarum opinioſiſſimè de Veritate,
vaticinantium, vt ſi cui ſpeculum,
de manibus elapſum comminuatur
in partes, ipſum quidem integrum
non eſt, partium vero quædam in,
puluere demerſæ latent: quædam
obſcurius aſperſę puluere ſublucent
Sic illa communis Iuſtitiæ veritas,
& pulchritudo cum humanæ gentis
pro-

propagatoribus ſemel excidit; ipſa fracta quodammodo, & comminuta diſſilijt: ac partes eius in propagatione gentis humanæ, tanquam in puluere depreſſæ, pro cuiuſque captu, quædam ſic tenuiter apparent in nonnullis: aliæ vix exiſtunt. quin etiam reſiduæ illæ patrimonij quondam ingentis, pulcherrimique reliquiæ tenues, ac miſerandæ proprijs ſingulorum flagitijs imminutæ magis, ac magis attenuantur in dies, & turbulentis animi iactationibus col lidnntur. Nunc quemadmodum ex anguloſo vitro luminis repercuſſu multiſaria imago diuerberata variatur, aut imminentis Lunæ nitor mobiliter in aqua fluctuat ad æſtum maris: ſic illa naturalis exigua lux reſiduæ pulchritudinis, aliter in alijs ad vniuſcuiuſque ſenſum, ac motum oſtentat hebetem ac retuſam rationem boni. Et tamen hanc ipſam, ita mancam, ac debilem vitæ ducē ſi principes illi Sapientiæ ſectatores tenuiſſent: ſi quid, & quomodo dicerent animaduertiſſent: diligētius ſi vigilaſſent; Pauum pro Argo non haberemus: vox vna veritatis in Gymnaſijs exaudiretur: non clamoribus icnonditis Sectarum Scholæ vo-

vociferarentur. poeticè non ariolaretur Plato: Ariſtoteles non omnia ſenſibus exploraret: vnus Democrito Mundus eſſet. in hoc ne fleret ſemper, aliquid iucundi videret Heraclytus: non omnia Leucippo inter mundia fortuita corpuſculorum iactatione concreſcerent. Hominis bonum quærens Epicurus, in pecudum ingenium non abiret. Diodorum muliebriter nō exanimaret dolor. Gymnoſophiſtæ corporibus parcerent. Mundum Druides aliquando cœpiſſe crederent. non toties ex Euforbo renaſceretur *Pythagoras*. Cynici modeſtius, & viuerent, & loquerentur Stoici ſi homines eſſent à ſe nihil humani ducerent alienum. Iuriſprudentibus Iuſtitiæ nomen forenſe latrocinium non eſſet, venalem Oratores vocem habere nollent. Circæum Poetæ poculum illo ſuo nectare non temperarent. Hiſtorici demum viuorum gratiam Poſterorum iudicio non anteferrent. Poſt Regnū verò Chriſti conſtitutum, aqua ſalutari mentibus expiatis, vltro Chriſti voce reuocata cum ſe Veritas obtuliſſet, & Sapientia copioſior, & Religio ſanctior conſecuta eſt. Hanc quoque

nisi

niſi quædam hominum figuræ, non homines, inſanis cupiditatibus ipſorum grauiter obſiſtentem, tanquam clamoſam mulierculã peſſimè mulctatam, e ſuis primum, dein auditorum ſuorum pectoribus expuliſſent; in ſumma honeſtatis tranquillitate beatiſſimè viuerent. nunc ne quid crudelius audeant; vota facienda ſunt. Nam qui modus, aut pudor incœpti ſit? Si Ioſeph polymitam feræ peſſimæ lacerarunt: ſi buſtuarij factionum duces è cymmerijs falſitatis gurguſtijs egreſſi pulcherrimũ indumentum Chriſti audacia duce, impietate ſocia, bellicum canente libidine diſciderunt. Hoc tam immani facinore perpetrato, nunquid illis niſi veriſſimum particidium verum fuit? Quæ tam munita pudicitia, quam non Græcorum impuritas expugnarit? quid tam ſanctum in templis, quid tam pie cuſtoditum in adytis, quid tam ſuum cuique, quid vniuerſis tam commune fuit, quod non auaritia concupiſceret, audacia diripuerit, contaminarit impietas, luxuria diſſipauerit? clamores in templis ebriorum, Sapientum modo Gymnaſijs inſanorum inſuſa peregrinitas: è Scholis ad arma diſceſ-

ſceſſum: audito claſſico falſitatis om nia direptioni tradita temulentis: Prouinciæ nationum auulſæ: vrbes quà direptæ, quà vaſtatæ, temeratæ aræ, templa diſturbata; ſuſque deque habita ſacra: vectigalium ſacrorum flagitioſiſſimæ nundinæ: omnia humana, atque Diuina permixta. Hem hoccine meritum Chriſti fuit? hæccine dati ſanguinis gratia? ſanctiſſimæ doctrinæ hic ſplendor? hæc dignitas? Vbi beneuolentiæ fœdus illud, illa iucundiſſima coniunctio voluntatum? Vbi decor? vbi fides? quæ nobiliſſimos illos noſtri nominis Authores, naſcentis Eccleſiæ filios ad omnium rerum opportunitates participandas, communicandaſque reuocabat? Miſerum me: quam verè dictum. Concordia paruæ res creſcunt: diſcordia maximæ dilabuntur? Sed ſatis ſit: ne ad acerbitatem vulneris multorum querimonijs exulcerati mea vox tanquã vnguis acceſſiſſe videatur. Hæc igitur omnium calamitatum lues, & ſentina vitiorum, hæc Excetra ſemper reciſa, penitùs exciſa nunquam: hæc bellua centiceps ſemper extincta, ſemper ſibi ſupereſtes, ſubnata ſemper, hærede valentior, non Her-

culis

culis claua, non ſagittis Eryman-thijs, non Achaico incendio, ſed Sanctitatis, & Veritatis communibus viribus opprimatur. Quam ob rem igitur, vt in ſententiarum certa ſede veſtigia figerentur, atque pariter connixi, quaſi facto cuneo communem hanc peſtem è terris propellere, vel etiam extinguere poſſemus; ſapientiſſimè prouiſum eſt vt è publicis vnius Eccleſiæ, tanquam ex Matris vberibus, vnum omnes vitalis Sapientiæ ſpiritum haurire, quoad vnus omnium ſenſus eſſet, vna mens, ſicut vna fidei virtus eſt, vna doctrina. Portenti verò ſimile eſt, inter eos exoriri diſcordias, qui rerum omnium vtilitatibus communiter alantur, & quibus omnia coniuncta ſint, ijs quicquam eſſe diſiunctum. Quænam (malum) animorum iſta peruerſitas? vt eorum doctrina diſcordet, quorum eſt diſciplina communis? nec profectò diſſidentium magna mercede, cęcitatis in animo prauitatis in moribus, temeritatis in ſtudijs, ignobilitatis in vita. Quanto ſanctius, ac iucundius eſſet; ſi nollent irritam eius ſapiẽtiæ vim, quam vberem quidem ipſam, omnemque notitiam rerum optima-

marum pulcherrimarumque complexam Hieroſolymis primum duodecim capitibus concluſam, Nycææ poſtea diligentiùs explicatam, alibi ſæpiſſime pro tempore copioſius locupletatam, poſtremo Patrum noſtrorum memoria Tridenti ſumma doctiſſimorum hominum conſenſione defenſam, & Pontificum auctoritate ſancitam, nunquam intermiſſo veritatis hæreditario iure ſuſcepit hæc ætas. Quæro. cur hanc Sapientiæ vim Chriſtianus Orbis accepit? niſi hoc certiſſimum Patrimonium, hanc arcem eſſe Reip. hoc auitum domicilium, hanc paternam, natalemque ſedem putaret? eamque rebus optimis inſtructam, quemadmodū à maiotibus accepiſſet, quoad liceret, ornaret, ornatam habendã poſteris traderet quam Chriſtus ipſe poſuiſſet: in qua confirmanda Chriſti Legati collaboraſſent: cuius conſeruandæ gratia virorum, ac fœminarum tam multa millia ſanguinem profudiſſent: cui Rectorum literæ lucubrauerint: obtẽperauerint Reges: Cæſares militauerint: omnes omnium ætatum ordiees pro ſe quiſque paruerint? Quin igitur id ſtatuimus, quod certiſſimum eſt, hoc
eſſe

eſſe Rei noſtræ publicæ maxime pol-
licendum, & præſtandum, quod
illi ſemper potiſſimum fuerit, anti-
quiſſimumque ſit? Quam ob rem, ſi
pulchrum eſt, quam Deus impoſuit,
perſonam gerere pro dignitate: ſi
decorum filijs Maiorum augere pa-
trimonium? ſi glorioſum amplifica-
re generis dignitatem: ſi præclarum
erga parentes memoriam eſſe meri-
torum: ſi magnificum officiorum
reſponſione, quibus plurimum de-
beas certare cum magnis viris: ſi
pium, ſi bonum, ſi verum, ſi ſummè
ſalutare Reip. ſi multo fructuoſiſſi-
mum, ac iucundiſſimum eſt, cum
ſingulis, tum vniuerſis id tribuere
Patriæ, quod ipſa vehementiſſimè
flagitet; ne committatis, per Deum,
Adoleſcentes, vt aliquam in vobis
iuſtiſſimi huius officij partem aliquã
do Reſp. deſideret, cui cum omniũ
nomina meritorum aduerſus vnum
quemque veſtrum complexa ſit, à
vobis ſalua pietate deberi nihil po-
teſt. Alij, ſinite, nauigent: habet
illa, qui naufragijs quærant adiumẽ-
ta vitæ: non deerunt, qui percipiẽ-
dis agrorum fructibus annonæ con-
ſulant. nunquam Reſp. deſiderabit
Iuuenes manu promptos, qui cruẽ-
tam

tam pacem è caſtris petant. Alij multo opere templa ponant: veſtiãt parietes maculoſis mamorum cruſtis: exæquent numidico marmore pauimenta: Lyſippos, & Apelles magna mercede conducant: aduectas Aegypto tollant columnarum moles: illis aurata capita imponãt, precioſum ornatũ non ſentientibus: accendãt auro laquearia: valuas argento diſtinguant: aras illuminent gemmis: templorum cuiuſque modi ſupellectilem augeant. Magna ſunt hæc, fateor: ampla, non nego: ſplendida, & regia, concedo. Sed nihil ad noſtra, quæ Deus ex nobis, & Reſp. expectat. Si caſtum à vobis animum, ſi cupidum veritatis, ſi concordiæ ſtudioſum, ſi coniunctionis amantem, ſi iuſtitiæ tenacem, ſi decori vindicem, ſi memorem officij, ſi pium, docilem, beneuolum, ſapientem animum à vobis Patriæ dignitas impetrabit; habebit, quæ ſperat, & optat firmiſſima pręſidia belli, & ampliſſima ornamenta pacis; quibus nec illa quiſquam à vobis melius repetere, nec vos illi reddere maius poteſtis. Hæc vero munera ſanctiſſima ſunt, hæc hominis nobilitate digniſſima, hæc maxima, & cer-

certiſſima vectigalia, quæ nec naufragijs obrui, nec elementorum iniurijs intercipi, nec bellorum detrimentis amitti queunt. per quæ ſi viuimus; honeſte viuimus: in quorum ſtudio ſi morimur; beati ſumus: quæ qui deſerunt; humanitatem fugiunt: qui non amant; ſe ipſos oderunt. Hæc ſtudia mentis, hæc curricula virtutis, hæc decora dignitatis: ijs carere; quæ Ciuitas poteſt, nę illa falſo Ciuitatis vocabulo gloriatur. Receptaculum verius ſub humana ſpecie latentium ferarum, & diuerſorium illam dixeris vitiorũ omnium, quandoquidem ijs ornamentis caret, quibus detractis, hominis dignitas ad punctum temporis retineri non poteſt. Per quæ ſalutaribus conſilijs Senatus viget, quibus amiſſis iudicia nulla ſunt: quorum opibus Ciuium continetur ſalus: per quę florent in templis honeſtamenta pietatis: Sacerdotia ſanctius adminiſtrantur: optimis Ciuibus complentur oppida: pulcherrima ſobole gymnaſia celebrãtur expeditiſſimus omnibus ad cælũ communiter aſcenſus: humani demum generis adſtringitur vehementius, ac religioſius conſeruatur fides.

Qua-

Quapropter, ſi, quod initio dicebã, hodie vobis Athenienſium more iurandum eſſet; in hanc ipſam Reip. ſententiam, & in hæc legis æternæ verba iurandum putarem. Quam Dei diſcip'inam Auguſtinus vir apprime doctus ac Sanctus appellat apud Deum fixam, & in ſapientes animas eo conſilio tranſcriptam; vt tanto ſe ſciant viuere melius, tantoque præſtantius, quanto præclarius eam contemplantur intelligendo, & timendo cuſtodiunt diligentius. Eius cum vna pars vitæ ſit cognitionis, altera vitæ ſanctitas; cognitioni veritas præeſt. Hæc ille: nos nihil addimus. Adderet ſua lege recitata Solon *Iuuenes in Sacramentum ite, quod bene vertat*. non bene verteret: & tamen irent inſulatæ victimæ, non Patriæ, ſed Orco addictæ. Spiritum vltro deuouerent Patriæ, nihil redditurae pereuntibus. Quanto iuſtius Imperium Chriſti, quanto clementius eſt? qui cum æternæ legis Author, Conſeruator, Suaſorq; ſit; cumque ex lege nobiſcum agere iure ſuo poſſit; nihil tamen agit pro poteſtate, quaſi cum liberis. Rogandus ipſe, nos vltro rogat; vt mẽtem bonam accipere velimus, & qui-

dem à ſe, muneris non tanquam acce pti, ſed expenſi præmium relaturi Sapientiam, honeſtatem, felicitatem gloriam, & quidem immortalem, & quidem ab ipſo, ex cuius incredibili beneficentia nobis omnia cum honeſta, tum iucunda ceciderunt.

Ergo ne Solon ſi veniat in cõtentionẽ nobiſcũ; Alumnos diſciplinæ ſuæ Themiſtoclem, & Miltiadem producat, quos adempta ſpe ſalutis in cõfertiſſimas hoſtium acies immiſerit voluntarios: Agin, & Leonidam Reges, & maximarum copiarum duces Lycurgus magnifice iactabit, quos ad eam vitæ duritiam traduxerit; vt Patriæ cauſa nihil in omni vita ſibi iucundum, nihil acerbum putauerint? Xamolſcis habeat Anacharſes, & Sciluros ſuos ad rerum humanarum deſpicientiam inſtructos, quos à Scytharum ſolitudine, cum volet, excitare poſſit. Romulus inaniſſimæ victoriæ ſpe ſuis Ciuibus iniecta, Romanæ Iuuentutis infelices animas in eum locum tam ſæpe coniecerit, vnde ſe ſcirent nunquam eſſe redituras. Chriſtus vero virtutis, immortalitatis, gloriæ largitor ſuis perſuadere non poſſit; vt

bea-

beatiſſime viuere, atque in ſumma amplitudine florere velint? Et Illi quidem eas leges tulerunt, quas aut Victoris gladius reſcidit, aut rerum humanarum inconſtantia ſuſtulit, aut Ciuium obliuio deleuit, aut vetuſtatis longinquitas antiquauit. Author vero noſter eius inuentor eſt legis, quam in intimis mentibus expreſſam, & nullis vnquam ſceleribus ex humanis pectoribus penitus exhauſtam; ac cum ipſo genere propagatam nec ferro Barbaria violauit, nec præpoſteris opinionibus falſitas aboleuit, nec impiorum ex pũxit furor, nec morum obliterauit improbitas, nec immemor abrogabit reticentia poſterorum. Hominum illæ leges hominibus ſuadent præter humanitatem, nihil. hæc homines Diuinitatem docet. Illæ viuorum exutæ præſidijs iacent: hæc ex ipſa mortalitate reuiuiſcit. Illæ mandatæ literis intimum animum non obſtringunt: hæc impreſſa mentibus, à conſcientia diſſimulari nequit. Illæ decori partem vnam, aut alterã attingunt: hæc humana, hæc Diuina moderatur. Illæ temporum, locorum, perſonarũ definitione coërcentur: huic omni diſcrimine ſubla-

to, nulla finem allatura videtur æternitas. Illæ de rebus humanis inter homines diſceptant: hæc habet inter cæleſtes cum ipſa Diuinitate cõmerium. Illæ, ſi contemnuntur, Prætorum viribus vindicantur: hæc vlciſcitur ipſa ſe ſe. Corporibus illę minantur, ſi negliguntur: impiorum hæc Animos excruciat mœroribus ſempiternis. Ab illis, niſi leuiſſimã mercedem, nullam expectant ſui: ſalutaris hæc virtutis parens, beatæ vitæ commoda cum infinita, tum immortalia pollicetur, & præſtat.

Satis ne videtur eſſe cauſæ, quam ob rem id ſolum ex vobis expetendum ſit, quo ſolo cum priuata Ciuiũ ſalus, tum communis Ciuitatum felicitas, & dignitas humani generis comparatur? Per ego vos veſtram indolem obteſtor; Adoleſcentes, per ſi quid vnquam vobis aut publicè præclarum, aut priuatim iucundum ex Deo fuit, per iſtam ſciendi cupiditatem alacrem, & erectum, quam in animis veſtris inſeruit Deus, per legis æternæ vim iſtam, qua lõgiſſime diſtatis à belluis, per veritatis iſtum ſenſum, & auram, quam è cælo ducitis: date hoc Deo rerum omnium Principi, date hoc Chiſto legis-

legiſlatori optimo date hoc Naturæ, communi hominum Parenti, date hoc Patriæ, cuius & nomen pium eſt, & iucunda memoria: date hoc maioribus veſtris, à quibus degenerare non eſt veſtrum: date hoc humanitati, ad quam excolendam nati ſumus: date hoc vobis, quorum animos ad omnem honeſtatem inuitat Deus; vt in omni doctrinæ facultate, ſiue Cognitionis illa, ſiue ſit Actionis, ſiue humana, ſiue diuina; Veritatis, & Sanctitatis pulchritudinem vnice diligatis. idque præcipuum vobis, ac naturæ maxime conſentaneum eſſe iudicetis & Veritati viuere conuenienter, & Reip. cui nihil ſine magno ſcelere denegari poteſt; quam arctiſſima communis Iuſtitiæ neceſſitudine deuincıri.

PRO-

PROSA VI.

INGRESSIO

ad Dialogos de Tragœdia

Dicta in Claſſe Rhetoricæ Collegij Romani anno 1598. initio Nouembris.

DE Tragœdia, grauiſſimo quidem, ſed eodem funeſtiſſimo carmine veſtro rogatu mihi diſputare cupienti (nihil enim vobis pro veſtra facilitate debere poſſum) venit in mentem in ipſo veſtibulo luctuoſæ diſputationis, id à vobis, quos vnice diligo, fortuniſq; veſtris quas incolumes ac florentes cupio, deprecari, quod ab Archelao Macedoniæ Rege deprecatus fuiſſe fertur Euripides ſuæ memoriæ Poeta præſtantiſſimus. Erat, quemadmodum accepimus, ob ingenij famam Euripides cum omnibus Græcorum Ciuitatibus acceptus ac gratus, tum ipſis

ipſis Græciæ Regibus non in clientela ſolùm ac fide, ſed etiam in amoribus ac delitijs: maxime vero carus Archelao, de quo dicebam, ſummèque iucundus. Is igitur cum tragicum Euripidis ſtylum, doctis pariter, & indoctis probari videret; non ſatis gnarus quid eſſet optandum; hominem orare vehementer cœpit, vt pro amicitia Tragœdiam de ſuis rebus ſcribere in animum induceret; tum Euripides; Deus, inquit, meliora, fortunatiſſime Rex; ne verò, ne Beato tantum malùm: non hanc Superi fortunam tibi dederunt non Ciues orant: non amiciſſimus optat Euripides. In hoſtes potius à tuo capite fœdiſſima procella miſerabilis carminis declinet: tua vero perpetuo teneat eum curſum, quem tenet ad optabilem exitum vitæ, ſine conuerſione rerum, ſine fortunarũ offenſione felicitas. Quam igitur amiciſſimus Euripides Archelao miſeriam, eam Bernardinus initio mœſti ſermonis deprecatur ac recuſat à vobis. Quanquam aliud quidem eſt ingenioſos Adoleſcentes nouiſſe præcepta Tragœdiæ ſcribendæ, aliud tragicis Poetis argumentum præbere, quod ſcribant: quod cognouiſſe

vobis fortaſſe non erit iniucundum, nobis verò iam omninò pro noſtro munere neceſſariũ, Magnum opus, & arduum omninò conamur: ſed & nihil poteſt eſſe difficile homini vobis bona omnia cupienti, & quod ſit ſemel inſtitutum, conſtantiæ cauſa minime recuſandum videtur, cui, ſi maius opus ſubitur, quàm vt humeri ſuſtinere poſſint, ingredientibus conſiderandũ fuit quod moliremur: nunc verò iam ingreſſis nihil eſt integrum inhibere, ſed quòcunque feremur, illò nimirum eplixcanda vela ſunt. Illud præterea nobis in hac Ingreſſione nullo modo prætereundum puto: quod D. Aurelius Auguſtinus Vir ingenio, ac doctrina ſingulari ſuis in Confeſſionibus à ſe dicit animaduerſum: eam quippe Tragœdiam optimè ſcriptam iudicari, quæ maximam vim fletus exprimat, ſi proferatur in ſcenam. Quo dicto Vir ſapientiſſimus videtur non tam Poetas officij, quàm homines naturæ ſuæ commonere voluiſſe. Quid enim aliud cauſæ dicamus eſſe; quòd lamentabili carmini libentiſſimè plauſum damus? quod horribiles exitus florentiſſimorum Principum iucunda conqueſtione proſequi-

Cauſa cur tantopere delectet Tragœdia.

quimus? quod inopinatas viciſſitudines, rerumque conuerſiones ſine ſatietate ſpectamus? quòd ad miſericordiam Actoris ficta querimonia iucundiſſimè quamuis dolenter incendimur? quòd oculos mæſtis imaginibus explere: quod dolorem lacrymis ſatiare non poſſumus: quod denique ſimulatis funeribus, orbitatibus, luctibus, eiulatibus, vaſtitatibus tantopere delectamur? niſi quod ærumnoſiſſimæ naturæ miſerijs, ac vitijs iam inſueuimus, & ad ſenſum noſtræ calamitatis, obducto dolore ſic obduruimus, vt ſua natura vulnus aſperum tactu, iam exulcerari iucundiſſimum ſit, ipſa conſuetudine mitigatum. Demum (vt exilij calamitoſiſſimi conditionem vltimam non ignores) Mortali, flebilibus ærumnis obruto flere magna voluptas eſt. Et illa vox Thieſtea nimirum in omnes homines conuenit.

Venit in medias voces gemitus:
Mœror lachrymas amat aſſuetas.
Flendi miſeris dira cupido eſt.
Libet infauſtos mittere queſtus:
Libet & tyrio ſaturas oſtro
Rumpere veſtes: vlulare libet.

Tantum ſuppliciorum ob culpam

affectatæ properanter, ac præpoſteræ felicitatis, tantum pœnarum damus. Verum, ne deplorandis calamitatibus, dum Tragœdiam excitare videamur: quod inſtituimus, in hunc modum ordiri placet: vt doctorum Virorum ſermonibus, quid ipſe ſentiam, proferatur.

Rainut. Card. Farneſ. Cum Eteſiarum diebus Rainutius Farneſius Card. Ampliſſimus in Lucretilem Sabinorũ animi gratia veniſſet, ac illius receſſus amœnitate per æſtiuos calores plurimũ vteretur; ſi quando quibus maximè diſtringebatur à grauiſſimis Chriſtianę Reip. negocijs reſpirare licuiſſet; accidit, vt eòdem cum illius familiari comitatu, complures illius tempeſtatis doctiſſimi Viri partim, ſtudij, partim officij, partim otij cauſa concederent, ab vrbanitatis & curis domeſticis, & publicis feriati. *Iacobus Sadoletus, Petrus Bembus* Erat in his Iacobus Sadoletus, cui primæ Patrum noſtrorum memoria in Rhetoricis deferebantur, & illius æqualis Petrus Bembus, is, qui magnos in omnibus literis, nominatim autem in Ciuilibus multo maiores proceſſus habere putabatur: quorum vterque cum Farneſijs Principibus fidem, beneuolentiam, induſtriam,

ſtriam, doctrinam, ſapientiam probaſſent ſuam, gratiſſimorum ac munificentiſſimorum Principum beneficio, & ſuffragio ad Cardinalatum euecti, clariſſimi nominis honorē, ac dignitatem in ſuæ familię nouitatem intulerunt. Aderat cum his Aloyſius Triſſinus, Vir in poeticis apprimè diligens, & eruditus, iſque tum Sophoniſtam forte illam habebat ad limam, quam primam, & eloquentiſſimam Tragœdiam ethruſcis numeris editam, Roma ſuſpexit. Bernardus etiam Taſſus adfuit, vt Rainutium ſalutaret ex itineris occaſione, quod habebat ad Salernitanum Principem euocatus, homo cū primis ſuauis, & doctus, huius doctiſſimi, grauiſſimique Poetæ Pater, qui proximè cum magno bonarum literarum incommodo decedens, ſui deſiderium, & deſiderij ſolatium reliquit egregij Carminis immortale monimentum. Et Bernardo, non ita multis annis inferior Annibal Carus, ſtudioſiſſimus Farneſiorum idemque gratiſſimus, in quo tum iuuene ſpes illa ſe ſe ſummæ ſuauitatis efferebat, quæ poſtea pubeſcens latius in liberaliſſimi Principis domo, tanquam in opimo ſolo, tem-

peſtiua frugum vbertate maturuit. Is admodum adoleſcens ex magno rei familiaris naufragio ac tempeſtate, quam illi nonnullorum hominum commorat iniuria ad Rainutij facilitatem, ac beneficentiam, tanquam ad portum confugerat, quod vnum habebat ætas illa perfugium, & honeſtiſſimum, & opportuniſſimũ virtutis atque doctrinæ.

Profectus igitur Roma Rainutius Mandelam Sabinorum olim pagum, nunc oppidum perrexit primo die, quod ille tum vetus, ac iam pene collabens caſtellum demolitus, nouam arcem pereleganti opere muniebat. Hic aliquot horis quieti datis, mox auditis prouincialium querelis, rebuſque municipij compoſitis, placuit poſtridie cum illa doctorum Virorum manu in Lucretilem ire: vt videlicet in illa veluti cœna conceſſæ quietis, ne deſideraretur ipſum cœnæ caput, ſermo bonus: quod & animi pabulum iucundiſſimum, & otij condimentum eſt optimum. Ergo pomeridianis horis ad Digentiam (riuus hic eſt gelidiſſimus, Mandelam præterlabens platanorum vmbraculis tectus, & tanquam de induſtria concameratis arborum

borum ramis opacus ac ſilens, vt nihil fieri poſſit amœnius) progreſſi, cubantem, & Lucretili monti ſubiectum Vſticam aperuerunt. Tum Triſſinus pellucidum fontem, è venis, vt videtur, montis exſudantem, belliſſimèque cadentem contemplatus ad Bembum reſpiciens, Eſtne Bembe tuarum deliciarum, inquit, hæc illa Blanduſia, quam *vitro ſplendidiorem* Venuſinus Anacreon *dulci dignam mero, non ſine floribus hædulo donat, cui frons turgida cornibus prælia deſtinat fruſtra*. Sanè videtur ita: niſi tu ſentis aliter. ecce tibi locus conuenit, & in Sabino ſumus, & hæc opacitas Siluæ digna Romanis delicijs inuitare potuit fortaſſe Mecœnatem lautiſſimum, & omnem vmbram auidè conſectantē quietis, vt alios permultos illius memoriæ delicatos Viros. Quintu Romanis inſignita nominibus, tumulis paſſim circumiectis impoſita caſtella veterum familiarum vide! Pompeiorum, Cæſarum, Voconiorum, Marcellorum, Gabiniorum in oppidorum formam aſpice redactos Vicos: Gabinianum, Marcellianum, Viconianum, Cæſaranianum, Pompeianum: & illa longius reiecta Ru-

tilia-

tilianum, Nacianum, Pontianum, Mallianum, Septimillianum à Septimijs, Mallijs, Pontijs, Nacijs, Rutilijs nuncupata. Tum hæc fertilitas, & hic herbidus terræ veſtitus; & ſpecies hæc amœniſſima regionis, frondoſis iugis, & in omnem quaſi topiariam artificio naturę formatis, leniter, ſenſimque ſurgentibus opaca quid aliud fuerit, quàm à Mecœnate conceſſus Horatianæ voluptati ſinus? Cubantem Vſticam hic vides, & Fabarim ad latus adſtrepẽrem audis: hic ager, vbi nunc inſiſtimus, eſt fortaſſe Lucretilis, tum vber hic liquor Villæ proximus admurmurans è venis ſilicis, vt cernis, erumpit, & canorus auicularum concentus, & ſiluulæ ſuſurrus, & ad fontis leniſſimum ſtrepitum aſpiratio ſalubris, auræque adſibilantis, tãquam admodulata reſpõſio mihi reuocat in mentem ex Horatij ſermonibus verſiculos ipſius:

Hoc erat in votis: modus agri, non ita magnus,
Hortus vbi, & tecto vicinus iugis aquæ fons,
Dÿ melius fecere bene eſt nihil amplius oro,

Maia

Maia Nate: niſi vt propria hæc
mihi munera ſaxis.

En tibi reductus ille campo ſinus, en rupes vtrinque pendentes; en qui campum medius humor interſecat: en gelidi cœli temperatio,

Speluncæ, viuique lacus, & frigida Tempe, Quæ flagrantis atrox hora caniculæ neſcit tangere: Quæ frigus amabile feſſis vomere Tauris præbent, & pecori vago. An hæc illa Bembe, Blanduſia eſt, *Quæ nobilium eſt iam quoque fontium, Illo dicente cauis impoſitam ilicem ſaxis: Vnde loquaci limphæ deſiliunt ſono?*

Non equidē dubito, quin tua, Triſſine, coniectura vera ſit, inquit Bembus, quanquam iſta veterum, & noſtrorum nominum, locorumque cōtentio quantum dubitationis afferat, & iucunditatis intelligis. Eſt enim incertæ coniecturæ quædam admixta voluptas, quæ plerumque blanditur errore: Et tu quidem perelegantèr, qui noſtratibus priſca conferens, & deſcribens, ita plane rem ſenſibus admouebas, vt propemodū mihi ſuauius eſſet locorū hanc imagi-

ginem audire, quam cernere. ſemper enim Triſſine poeta es: quoniã non Pictorum magis, quàm Poetarum eſt artifex iſte penicillus, & dędala cura colorandi. Te miror tamen, qui diligentiſſimè cetera perſecutus, cum ſuis coloribus regionis formam eloquens Pictor effinxeris; alia quędam pręclariſſima coniecturæ lumina, ac delineamenta vel nõ peruideris, vel neglexeris. Quæ tãdem iſta ſunt? inquit Treſſinus: at Bembus, Pagus erat Maioribus, Mãdela nomine: tum ille, qui præter fluit oppidum riuus, quem vado paulo ante tranſiuimus: & quem ab oriente ſole labẽtem *Solis* nunc vocant, antiqui Digentiam, & ſiquidem hoc rus eſt illud, & hæc Villa, quæ Poetæ iucundiſſimo Mecœnas dedit vt paulò ante dicebas; illud oppidũ eſt Mandela, riuus hic Digentia, vt mihi videor apud amicum tuum in Epiſtola legiſſe ad Lollium. Verſiculos agnoſce.

Me quoties reficit gelidus Digentiarius,
Quem Mandela bibit rugioſus frigore pagus:

Quid

Quid ſentire putas; quid credis amice precari?

Cum Bembo Triſſinus fuiſſet aſſenſus, Rainutius, qui cum reliquo comitatu ſtudio veſpertinæ precis, inſtituto Pontificum ex more recitandæ prouectus vlterius fuiſſet; ambulationem emenſus ad Xyſtum directam, tonſilique fruticeto marginatam duobus,aut tribus ſpatijs factis ad Blanduſiam regreditur. Hic, vt erat homo perhumanus, ac facilis, comiter, vt ſolebat, ad Bembum conuerſus; ecquid, inquit, hic perſpicui fontis aſpectus, & iucundus auicularum cantus Triſſinum noſtrum impulit, vt in hac amœnitate, ſiue Blanduſiæ ſuaſu, Poetarum more meditetur? Imo vero, inquit, Bembus,nouo quodam appulſu Numinis excitatus, hiſtorica ſimul, & poetica libertate mihi ſpeciem hanc regionis paulò ante deſcribens, omnem antiquitatem ex inferis euocauit. Affirmat enim (id quod ego nõ nego) prædiũ quod Horatio Mecœnas,dediſſet,hac regione fuiſſe definitũ: qui dum ad id affirmandũ omnia conquirit argumenta,coniecturæ teſtes Pompeios, Cæſares, Marcellos, Gabinios, Septimios, quaſi forenſis

actor

actor ex illiſce caſtellis, ac tumulis excitauit. Tum arridens Rainutius. Quid inquit, hanc Reginam Aegypti non laudauit? Subſcribit hæc tuæ Triſſine, ſententiæ: niſi fallor, & teſtis eſt locuples, Mecœnatis ſe fuiſſe maucupi. Erat autem hæc ad pedes è pario marmore ſtatua, temere proiecta, manibus amputatis, abſciſſis pedibus, capite direpto, ſiniſtram mammam exſertans, & à pectore pube tenus diloricata veſte: tũ mammam appetebat aſpis admota. ſitella cernebatur in baſi, cum ficuũ frondibus, quibus, quantum conijcere licebat, imagine ruſtici muneris obuolutam aſpidem accepiſſet. QuareCleopatrę ſignum illud in Villa collocatum à Mecœnate fuiſſe exiſtimabat: quod Rainutius contemplatus, eſt igitur hæc, inquit, à te, Triſſine.

——Quæ Capitolio
Regina dementes ruinas,
Funus & Imperio parabat.
Contaminato cum grege turpium
Morbo Virorum. Quidlibet impotens
Sperare, fortunaque dulci
Ebria. Sed minuit furorem
Vix vna SoſpesNauis ab ignibus,

Men-

Menſemque lymphatam Mareotico
Redegit in veros timores
Cæſar ab Italia volantem
Remis adurgens: Accipiter velut
Molles columbas: aut leporem citus
Venator in campis niualis
Aemoniæ: daret vt catenis
Fatale Monſtrum. Quæ generoſius
Perire quærens, nec muliebriter
Expauit enſem: nec latentes
Claſſe cita reparauit oras.
Auſa & iacentem viſere Regiam
Vultu ſereno fortis, & aſperas
Tractare ſerpentes: vt atrum
Corpore combiberet venenum:
Deliberata morte ferocior
Sæuis liburnis: Scilicet inuidens
Priuata deduci ſuperbo
Non humilis Mulier triumpho.

Veri autem admodum ſimile eſt, in hortis ſuis delicatum Hominem illius victoriæ ſignum extare voluiſſe, cuius gloriam ſibi cum Auguſto communem, periculorum ſocietate ſtrenuus bellator eſſe iudicaſſet. Hęc Rainutius cũ dixiſſet, non leui coniectura rem ita ſe habere odorati ceteri,

teri, ſtatuam ante pedes iacentem intuebantur. Tum ex vrbana Villa puluillis allatis itum eſt in proximã Blanduſiæ cameram erratico ſequacis hederæ lapſu cõuexam, & inumbratam. Hic afflantibus eteſijs, & oportune refrigerantibus æſtiui ſolis ardores, vt aſſolet, proue&o iam ad veſperam die, ſermo de Tragœdia, qui ſuper heſterna cœna poſt Sophonisbam à Triſino recitatam ortus, & in hanc diem atque locum dilatus fuiſſet, ad hunc modum repetitus dicitur.

Cum enim inter Traſſinum, & Taſsum de Tragœdiæ materia priſtina diſputatione non parua fuiſſet nata contentio: dum alter anguſtè rem, & religiosè cogit præceptionibus Ariſtotelis deuinctam: Alter diſſolutius, iudicio multitudinis, naturæ ſenſu, Poetarum exemplis definiendam putat. Cleopâtræ truncum Bembus intuitus, interpellandi venia à Rainutio modeſtè petita, libereque conceſſa; Vel hæc, inquit, *Auſa & iacentem viſere Regiam, vultu ſereno fortis, & aſperas tractare ſerpentes, vt atrum corpore combiberet venenum*. vt mihi quidem videtur veſtris literis leuiſſimè

aſperſo, ſatis vberem, & lamentabilem copiam præbet Tragicis exulcerandi dolores: qua de re, niſi moleſtum eſt, velim audire, quod velle, & rogare per humanitatem huius Principis, & veſtram beneuolentiã liceat, vel tu Taſſe, vel tu Triſſine quid ſentias, quando vos duos Poëtas ingenioſiſſimos nimium ferax hæc tulit ætas. Siquidem, vt vere dictum eſt à Labeone.

Conſules fiunt quotanni, & noui Proconſules;
Rex, & Poeta non quotannis naſcitur.

Tum huc exrema diſputatio, ſi meminiſtis delapſa ſuaſu noctis intermiſſa à nobis eſt; vt ad Blanduſiam reuocaretur. Agite dum igitur Cleopatram è florentiſſimis fortunis ad poſtremas humanæ conditionis miſerias deuolutam, quibus legibus, an multitudinis, an Ariſtotelis, an naturæ cũ ſyrmate prodire faciemus? & hæc aſpidis admorſu ſaucia, & *pallida morte futura* num omninò nihil, num aliquid, num multum miſericordiæ commouebit? ſi nihil, quid illud tandem eſt, quod ipſam miſeriam faciat miſerabilem? Si ali-

quid:

qnid: cur non potius multum? cur non ſummam commiſerationem inflammat ſummæ felicitatis, & calamitatis viciſſitudo ſi multum? Id eſt equidem, quod audire peruelim. Quod ſi docueritis, illud facilius impetrabo, vt ex ijſdem officinis educam Cleopatram tertiam, ex quibus Canacem, & Sophonisbam accepimus. Quæ cum dixiſſet Bembus; ſilentium Sadoletus obſeruans ob modeſtiam vtriuſque pertinax; vt erat ſalſus, excepit arridens ad Bembum. Sentis ne, Bembe, doctiſſimos, inquit, viros, & modeſtiſſimos hæſiſſe? In quo tua culpa nonnulla eſt. Non ſatis eleganter (quod nolim ita dictum vt mihi poſtea reconciliandus ſis) non ſatis, inquam, eleganter è duobus, in eodem genere ſummis ſcriptoribus, in hoc conſeſſu, & apud hos viros, ſimul id percontatus es; in quo ſi quis eodem modo te interroget; dubites an eloqui, an audire ſit pulchrius? An tu, famam Ingenij, quam Modeſtiæ, noſtris Poëtis antiquiorem putas? Nunc igitur iſta tua percontatione de ſpe concidimus hodierni ſermonis. Rem vides eò deductam, vt vel officioſis

ver-

verbis eximendus hic dies ſit, ſermonem recuſantium, ac concedentium Poetarum; vel imperio compellendi, vel ſortito prouocandi ſint ad dicendum elegātiſſimi Viri: quorum alterum ipſorum facilitas recuſat: alterum auctoritas reſpuit. Nā nec imperio cogendi ſunt, qui ſua ſe ſe voluntate facillime dedunt: neque dubiæ fortunæ ſortibus ingenij fama in diſcrimen offerri decet. iſto modo ſi pergis quærere; prædico tibi, ne ſi totam exhauſeris funditus Blanduſiam; eblandiri poſſis ex iſtorum modeſtia vocem. Quid ergo nos, inquit, Bembus in Senatu ſumus? in quo rogati ſinguli ſententiā dicunt? At ego ruſticanus vrbanitates veſtras rure depoſui. Quin vide, quàm nihil oratione tua Sadolete, moueat. Ruſticè peccatum rure cogito corrigere non vrbanè, ſed ruſticè: quaſi ſemipaganus Ludimagiſter cum vobis vrbanis agam. Indolem aſpice: num tibi videor, vt Vpilio ſatis lautus, aut Horatianus Ofellus ille popularis huius fortaſſe loci

Ruſticus, abnormis Sapiens, craſſaque Minerua?

Nunc

Nunc igitur age, Taſſe, tu iam de Cleopatra quid reſpondes? Eſt ne huius Aegyptiæ Reginæ miſerabile documentum in vtramque partem ſatis idoneum ad eam formam, in qua includendum Tragicorum argumentum putas? Hoc dicto, ſubriſit Bembus, nec obſcurè declarauit: ab illo quæſtionem fuiſſe deductam, ac veteris amicitiæ libertate traductam ad Taſſum. Quapropter amici rogatu Taſſus prouocatus, nō inuitus hoc Bembo dedit; vt & illi curam eximeret corrigendæ quæſtionis, & beneuolentiæ laudem aliquā erga Bembum ipſe quæreret apud tantos viros, ſi fuiſſet ab illis intellectum à ſe non nihil de modeſtia fuiſſe remiſſum, vt amico gratificaretur. In hunc igitur modum eſt à Taſſo ſermo inſtitutus; & à tali quodam inductus exordio.

PROSA VII.

INGRESSIO ad Dialogos de Comœdia

Dicta in Collegio Romano anno *1599.* ſub initium Nouembris in Claſſe Rhetoricæ.

CVM deligendi vobis optionem dediſsem, quam potiſsimum carminum formam ex me velletis hoc anno cognoſcere de tribus, quas anno priore mihi poſt demonſtratam Tragœdiæ condendæ viam, reliquas ipſe feciſſem: cũque claſſem ad voluntates veſtras percipiendas miſiſſem in ſuffragium; comperi multis partibus maiorem eorum numerum eſſe, qui Comœdię ſcribendæ ſtudio tenerentur, quã eorum, qui ſe de quouis alio genere doceri mallent. Quo tempore, quãquam mihi non ingratum fuit, quod ipſe vobis vltro voluntarium eſſe

ſtatuiſſem; id ſuffragio veſtro mihi fieri prope iam neceſſarium; tamen vehementer ſum primo veſtra poſtulatione commotus; quod viderē, me religioſum hominem, ex quo nō minus ſeueritatem doctrinæ, quam vitæ grauitatem, inſtitutæ rationis dignitas, & domeſticæ diſciplinæ ratio poſtularet; repente iuuenum meorum rogatu, voluntarium ad populares ineptias, & ad facetiſſimi carminis leuitatem vocari. Sic ego met mecum. Quid igitur? is ego ne ſim, aut eſſe debeam, qui Dauorum verſutias, qui Thaidum fœditates, qui voluptates Pamphilorum, qui Thraſonum venditationes, qui commeſſationes Gnatonum, qui lenocinia Phormionum, qui cæteras illas infimæ plebeculæ ſor[illegible]s, & poſtremas hominum quiſquilias, lorarios, lanios, cætarios, cupedinarios, coquos, fartores, ſcrutarios conſectandos putem? Cui vero bono? Num vt aliquid ipſe veſtram ad ſapientiæ frugem, & gloriam ex ea cognitione decerpam? qui nihil exiſtimem illa centum capitum bellua leuius, nihil mobilius, nihil inconſtantius, nihil ineptius, nihil à grauitate ſapientum magis abhorrens? An

An vt multitudinis moribus, ac morbis potius deprehenſis, ad illius ſenſus admouere vim orationis, & aliquam dicendo poſſitis, ſanandis plebis animis adhibere medicinam? honeſta oratio; modo medentium id fieri citra periculum poſſit. Equidem non magis multitudinis inſanię conſulendum hoc tempore, quàm adoleſcentiæ veſtræ ſanitati cauendum puto. An vt argutiæ facetiarũ cognoſcantur? vt & ipſi facultatem orationis adepti, cum opus fuerit, commoditate dictorum & iocorum opportunitate, Cõcionis frequentiã exhilarare poſsitis? Eſt hoc aliquid, quod & vrbanitatis eſſe pleriſque videatur exhilaratio liberalis, & in Oratoris laudibus pulcherrimum. Nam & M. Craſſus, acutè iaciendis ridiculis, nunc ad reficiendos Auditorum animos, nunc ad Aduerſariorum audaciam comprimendam ſolitus erat excitare riſum. Sed qui tãdem nos ſumus? nonne ſi rem ad viuum, vt aiunt, reſecare volumus; totum hoc ridiculum, leuiſſimum eſt, & omnino recuſandum? Nobis præſertim, ad modeſtiam, ad ſanctitatem, ad cęleſtem ſapientiam eruditis? nempe à Deo, quibus ſi quic-

quam aliud in vita cuſtodiendum, illuud eſt profectò diligentiſſime tenendum, quemadmodum auctoritatem nominis, & vberrimi promiſſi dignitatem, & ſuſceptę perſonæ tueri partes poſſimus, quas Chriſtianis hominibus qui Dei beneficijs ampliſſimis vtuntur, Dei filius ſapientiſſimus Auctor impoſuit. At nimis hoc durum eſt, dicet quiſpiam. Primum id nego, qui ſciam eſſe ſuauitatem virtutis vberrimam, & nihil videri ſemel in illius, vt ita dicam fortunas Regias, ac felices hortulos ingreſſis ipſius amœnitate iucundius. Sed faciamus id ſanè ſapientiæ chriſtianæ præceptum iniucundum, infacetum, inſuaue, durum, aſperum eſſe. Nobis ne tamen aſperum, aut durum videri debeat, in quo videamus innumerabiles homines, homines, inquam, non è ſaxo ſculptos, non è robore dedolatos, ſed ex noſtro ſanguine concretos, honeſtiſſimè, iucundiſſimè, diutiſſime conſtitiſſe? Mitto Principis, ac Parentis noſtri ſingulare documentum, quem nunquam in omni vita riſiſſe legimus. Mitto ſeuerum eiuſdem iudicij denuntiationem illam, & authoritatem iubentis, ne quid

om-

omnino perperam, ne quid temerè proloquamur. nullum enim dictum aut in dicto verbum, quod futile ſit, & inane abiturum impune. Futile vero dictum aut verbum id videri, quod nō ad aliquā ſapientiæ partem referre poſſis. Mitto Sulpitij Seueri grauiſſimi viri ſententiam, qui Martini Turonenſis Epiſcopi ſanctiſsimos mores, reſque geſtas explicans, populares iſtas delicias, & vt ex præſcripto ſapientiæ loquar, facetorum hominum iſtos inſulſos ſales, in ſanctiſſimi viri laudibus nō inuenit, nec vero poſuit in chriſtianæ Sapientiæ partibus. Nec illud ſanè commemorabo, quod in hac cœleſtium animorum peregrinatione ne dicam, an fuga? calamitoſiſſimam vitam, quamuis in terris cum belluis degimus; palęſtram eſſe iudicamus exercitationemque glorioſi quidem, ſed tamen ærumnoſi laboris. Exſulibus ne, rerum omniū egentiſſimis, beatiſſimæ patriæ non ſolum ornamentis, ſed etiam ad multo maximam partem præſidijs exutis, & exitij ſempiterni periculis vndiq; circumſeptis, & è vinculis miſerrimæ ſeruitutis quam primum euolare cupientibus in libertatem,

ac dignitatem filiorum Dei, quicquam poſſit, aut debeat eſſe iucundum? non potius acerbiſſimum? Quid in exſilio delicias, in calamitatibus illecebras optamus? theatra frequentabimus? aſſidebimus ſpectaculis? dabimus plauſum hiſtrionibus? hilarari volumus? cachinnari poſſumus? iocari debemus? deſidẽ ætatem mortales, exſules otioſiſſimè conteremus? An vt exſilium prorogemus? an vt inſanire videamur? Mœror quidem, & luctus, aut ex perpeſſione præſentium, vel impendentium malorum, aut ex deſiderio felicitatis amiſſæ, & recuperandæ in exſilio luctuoſo nomen iam occupare debuit beatæ vitæ quoad omni ſcelere deterſo, perque lacrymas omni vulnere ſanato, cæleſtis patriæ poſtliminio reducat exſules. Au ctor is, qui noſtra cauſa, lætitiam alienam putauit mœſtitiam ſuam. Is adeo beatæ vitæ partes cum enumeraſſet octo; moleſtias vltimæ neceſſitatis illa pulcherrima conſolatione leniuit, beatos eſſe qui lugerẽt: eoſque cõſolandos, qui vitam ſic inſtituiſſent, vt eam in perpetuo mœrore traducerent. Ergo merito Maiores noſtri, à quibus Chriſtiani nomi-

mi-

minis non tam nomen propagari, quam virtutem oportuit in hanc ætatem: qui propius abeſſent ab illis præclariſſimis exordijs sãctitatis, nec è tanto, quanto nos interuallo Chriſti Domini noſtri recens exemplum intnerentur, omnem à ſe remouebant inſignem corporis ornatum; atrumque veſtitũ ſumebant, vt animi mœrorem mœſtitia coloris oſtẽderent. Itaque noſtri nominis homines à nonnullis illius ætatis ſcriptoribus *atrati*, *pullatique* nominantur. Eorum igitur aliquis ſi hac tempeſtate reuiuiſcat, & hoc gymnaſium ingrediatur, videatque ſui generis alios docentes, diſcentes alios, qua ratione poſſint faceta carmina conſcribi: quibus carminibus ad orcheſtram Comœdi plauſum actionis, comici rumoris auram; ſpectatores voluptatis inſaniam aucupentur, quid illum dicturum exiſtimatis? Non ne, cum me, cum vos circumſpexerit; id exclamaret, morũ noſtrorum, & ſuorum diſſimilitudine commotus, quod eſt apud Poetam neſcio quem, de antiquæ, honeſtiſſimæque domus inquilino degenere.

O domus Sancti quam dipari Domino dominaris?

prolapſam deplorans ad leuiſſimam ineptiam vitio nepotum, Parentum grauiſſimam diſciplinam. Hæc inquam honeſtiſſimæ ſeueritatis exẽpla domeſtica miſſa faciamus. Veniamus ad externa. Captandi riſus artificium, quonammodo probabimus ijs, qui multitudinem hominũ nobis ex veteribus gentium annalibus proferre poſſunt, quorum alij nunquam omnino, alij raro ad modũ riſiſſe perhibentur? Ferunt Craſſum auum illius auari, qui diuitiarũ cupiditate, bellum ſibi contra Parthos depopoſcit, vel habitu naturę, vel curarum acri meditatione diſtrictum, in vita riſiſſe nunquam, ob eãque cauſam agelaſtum vocatum. Ariſtidi, quem oſtraciſmo pulſum Athenis accepimus, Athenienſium iuſtiſſimo riſus rarus, iſque ſeuerus, ac breuis, nec niſi de ciuium moribus ineptiſſimis fuit; vt faciie illum non ridere, ſed irridere cognoſceres. Omnes præterea Sapientes, ſiue quos Græci, ſiue quos Latini, ſiue Barbari mirantur; ad lætitiæ moderationem, & mœſtitiam quandam

Ethnici mœſtitiam adamãtes.

gra-

grauiſſimæ diſciplinæ flexere mores. Socratem quidem oraculo Delphico ſapiẽtiſſimum iudicatum, eodem ſemper fuiſſe vultu, nec hilari magis, quam turbato legimus. Exijt hic quidem animi tenor in pleriſq; perpetuus in rigorem quendam, ac duritiam immanem, & inflexibilem, & ſenſum humanitatis funditus extinxit totum: quales eos fuiſſe narrant; quos apathes Græci dicunt authores: vt mirum ſit maximæ ſapientiæ Diogenem Cynicum, Pyrhonem, Eraclitum, Timonem, hunc quidem etiam ad odium vſque generis humani prouectum. Sed tamen eo faciliores ad moderationẽ vitæ grauem reditus à ſeueritate, quàm à leuitate ſunt. Procli quoque grauiſſimi Philoſophi me nonnihil authoritas mouet, qui ſcenicam hanc meretriculam (ſic enim appellat iocularem Poeſim) exagitans grauem, & ſeueram quandam Muſam in populo verſari iubet: & Platonis, qui iuſtiſſimæ Reip. formam deſcribens, ſcenicos artifices omnes è Ciuitate pulſos, aqua videtur & igni interdicere voluiſſe. Verum ne diutius in re notiſſima immoremur; non ne videmus, vt ipſa natura nos erudiat

ad conſtantiam quandam perpetui mœroris? Nos illa natos ad imperia, nos mundi Dominos, quos vocat, & animantum Deos, nudos in nudam humum ipſo natali die ſtatim abijcit ad vagitus, & ploratum ærũnoſiſſimæ vitæ flebilem cõditionem, lacrymis auſpicatam. ſed illo riſu iucundiſſimo, quem Comici ſectantur, ante quadrageſimam lucem mortalium nullus hilareſcit. Ab hoc lucis rudimento (inquit Plinius) quæ ne feras quidem inter nos genitas, excipiunt vincula: & omnium membrorum nexus. Itaque feliciter natus iacet manibus pedibuſq; deuinctis, flens, animal cæteris imperaturum: & à ſupplicijs vitam auſpicatur, vnam tantũ ob culpam, quia natum eſt. Non ita profecto, Plini, ſed quia natum eſt mancipium fraudis, & neceſſitati mortis obnoxiũ. Heu dementiam ab ijs initijs exiſtimantium ad ſuperbiam ſe genitos. Prima roboris ſpes, primumque temporis munus quadrupedi ſimilẽ facit. Quando homini inceſſus? quando vox? quando firmum cibis os? quandiu palpitans vertex, ſummæ inter cuncta animantia imbecillitatis indicium? Iam morbi, totq;

me-

medicinæ contra mala excogitatæ, & hæ quoque ſubinde morborum nouitatibus victæ Cætera ſentire naturam ſuam: alia pernicitatem vſurpare, alia prępetes volatus, alia vires, alia calliditatem, alia natatus. Hominem ſcire nihil ſine doctrina: non fari, non ingredi, non veſci: breuiterque non aliud naturæ ſponte, quam flere. Itaque multi extitere, qui non naſci optimum cenſerent, aut quam ocyſſime aboleri. Vni animantium luctus eſt datus: vni luxuria, & quidem innumerabilibus modis, ac per ſingula membra, vni ambitio, vni auaritia, vni immenſa viuendi cupido, vni ſuperſtitio. (Plinius hic ad ingenium redit philoſophus impius: Sapientiæ Parentem, Artificemque Mundi, ac Magiſtrum ignorabat Deum; Vt omnis illi ſuſpicio Diuinitatis, & immortalitatis, omnis procuratio ſacrorum, omnium cœleſtium metus, & Religio ſuperſtitio videretur) Itaque vni, inquit, ſuperſtitio, vni ſepulturæ cura, atque etiam poſt ſe de futuro. Nulli vita fragilior, nulli rerum omnium libido maior, nulli pauor confuſior, nulli rabies acrior. Denique cętera animantia in ſuo genere pro-

be degunt: congregari videmus, & ſtare contra diſſimilia: leonum feritas inter ſe non dimicat: ſerpentum morſus non petit ſerpentes: nec maris quidem belluæ, ac piſces, niſi in diuerſa genera ſęuiunt. At homini profectò plurima ex homine ſunt mala. Hæc igitur ſæpius, hæc, inquam, ſtipendia miſeræ mortalitatis, & illa ſuperiora luctuoſę conditionis authoramenta mœſtiſſima: ſi verè ſanari volumus: ſi bene pertæſum eſt intolerandi dominatus: ſi libertatem, & patriam reſpeximus; hæc inquam, cogitatione ſæpius repetamus. illa tyrocinia mœroris, illa cunabula non prius ridentis, quam gementis: nec ante nati, quàm morituri animantis: illos ploratus, vagitus illos, illa rudimenta noſtræ naturæ prima recordemur libentius per Deum: quam animum immortalem cœlo ſatum, Deo proximum, Deo debitum, ſenſuum vile mancipium eſſe patiamur: quàm cœcum illius impetum, valide procumbentem in omne pabulum, quamuis noxiæ voluptatis, ſeruitutis immemorem, oblitum dignitatis, mortis improuidum, in procaces iocos, in petulantiam dicacitatis diſſolutam

effun-

effundamus: Hæc vero digna noſtro genere, hæc digna ſapiente meditatio, & ſanctitatis, & intelligentis naturæ cæleſtis diſciplina ſalutaris, hoc amplum, hoc magnificum, hoc homini præclariſſimum eſt, intelligere qui ſis: meminiſſe qui ſis futurus: cœlum animo complecti: Diuinitatem virtutis vi capeſſere: Deo digna virtutum Arbitro moliri imperare cupiditatibus: libidinibus nolle ſeruire: regere licentiam: inania reſpuere: caduca contemnere: vitam ſanctè, ſeuerè, ſapienter tranſigere: Demũ ſe ipſum in terris noſſe; quaſi mortalem Deum. Hæc adeo nobis Aud. in mentem reuocãda fuerunt antequam ad id explicãdũ, quod poſtulaſtis, aggrederemur; vt cognito quid vos, meque deceat in hac poſſeſſione chriſtianę Sapientiæ nobis diuinitus oblatæ: tum demum conſtituere poſſemus quid impetrare vos oporteat ab eo, qui nihil magis vereatur, quàm offenſiones veſtras, & iuſtas reprehenſiones doctorum Virorum. De Comœdia vos audire velle dixiſtis: audietis, ſed à Chriſtiano Doctore; ſed Iuuenes Chriſtiani. Equidem in vobis multa, nec vulgaria naturæ, multa

vir-

virtutis, multa nobilitatis ornamẽta liberalia conſidero; verumtamen (quod pace veſtra dixerim) nihil in iſtis ornamentis illuſtrius eſt, nihil quod animum meum vobis arctius obſtringat, quam chriſtiani nominis & genus, & ſplendor. Huius ego nominis dignitatem tueri ſum paratus: nihil eſt enim minus ingenuum, quam perſonam ſuſtinere non potuiſſe, quam geras, quod cũ in meis primum obſeruabo, tum in veſtris moribus, ne quid audiatis ex nobis, quod vos aliquando didiciſſe pœniteat. Neque vero me vobis, vt dixi, magis adiunxit communio literarum, quam neceſſitudo sacrorum, & diuina quædam cognatio generis noſtri. Huius igitur amplitudini diſſentire noluiſſe ſapientiæ diſſimilitudine præclarum eſt, vitæ vero ſimilitudine conſentire potuiſſe diuinum. Hinc mihi conſilium Comœdiæ ſcribendæ vias aliquot paucas à noſtris inſtitutionibus remotas, ab Auctoribus humanæ ſapientiæ tritas, ac peruulgatas relinquere: nouas quaſdam indagare noſtrorum hominum iudicijs notatas, & ſapientium veſtigijs impreſſas ad liberalis otij remiſſionem, & ad mode-

derationem honeſtatis duces. Non enim à paucis illa ſuſpicio commoueri ſolet. An è Rep. christiana ſit hoc populare carmen, multitudinis plauſibus dicatum, repulſum à doctorum ſcholis, & ſpretum à grauibus viris Chriſto Regum Rege potiente rerum ijs legibus in theatrum dari, quibus antiquos Poetas multitudinis inſaniæ ſeruire videamus? Quod ego cum antea ſæpe mecum ipſe pertractaui, tum multo diligentius proxime, poſtquam in D. Aurelij Auguſtini locum incidiſſem, vbi reſpondens ille calumnijs maleuolorum ad Marcellinum ſcribens, grauiſſime vituperare Theatricam licẽtiam, & omnem exagitare leuitatem eiuſcemodi voluptatum viſus eſt: & Comœdorum petulantiam è Ciuitatis Dei finibus, hoc eſt ab Eccleſiæ ſanctitate, ſi quædam illi, quæ poſtulat concedantur, explodere. Ea de re quid ſentiendum ſit, non equidem arbitrio meo, ſed ſummorum virorum iudicio decidam: ex ijs etiam Chriſtianæ Comœdiæ præcepta requiremus, & quatenus hoc genus actionis, & ſcriptionis, ſi non omnino remouendum eſt à Chriſtianorum ſcholis, an noſtris hominibus

bus frequētari debeat, intelligemus. Quo quidem in genere tam multas, tamque graues hominum nobilium, inter ſe diſſentientium opiniones proferemus; vt me ipſum, qui illas collegerim, & ante explicauerim, quam in hanc diſputationem coegerim; dubitare propemodum cogant, & de re dubia ſuſtinere ſententiam. Nihil eſt enim in facultate Poetarū, quod excipi facilius poſſit, & ad libidinem auctorum, & promptorum hominum diſtrahi ſæpius in vtramq; partem: quàm hæc, de qua dico, liberalis, & comica Poeſis, ab alijs, qui mollius loquuntur, dicta feſtiuitas: ab ijs, qui durius & ſentiunt, & iudicant; appellatur Inſania. Sed quo commodius diſputationes explicentur inter doctos, & graues viros aliquot, ſic eas exponemus.

Iam illa toties promiſſa pax (vt hinc potiſſimum diſputationis exordium petatur) Flauij Coſtantini felicitate ſuſcepta, ſed Chiſti primum virtute parta, deinde benignitate, conceſſa terris, ex hac Vrbe profecta totum fere terrarum orbem peragrabat, gentes autem omnes vbicunq; Romanæ pollebant opes, ad vnius exemplum Regis excitatæ confluebant

bant ad Chriſtiana ſacra quę Regina terrarum Roma ſuſcepit. Longum eſt optatiſſimæ pacis commoda tributa terris, & gratulationes, & cætera mortalium officia ſe beatos & in aureum ſeculum delatos mutuo prædicantium proſequi.

Iam verus, iam magnus, iam vnus, iam (quod multis argumentis præſentia Diuinitatis expreſſerat) apud gentes omnes Chriſtus audiebat Deus: Deorum vero ſurda numina ſpernebantur: ſimulacra paſſim corruebant: ædes opulentiſſimę conflagrabant: inanes antiquari ritus, leuiſſimas cęremonias irrideri, ſupplicia victimarum dimitti, parci pecoribus, ad aras vnam Hoſtiam piaminum omnium locum occupaſſe lætabantur, & Deo, vitali Dei ſãguine, ac ſacroſancto corpore litari. Se quoque tantum in ridiculo Deorum cultu deſipuiſſe, vel ridebant, vel gemebant, vel certe mirabantur. Igitur è latibulis ſilueſtrium ferarũ, è latomijs damnatorum, & è vinculis, ac lacunis emiſſi Religionis olim Iudices, nunc Auctores, cœlum publicum aſpicere, populos affari, commonſtrare viam ſalutis errantibus, per miſſu Cæſaris, impulſu Numinis

conceſſa liberæ vocis impunitate, gaudebant. At Cæſar ipſe ſalutaris aquæ flumine de more luſtratus in Lateranenſi ſimul & animi ſceleribus abſterſis, & morbo abidi corporis abluto, frui ſecum tacitæ conſcientiæ iucunditate, pulcherrimiq; facti gloria ſupra modum efferri, cœlo miſcere ſe ſe, cogitationibus de diuinis rebus aſſidue oblectari, noua deinceps omnia moliri, quos ipſe de Diuinitate ſenſus integros afflatu Numinis hauſiſſet, euulgare quã plurimis mortalibus & quàm lætiſſime geſtire: tẽplis opportuniſſimis Vrbis regionibus locum optare: nouas leges conſcribere: de ſalute gentium, de felicitate terrarum, de Diuina gloria, de chriſtiani generis dignitate multa diſquirere: multa diſſerere: multa ſancire: demum nihil omnino præterire, quod ad amplitudinem noſtræ Reipub. aliquo modo pertinere poſſet. Etiam Principibus Apoſtolorum Baſilicas duas, auguſtiſſimam vnam Petro in circo Neronis, alteram Paulo ſecus oſtienſem viam regio ſumptu, ac munificentia excitabat. Cum in Campum Seſſorianum, vbi amœniſſimos hortos ædificarat, ad Helenam Ma-

trem,

trem, Auguſtam eximiæ virtutis fœminam commetandi gratia ſeceſſerat. In quo tempore ludorum Romanorum, an vt inſanæ ſuperſtitioni multitudinis, ne læderetur ſceleris contagione, decederet? Eodem, quẽadmodum indictum erat, Sopater Platonicus illius tempeſtatis nobiliſſimus Plotini diſcipulus, Conſtantini doctor, & Sylueſter Romanus Pontifex, qui primus Pontificij Regni fundamenta iecit, & Cœlius Firmianus diſertiſſimus Rhetor, cui lacteũ eloquentiæ flumen cognomentum videtur peperiſſe Lactantiũ, qui cum Cæſare de re communi conſilia communicarent; conuenerant. Adfuit etiam Nicolaus Myrenſis Epiſcopus è Lycia profectus, religionis & officij cauſa, qui monumentum Apoſtolorum rite veneratus, per eos dies inuitatus à Cæſare, illique de recuperata corporis, & animi ſanitate gratulatus aſſedit. Huius enim Viri conſilio Conſtantinus vtebatur; & ſi quid paulo difficilius accidiſſet; fidenter eum, & abſentem per literas, & præſentem libere cõſulebat; nec minor aduerſus Cæſarem beneuolentia Nicolai, quàm erga Nicolaum erat obſeruantia Cæſaris. Nico-

Dialogi Perſonæ Conſtãtinus Magn.

Sopater Philoſop. Plotini Diſcip.

S. Sylue. Roma. Pontif. Lactan. Firmia.

S. Nicol Myren. Epiſc.

colaus enim, quemadmodum accepimus, cum in vinculis annos facile viginti tranſegiſſet, ſuperiorum Cæſarum iniuria vexatus, tandem aliquando beneficio Flauij Conſtantini liber abire iuſſus, in Pontificiam Myrenſis Eccleſiæ Sedem reſtitutus eſt omnino cum ſalute, & gratulatione totius Prouinciæ. Placuit etiam ad hunc tantorum virorum Senatũ Matrem Helenam adhiberi, quæ tẽplum & ipſa iam tum in eiſdem hortis cogitatione metabatur, Illud ipsũ quod poſtea magnis impenſis exædificatum, & varijs locupletatum operibus, & honeſtiſſimo Crucis nomine Deo dedicatum, & inſignitum maiore quondam coluit antiquitas, minore nunc colit religione poſteritas. Hic vbi viſum eſt in Xyſtum puluillis allatis, remotaque cuſtodia laterum poſtquam conſediſſent, habitiſque primo de rebus alijs, vti fit in congreſſionibus amicorum vltro, citroque verbis, in hunc modus Lycius hoſpes, natu cæteris maior Nicolaus exorſus fuiſſe dicitur.

S. Helena Conſtantini Mater.

PROSA VIII.

MARGITES HOMERICVS

Dicta in Collegio Romano anno 1607. pluribus actionibus.

Margitem Ariſtarchi mihi commentari lubet

CVIVS Poetæ verſiculum leuiter inuerterim,& qui cum homine colludam, hoc primùm videtis. M. Accius Plautus hoc ſibi principium fabulæ fecit; Plautus Vmber, Poeta quantum eſt hominum homo ſalſiſſimus,& quo(ſi quidem modum in iocando tenuerit) feſtiuior haud ſanè fuerit ipſa feſtiuitas. Eius igitur ſeptenariolus hic eſt, in ea, cui nomen fecit Pœnulo.

Achil-

Achillem Ariſtarchi mihi commentari lubet.

Indidem ego Fabulæ meæ principiũ capiam, homo Sabinus, affinis Vmbro, vtinam ingenio ſic, vt patria proximus, & tamen (abſit inuidia verbo)

——Sunt, & mihi carmina: me quoquè dicunt
Vatem paſtores, ſed non ego credulus illis.
Nam nequè adhuc Vario videor, nec dicere Cinna
Digna: ſed argutos inter ſtrepere anſer, olores.

libuit Achillem Ariſtarchi Plauto,

Margitem Ariſtarchi mihi commentari lubet.

Qua ſpe bona frugis; quo conſilio ſanæ mentis, quanto conatu neceſſitatis vltimæ dicam, vbi nos reuiſerit ex oriente Phœnix:) vbi conticuerint in Seripho cicadæ: vbi ſulphura vendere deſierint Iudæi: vbi veritatis odium Tyranni reliquerint, Græcia fabulas, Poetæ famem, mẽdacia Paraſiti: tunc fortaſſe dicam: ſi meum ſilẽtium ad id temporis extra-

trahere poteſtis, & nunc modeſte tantum ridere, non diſſoluto riſu dirumpi. vultis, an non parcere lateribus, & inteſtinis? ſanè vultis. nam lienoſi non eſtis adeo, ſi coniectura reſpondet ex vultu, quin cauere periculo poſſitis

Et ſonantes comprimere
Petulanti ſplene cachinnos,
Vt capillata lex iubet Catonis,
Lex male cinctutis non exaudita
Cethegis.

niſi forte Calpurnius eburneũ ſomnium ſomniauit, cum deſtertuit Cethegos Hernios fuiſſe non Hernicos: eoque male præcinctos incedere conſueſſe, poſtea quam exleges in cachinnando fuerint, vt ruperint immodeſtè ridendo ramices.

Vter autem noſtrum in Homerũ plus ſibi licuiſſe duxerit, an Accius Plautus Vmber Comicus è Sarſinate municipio: qui ferocem iuuenẽ, & furentem Pelei filium (Achillem inquam) apud Homerum Ariſtarchi primarum partium Heroem ad exhilarandam plebeculam è caſtris traduxerit in ſcenam: an ego Sabinus, municipalis Blanduſiæ, Tragicus male feriatus: qui Margitem eiuſdem Poetæ ridiculam leuiſſimãque

que perſonam ad inſtituendam hanc Nobilitatem è Palliatorum circulis deripiam in ſcholas, & è græculis cauponulis deuocem ad oblectandos

Romanos rerum Dominos, Gentemque togatam;

acerrimus Homerici decori vindex, & ipſius Homeri perdiligens compoſitor Ariſtarchus viderit. Mihi quidem certe ſic vſus in rem præſentem; atquè hic ſenſus eſt. Iocari libet: è Margite materiam iocorum aucupari licet. Vos ſiue ſabina licentia, ſiue quirina lubentia, Quirites, ingenue ridere iubet: mimicè cachinnari vetat: quò ad Menippeo naſo meam explere ſaturam, &

Margitem Ariſtarchi mihi commentari lubet.

Hinc mihi Menippus meus in hunc anuũ Auctor, (quoniam proœmiorum neceſſitas incumbit) prima ſubtegmina deducet Inſtitutionum mearum. Cætera pertexet eodem filo: quo media primis, medijs poſtrema reſpondeant: id quod in decori cuſtodia ſeruandum eſſe potiſſimum omnes Ariſtarchi docent. Noli metuere: non Iliadem teximus: opus eſt Menippeæ leuidenſa rude quidem: at mixtum, & varium

è tex-

è textrina Varronis. Is enim, vt eſt in Academicis; cũ ſuis illis veteribus ſcriptionibus, quas Menippum imitatus non interpretatus ſua quadam hilaritate conſperſit, multa contexuit ex intima Philoſophia, multa dialecticè dicta quæ quo facilius minus docti perciperent iucunditate quadam ad legendum inuitati: laudationibus Rethorum, Proëmijs Sophiſtarũ nobiliſſimis, Philoſophorum locis illuſtribus hiſtoriæ monumentis, & primis quibuſquè totius antiquitatis exemplis, inſtitutiſquè memorabilium Ciuitatum: nec non creberrimis Poetarum fabulis: tum autem ſuburranis prouerbijs, & exquilinis: Apologiſquè Græcorum referſit recondita doctrina varium, ac ſpiſſum,& luculentum opus. quod liberum, nulliſque numerorum vinculis impeditum poema multiplici doctrina confertum, quaſiquè ſaturatum è generis inuentore Menippęam, è denſiſſima copia rerum Saturã nominauit. Credimus Marco Tullio plena manu M. Varroni familiariſſimo Viromulta tribuẽti. nunquam enim mentiri ſolet hìc è Rhetore Conſul, niſi cum parce

 non

non poetice laudat Conſulatum ſuum. Eius hæc de ſatura Varronis in Academicis Puteolanis ſententia eſt.

Sunt (inquit) iſta Varro. Nam nos in noſtra Vrbe peregrinantes, erranteſquè, tanquam hoſpites, tui libri quaſi domum deduxerunt: vt poſſemus aliquando, qui, & vbi eſſemus agnoſcere: Tu ætatem patriæ: Tu deſcriptiones temporum: Tu ſacrorum iura: Tu ſacerdotum munera: Tu domeſticam: Tu bellicam diſciplinam: Tu ſedem regnorum,& locorum: Tu omnium diuinarum, humanarumquè rerum nomina, genera, officia cauſas aperuiſti: plurimumquè Poetis noſtris, omninoquè latinis, & literis, luminis attuliſti, & verbis. Atque ipſe varium,& elegans omni ferè numero poema feciſti: Philoſophiamq; multis locis inchoaſti ad impellendum ſatis, ad docendum parum.

Iam in fabulam hanc noſtram, vt olim in aulæa Babylonij; venationes belluarum, & fluminum lapſus, & pugnas Gygantum: ſic Archne Rhetorica poeticis interpuncta coloribus aſperſerit innumerabilium argumenta rerum, & varia lumina

di-

dicendi. Plurimum oratio ſimplex erit, & incorrupta: latina niſi fallor: è medijs Carinis: nullo medicata fuco ruboris, & candoris, non inuſta calamiſtris, non laciniosa, non effœminata, non compta. Ficus mihi ficus erit; panarium, panarium: vt ille neſcio quis apud Ariſtophanem dicebat in Nebulis. Memini: non hæc olim mihi mens erat. Fuit, cum vel ingenij calore ſublatus, vel iuuentutis æſtuatione tumefactus, fluebam plenius, & reſonantius, quà circumſcripto verborum ambitu concluſus, quà rapida ſolutus volubilitate numerorum; cum expendens ſingula lentè probarem; & aurium iudicio faſtidiosè premerem, & vſque fingerem quod non aptè, rotundèque cecidiſſet. Alia nunc arridet figura dicendi: cum alius ætatis color, & caput hoc minus, minuſque iam nigrum candida ſplendet niue.

Multa ferunt anni venientes
commoda ſecum:
Multa recedentes adimunt.

Fons ille ſplendide ſe ſe fundentis ingenij vel in fundo, naturæ ſponte reſtinctus exaruit: vel vitio valetudinis compreſſus in ſummo ſtetit;

& aurem neſcio quis vellit; & admonet ætatis, & decori.

Vetule depontane, bis puer: nunquam ne relinques nuces?

Sane relinquam. Ohe ſatis eſt ineptiarum. Nunc, nunc: hic, hic, relinquam. Cum ætate caneſcat oratio. nobilis auctor exemplum dedit Iſocrates, ex quo tanquam ex myrothecio promũtur omnia pigmenta Rhetorum. Is colorum artifex talis ac tantus, cum ad nonageſimũ annum ætate iam proceſſiſſet, Panathenaicum ſcribens profitetur ſe ſtylum dictionis inuertiſſe monitu ſenectutis. minus circuitionibus iam vti, tranſlatis verecundiùs abſtinere, non paria paribus, non contraria relata contrarijs, non eodem pacto deſinentium, ſimiliterque cadentium iucundos ſonos, non in orbem anxiè circumductas ſententiolas, nõ continuationes verborum ad aurium dimenſionem explicata numerorum rotunditate labẽtes quærere ſe iam ſenem: quem pura potius oratio deceat, mole rerum grauior, quam verborum, ſedata, facilis, vbi libuit reſpirans, inciſa crebrius, ac ſæpius inſiſtens. Eum iuuenilis ingenij luxum à ſeueritate ſene-

ſenectutis ſi remouiſſet Hortenſius; Regnū fori non amiſiſſet: & à Rhethorum Principe nunquam audiuiſſet in ſe dici. *Manet idem non decet idem*.

Illud præterea vos diligēter exoratos velim; Quirites; vt mihi per humanitatem veſtram liceat è ſcripto dicere, contentionemque parandæ memoriæ remittere: non quòd eam ingenij partem, aut deſerendam putem, aut parum excolere conſueuerim: ſed quia; quod mihi ſuppetit temporis, & viriū ab imbecillitate corporis, id ad exercendum ſtylum ſi potius conferam; mihi laborioſius, Iuuentuti fructuoſius futurum puto. Nam qui nunc quidem minus indulgent ſtylo, cum omnia memoriæ tribuant; memoriter omnia pronuntiari volunt: nihil valetudini parcunt, nihil concedunt ætati: &, quod ipſi toto anno ſumma ope, niſi ſemel, vix; aut per raro admodum faciunt; id ab alijs ſemper fieri, ſanè quàm imperitè, ne dicam inclementer volunt. Rhetorum laus magna, non prima memoria eſt. ne ſibi nimium placeant, ſi quo pueri plurimum poſſunt, eo potiſſimum glorientur. A me cla-

riſſimos, nec ſane paucos auctores habeo: quorum exemplo mihi liceat eiuſce partis tueri negligentiam. Cæſar quidem Auguſtus quoties in Senatu ſententiam diceret; è ſcripto domi meditata recitabat. Platonem accepimus, Philoſophorum Homerum,nihil in ſcholis memoriter dicere conſueſſe: faciebat hoc idem Zeno: faciebat Cleantes: faciebat Iſocrates. Nam de Peripateticorum Principe nihil dico, quem nunquam in Exotericis nunquam in Acroamaticis illis ſuis ſermonibus ita memoria fretum aiūt: vt non commentariolis potius fideret: quos confeciſſet domi. Sergius quoque Galba non indiſertus, & bono numero Senator:& Gn. Pompeius, maior quidem Imperator, quàm Orator: ſed Orator tamen, & Senatorum facilè princeps, Vticenſis Cato memoriæ diffiſi, verbis plerumque, quàm pauciſſimis perſcriptam ſententiam ad ſenatum expoſuiſſe memorantur, verumtamen, quod affecti corporis venia, quod conceſſu iam ingraueſcentis ætatis,quod nobilium exemplorum multitudine, ſi mihi ſumerem arbitratu meo; iure me nemo repre-
hen-

henderet: id veſtræ beneuolentiæ beneficium eſſe malo: meamque ſecuritatem, remiſſionemque laboris vobis, potius cupio debere, quam mihi. Vellem equidem, quod plerique nunc faciunt Iuniorum, vt memoriam in me laudare, non excuſare poſſetis: tamen quòd mihi commodius, vobis honeſtius eſt, illi veſtræ, quamplurimum humanitatis impertiri: qui ne poſſit, quemadmodum vellet, cumulatè Rhetorum officio ſatisfacere communis imbecillitatis fecit humanitas.

Nunc Margitem annuam materiam Menippæi Varronis apud nos, intus, & incute cognoſcite. Nam id plurimum refert ad reliquam cognitionem eius artificij, quod ordimur: quod & aliquis fortaſſe veſtrum expectat: nec tacitus quæreret ex me, ſi ſolus eſſet.

Margita ſtupor mentis.

Margites ſub humana ſpecie ſomnium hominis, non homo fuit. medius erat inter ſtipitem, & ſaxum: ſtabat, vt ſtipes; ſtupidus erat, vt ſaxum. Is, quantillus eſſet fungus feſtiuiſſimo carmine deſcripſit Græcorum facetiſſimus, idemque grauiſſimus Homerus, & Homeri con-

cinnator Ariſtarchus, & Ariſtarchi Myſtagogus Euſtathius expoſuit: & ſubædituus Euſthatij Suidas. Hebetudinem cogitationis, cœcitatem animi, ſtultitiam mentis, ignauiam corporis, inertiam, languorem, deſidiam vitæ fuiſſe tantam in Margite, quantam in homine cogitatione vix fingere poſſemus, niſi ſtultitiam ipſam, inertiamquè fingamus. Vel ex hoc facto coijci licet, quòd Xantippa mater eius ſerulum adiunxit illi cuſtodem corporis, qui perpetuo muſcas abigeret: niſi feciſſet: viuum hominem culices comediſſent. Margites autem, quàm egregiè ſe neſciret, quid animantis eſſet, an ſentiret, an omnino viueret; facilius qui nihil intelligunt, quàm ipſe de ſe docere potuiſſet. Vos ipſi cõſiderate, quàm hebes, aut bardus eſſet. ſerio percunctari ſolebat è prætereuntibus, vt in quemque ciuium, aut hoſpitum incidiſſet. Dic ſodes mi homo, quis ego ſum? & qui vocor? ſi noſti: Idem non ſemel accuratè dubitare cœpit; vt ex ipſis adeò parentibus exquireret, vter eorum ſe ſe partu dediſſet in lucem, an Pater, an Mater? Eundem ſemel an ſæ-

pius

pius vterque peperiſſent? qui nam poſterius in vitam ingreſſi fuiſſent ipſe filius,an Parentes? cur ſibi mater eſset Xantippa non ſoror? Patrem ipſa Mater, an Matrem Pater ipſe genuiſset? idquè ne per pueritiam illum inepté peccaſse credatis: natu iam plane grãdiuſculus interrogabat: vt ſi quidem aliquid ſapere debuiſset; multũ ſapere per ætatem propemodum poſset: cum & prima lanugine pubeſceret: & maritus iam Iuuenis ſponſæ iam iam ducendæ ſponſalia miſiſset. Impedit hoc loco pudor,quominus exſequar, quæ poſt nuptias acciderunt. ea (quia ſubturpicula ſunt, & arcana; quamuis ridicula) non exponam.

Riſus mihi citra ruborem datus eſt. & ingenij famam nunquam mihi tanti fuit: vt finerem verecundiam potius, quam diligentiam requiri meam. Quod tamen & ego ſtante vultu dixerim; & vos eodem habitu frontis audire poſſitis; id accipite: nam extra ſcenæ ſiparium geſtum eſt. Sociam thalami, conſortem vitæ, coniugem ex illuſtri nobilitate Virginem Amphiarai ſororem Agauen duxerat. Criſotemia

ſuæ memoriæ primi nominis Poeta, myrthea fronde redimitus, vocemque nunc ex imo ſenſim excitans, nunc gradatim, è ſummo colligens, ad lyram inflexerat nuptiale carmen..

Collis, ò, Heliconij.
Cultor, Vraniæ genus:
Qui rapis teneram ad Virum
Virginem; ò Hymenee Hymen:
Hymen ò Hymenee.
Cui ſtatim (vt imago voci reſpondet) Innubæ Virgines,
Pueri puberes
O Hymenee Hymen,
Hymen, ò Hymenee
Voce tinnula ſuccinebant.

Splendidus vbique luxus, vt in ampliſſima nobiliſſimi domini domo: feſta fronde velati poſtes: incenſi paſſim odores: expoſitum in abacis argentum: explicata periſtromata: genialis torus conchiliata veſte cõſtratus: inſtructa magnificè plurimis locis triclinia viſebantur. Popina ſtrepitu vernularum: atrium ſymphoniacis perſonabat: omnia nobilium gratulationibus, fidicinum cantibus, choreis fœminarum, multitudinis plauſibus, atrienſium concurſationibus feruebant. Cum in-

inter hæc ipſe Maritus omnium ſecurus, aut ignarus, & otioſè ſolitarius, quaſi ſuum ferrum non eſset in igne, ſeorſim, à cœtu domeſticorum, modo per aulam, modo per impluuium, modo per periſtilia deambulans, quorſum ille gratulantium fremitus, & exhilaratio ſpectaret, muſſitando, vel ſecum ambigebat, vel ex obuijs quæritabat. Cui ſubirata mater. Vide ſi Deo placet, vt otioſus eſt! inquit. abit dies, Margita, hoc agis? annon, vecors Marite? ſi neſcis, hodie Vxor tibi ducitur. Intelligis ne, quæ dico? noua nupta, coronata venit, & ſedet. Coronam relinquat, ſurgat, & abeat. Iſthic mihi nequè ſeritur, nequè metitur. Datur cœna nuptialis: in thalamum inducũtur coniuges: & oſtio clauſo fortaſse Criſotemiæ cantum reuocabat Auſpex, aut Pronuba.

Margites volo paruulus
Matris è gremio ſuæ,
Porrigens teneras manus,
Dulce rideat ad Patrem
Sed micante labello.
Sit ſuo ſimilis Patri
Margitæ, & facile inſcijs.
Noſcitetur ab omnibus:

Et pudicitiam ſua
Matris indicet ore.

Dies vnus, alter, tertius, quartus, & quintus effluxerat. Repotia redibant: interim maritus ſponſam alloqui non audebat: veritus ne ſe, quemadmodum dicebat, accuſaret ad matrem. & quia nurum, ſocrus Xantippa perbenignè tractabat; ille ſciſcitabatur an noua nupta ſua ſoror eſset ex eadem Xantippa matre nata?

Per idem tempus accidit, vt in aprico Margites inambularet auerſus à ſole: ſui corporis, (vti ſub luce fit) explicarat vmbram. Stupor hominis! ad illius aſpectum ſuſpenſo veſtigio, ne quid pede forte frangeret, conſiſtit exanimatus: hæſitare: cunctari: circumſpectare: diſquirere, quid illud eſset rei, quod ante pedes abiectum iaceret. quid hic expectatis, Quirites? quid exiſtimatis huic acutiſſimo Philoſopho ſuam vmbram fuiſse viſam? quidlibet excogitate. vincam expectationem veſtram. Vmbram interiecti corporis: opacũ ſtantis hominis ſimulacrum, imaginem humo iacentem radio ſolis à tergo ferientis eductam ille peracutus vir animum

mum ſuum, imò ſemetipſum, neſcio vnde foras eiectum, putauit. non mentior: Serio putauit, ſe ſe quaſi delicuiſſe, per rimas in externum Margitem ex interiore Margite dilapſum. Ergo, quaſi vinum e dolio fugiſſet, inane pectus iterum, atque iterum pertundit: reddito neſcio, quo ſonore, ceu penitus exinanito, quod intus fuiſſet; euanuiſſe ſibi viſus eſt. Et geſtu quofugam animi declarant, qui vehementer exanimantur, plumbeus homuncio primo perterrefactus exalbuit: mox adductis ſuperciliis, contractaq; fronte: paſſis brachijs, comploſiſque palmis: incerta, timida, ſubmiſſaque voce, ſane quàm dolenter. Ilicet: actum eſt, inquit. Funditus effluxi: ne guttula quidem mei ſubſedit in fundo ſcilicet. quamdudum ego plenus rimarum ſum; vt hac, illac perfluam, & tanquam oleum deliqueſcam? heri quidem, & nudius tertius hæc diota nihil diſtillabat: nunc vbi fatiſcit corpus? nunc vbi rima dehiſcit? egregie certe diſperij. ſiue per rimam, ſiue per incile quantus eram, tantus effugi. Margita miſer, quid te fiet, vbi te diffluxiſſe reſciſcet mater? nunc illud

eſt:

eſt: cum mihi recuſandum non eſt, quin me mater occidat. qui ſeriam hanc releuerim imprudens, & diligentius non adſeruauerim: ne me prodige totum effunderet. Eheu, quam ego nunc totus diſpliceo mihi. quàm me tædet mei, quàm pudet. neque quod principium inueniam orationis ad placandam Matrem ſcio.

Quid melius eſt, quam vt hinc intro abeam: & me ſuſpendam clanculum?

Saltem tantiſper, dum abſcedat hæc à me ægrimonia?

At enim, heus tu, qui profuſus humi iaces: & foras elapſus nos inſcientes, & inuitos, ſiue ioco, ſiue ſerio, certe liquido perdidiſti: domum confeſtim redi: recipe te quam primum ad nos, dum licet & regere Margitem in locum, vade miſerum ſine venia, nouo more profudiſti. Eho dum ſponte ne redis? an malo cogendus es? papæ, quam longuſus? Ille duplo, quàm ego, maior eſt ſcilicet. Cum dicto cœpit vmbram alterno metiri gradu. nimirum vmbra tanto ſeſe longius intendebat: quanto paſſus vlterius ipſe protenderet dum oram vltimã nul-

nullam videt. quo fugis ? exclamat: illico mane fugitiue Margita. clamabat ille procurrens: ſequentem vmbra fugiebat. Vbi non curſum ille, fugam illa non ſiſtit: iterum, adeſte populares, implorat. opem ferte pereunti: properate cum armis: circumſiſtite contumacem: ſubſiſtite fugientem: expedite trullam, infundibulum afferte, colligite meum ſerum elapſum à me ipſo; Margitem liquidum refundite in Margitem. Si qui ciues ad has voces accurrerunt effuſe riſere ſcilicet. nam Heraclitus nondum erat natus, qui nimium riſum obiurgare poſſet.

Satis vt arbitror, ad viuum inſignis in hoc bomullo ſtuporis effigiem expinximus. In ſumma, nihil animo peruidere; nihil, nequè mente complecti: neque ratione diſtinguere; nequè conſilio quicquam moliri non in poſterum longe ſibi proſpicere: non aciem ingenij, non ſenſus ad eas res intendere: quæ ſenſum animumque pepuliſſent; futilis hæc hominis, & vitrea figura notat. Ille tibi videlicet explicaſſet, hæc quæ docemur in ſcholis: quot modis quidque dicatur: qua-

rationis nota verum à falſo ſecerni queat. Quid efficiatur è quoque quæ ſit in ratiocinationibus complexionis, & cohærentiæ vis. quod cuique ſit conſequens, quodq; contrarium: & eorum, quæ ponuntur ambiguè, quo quid pacto diuidere, vel explanare poſſis. Et hæc, quæ maximus artifex intelligendi, dicendique tradidit Ariſtoteles, & Cryſippus; quæque poſt illa Rhetores, & qui Dialectici vocantur; ratiocinandi plurima ſpinoſiora præcepta pepererunt. Animam illi pro ſale datam ad vitam, non animum ad ſapientiam diceres. Veteres illos omnium rerum inſcitia ſocordes, Poetarũ irriſionibus nobilitatos Bambaliones, Melitides, Choræbos, Battos, Polyphemos, Cæſcas, Butaliones prudentiſſimos putaſſes: præut huius hebetudo fuit.

Margitæ Corporis fœditas.

Neque vero forma corporis diſcrepabat à ſtupore mentis. Vidiſſes? viuum ſocordiæ ſimulacrum eſſe dixiſſes; in quem horum nominum, quæ conferuntur in ſtolidos, & fatuos; quoduis inſigniter conueniret: vmbra, caudex, fungus, ſomnium, plumbum: & qui tanquam trun-

truncus, & ſtipes ſi ſtetiſſet modo: tamen titulum hominis aliquid ſentientis ſuſtinere potuiſſet. Imo (ne quid Hiſtoriæ detrahat Menippus meus) ſi libet, Quirites, figuram quoquè corporis eius intueri licet.

Qui Principis ampliſſimi domum ad degenerem poſſeſſorem deueniſſe noluit: vt etiam, à limine prætereiens ingemiſceret.

O domus ſancti quàm dipari domino dominaris!

iure noluit. Inerat enim in paternæ ſedis hærede nulla patriæ ſimilitudo virtutis. Quantum à genere filius: tantum ab inquilini dedecore diſtabat dignitas domicilij. At in Margite mirus rerum omnium conſenſus. ſtultitiam ſi fingeres; illud corpus effingeres. Bonus animus habitabat bene. Ingenio tam alacri, tam erecto, tam perſpicaci tuguriolum aptiſſimum optimum rerum omnium opifex natura ſolertiſſime concinnauerat. Eius exemplum apud Philoſtratum expoſitum, contemplati ſumus: cuius Bibliothecam cum tabulis locupletaret Zeuxis *ſomnium* imitari penicillo, diu ſine ſucceſſu conatus, ad extremum Margitæ ſimulacrum expreſſit.

ſit. Itaquè corpus illi depreſſum, ac ſpiſſum mendoſiſſima deſcriptione membrorum omnium, enormem proiecti ventris aqualiculum proferebat. habitu præpingue, ſtatura per puſillum erat: lateribus, humeris, thorace, tergo, ceruice circumſcriptè conglobatum velut in nodum: an teretem celindrum, aut inflatum vtrem, an amphoram, an quadrantal diceres; dubitares. Huic trunco ſuum caput erat impoſitum bene magnum è familia Capitonum: producta frons ex gente Frõtonum. collum rigidum, breue, toroſum: depreſſæ malæ turgidis, ac fluentibus buccis: naſi porrò forma multiformis: ſi magnitudinem ſpectes: Ouidij genus agnoſcas: ſi ſubſtillas puſtulas, aliquem dicas ex genere Tuberonum: ſi pandas, & e liſas nares: non ambigas eſſe Naſicam: ſi cauernulas ſemper humectas, lacunas; ſi grauem halitum, mephitim nihil è ſabęa meſſe ſpirantem putes. Iam oculorum acies cornea velut in dormiente lepuſculo ſemper intenta: diſpariles orbes: obtutus incertus; ſimulè conniuentibus genis, vel interraſa, vel interuulſa ſupercilia: nec, vti ſpe-

ſpectantur in pleriſque veſtrum in-
uerſum æquata tractim, tenuiterquè
deducta nobilium ritu: ſed inter-
polata paſſim, & lacunoſa pilis ali-
bi fœde iacentibus: alibi non ex-
tantibus: alibi ſetarum in modum
horrentibus. os hiulcum, deforme,
roſtratum, labrum ſuperius obun-
cum more Satyrorum: inferius re-
pādum, & putridis dentibus adhæ-
reſcens. mobilium an aurium, an
auricularum, infinitus modus. bar-
ba ſurua, denſa, diſſipata, recilla,
crinibus hiſpidis & impexis me-
dium quiddam effecerat inter Hi-
tium, & Hircum. At color oris ex
liuore ſubalbidus: tardus, & ſegnis
inceſſus: inertia membrorum om-
nium, atque ſtupor: linguæ debili-
tas, & hæſitantia. non rara, vel per-
petua potius omnium rerum admi-
ratio; nihil ſentiens, nihil dijudi-
cans, nihil excipiens, nullam in
tam informi corporis maſſa micam
ſalis aſperſam lōge ſpectantibus in-
dicabat. Nebipedem aſinum ha-
beremus: ſuperiecit Natura gibbū:
vt aſinum animo, camelum corpo-
re putaremus. Et tamen hanc talpæ
leberidem: hoc exuuium Simoli:
caſſam hanc hominis tanquam vi-

uen-

uentis effigiem (o bona tempora, nihil deſperantium ſenum) boni parentes, vt bonum reipublicæ Senatorem educerent, erudiendum bonis artibus à pueritia cenſuerunt, non reputantes eum, qui pleraq; nomina latinæ nobilitatis Græcus attingeret numeroſa fęditate corporis : vt molis concretione Craſſos, adipis denſitate Galbas, deſidiæ languore Flaccos : proiectione ventris Otacilios, crurum iniquitate Claudios, inuerſione Valgios, iactatione Vatinios: macularum aſperſione Lētulos, Lentinos Varios: verrucularum frequentia Næuios, Verrucios, Verrucinos: humerorum gibbera ſubſtructione Scapulas: oris nunc infantia Mutios; nunc hæſitantia Bambaliones, nunc debilitate Balbos, nunc incondito ſermone Graccos. labiorum quà tumore Labeones, quà depreſſione Labienos : oculorum colore Cornelios, poſitione Pætos, conuerſione Strabones, nictatione Luſcinios, acie Coclites, & ſi vim animi ſpectes omnino Cæcilios : ſuperciliorum horrore Silones, & leui litteræ demutatione Silanos ; niſi mauis relicto Romano nomine ſilenos.

nos. narium eminentia Naſones, ſimitate Naſicas, diſtillatione Turpilios: malarum tumore, rictuquè Maluginenſes: ſincipitis exteriore parte Frontones, interiore Frontinos. crinibus Hirtios, verticis arce Capitolinos tota corporis animiquè cōformatione Buteones, Aſinios, Vitellios, Porcios, Apronios, Pupienos; eum, inquam, qui tam varia deformitate tam multa Romana nomina complexus eſſet; experientia doctorum, quam nihil adiuuent auxilia doctrinæ, ſi penitus deſtituere præſidia naturæ.

Margites traditur in diſciplinam Magiſtrorum.

Conueniunt ergo Parentum accitu ex omni Græcia magnis præmijs inuitati Viri ſapientes ex vna quaque facultate lectiſſimi: Vt quemadmodum in Pandoram Dij certatim omnia pulchritudinis ornamenta proſequiſque congeſſiſſe perhibentur; ſic in Margitem ſingula ſinguli conferrent inſignia virtutis, & doctrinæ. Certis horis inſtitutio ſingulorum in orbem redibat. Principem alebant more Perſarum; vt eſſet, qui Rempublicam olim domi, militæquè conſilio regeret, virtute-

tue-

tueretur, ornaret moribus, legibus ordinaret, omni denique humanarum diuinarumque rerum conſtituto iure ſtabiliret, à Mathematicis ordiuntur. hinc enim apud priſcos tritum iter erat ad reliqua: vt per Matheſim ad Poeſim iretur: eamquè primam Philoſophiam nominabant: quod inſtitutio vitæ frequens apud Poetas, & præcipua tunc erat. Nec dum Philoſophorum natio multiplex in varias diducta partes factioſo Philoſophiæ nomine; diſſidioq; diſtraxerat vnam dumtaxat naturam, & ſimplicem veritatis. Vt mirer hodie ſciolos quoſdam; qui, quod ad opinionem ſapientię quatuor ſibi leuiſſimas, ariđiſſimaſquè litterulas agglutinarũt: tantum tamen ſibi iuris, & auctoritatis arrogant; vt antiquiſſimum, grauiſſimumquè ſaluberrimæ facultatis nomen apud imperitiſſimos, hoc eſt ſui ſimiles, graculos obſcurare non dubitent. Quorum equidem arrogantiam cum pari ſtultitia coniunctam, niſi, potius irridendam putarem, eloquentiſſimus eſſe poſſem ſi vexare vellem vt illos vlciſcerer; vt verſarem vt arctiſſimè conſtringerem, ne ſe vllo modo cõmo-

mouere poſſent! Sed iaceant ſanè in ſuis ſordibus: bis miſeri: quod imperitè vituperant id,quod ſuperbè diſcere noluerunt: Ament ſe porrò ſine riuali. nunquam apud me tam felices erunt, vt deſpicatiſſimam illorum inſcitiam,& confidentiam non ridiculè contemptam potius, quam grauiter confutatam velim. Erat, vt dicebam,apud Mathematicos, & Poetas Margites. Qualem materiã artificio tam bono Viri præſtantiſſimi ſubiectam habeant, videtis. Ingerunt abunde primo pabula doctrinæ. Videbatur audire: nil audiebat tamen. Iuſſus audita reddere lege Mutia reddit omnia, conticeſcit. Vbi pleniore cibo nihil innutriri vident; minutatim conciſum, & præmanſum inferunt. multis poſt menſibus eadem ingenij macies; idem animi color erat: ad virtutis,& doctrinæ corpus nihil acceſſerat. Redeunt, ad elementa rurſus: eadem à capite contrita, centies, millies iterant: odiosè recoquunt; quæ nunquam concoquerent, vt ait ille,

Occidit miſeros crambe repetita Magiſtros.

idem erat bonus Margites, qui ſemper

per ſuit elephas ad ceroma. tundunt, vel obtundunt potius illius miſeri iacentes aures. fabulam ſurdo canunt: & pſittacum tundunt ſenem: Ille nihil hiſcere: quicquid ſemel arripuit, quaſi claudus pilam tenere mordicus: nunquam remittere. Enimuero labores Herculeos exantlabant ſenes: cum ſignificatur Parentibus triennio poſt operam ludere Margitem: otium otioſe tenere Magiſtros. Itur ad antiquum carmen, apud Nobiles, qui ſe putant homines non eſſe, vulgo iactatū: cū ab aſſentatoribus in Doctores inertium diſcipulorū culpa transfertur.

Finxerat hunc natura bonum:
ſed defuit auctor.

Scimus parentibus, niſi fatui ſint, ex ſe naſci fatuos rubori eſſe. Itaquè molles eorum aures libentius hoc accipiunt, quam illud.

Te ſtupidum genuiſſe putes: non
defuit auctor.

Margites mittitur in Inſulam Rhedum erudiendus.

Quamobrem ablegatis primis, ſimul ſecundis, & tertijs auctoribus, alijſque deinceps, atque alijs remotis: noui ſubinde ſuccedunt. Omnes

nes ſtatuam, non hominem docebant. ad extremum ſuggeritur probabilis cauſa, quamobrem in Margite domeſtica diſciplina parum ex ſententia proceſſerit ad eam diem. aliud ineundum eſſe conſilium. Quædam ingenia, quaſi ſtirpes, in alieno ſolo felicius venire, quam in ſuo: ſic pleroſquè veterum Sapientum ad doctrinæ quæſtum procul ab domo fuiſſe peregrinatos. Itur in hanc ſententiam, decernitur Margitæ peregre philoſophandum eſſe.

Florebat ea tempeſtate (quæ nimium procax duos pariter Poetarum principes tulerat Heſiodum, & Homerum) opinione ſapientiæ celebris Ialyſus Rhodi cum frequētiſſimū Auditorum numero Gymnaſium, tum amplitudine Doctorum Emporium omnium artium totius Aſiæ nobiliſſimum, & ſane quod eſt in fabulis Palladem ſapientiæ Deam à Iouis exulcerato cerebro violenter excuſſam, loricatam, haſtamquè dextera criſpantem in Rhodum proſiluiſſe primum, & auro circumfuſam imbre ſtetiſse tantam in fulgentibus illius inſulæ roſetis, quantā non ita multo poſt *Gy-*

gantum fidens Iuuentus horrida brachijs.
Et cõiurati Cœlũ reſcindere fratres.
cuſpide micantem,& pro Iouis imperio ſonantem ægide perhorreſcerent in Phlegra. Id exiſtimatione doctrinæ verum effecerat Rhodienſium Auctorum, & nomen, & dignitas magno per Gẽtes nobilitata præconio, non mirum videri ſi quã ſibi natalem ſedem optaſset ſapientiæ Dea Præſes arcium, eam Artium officinam eſse voluiſset, incolarum ingenijs, ac ſtudijs exculta Sapientiæ. Diutiſſime proinde tenuit in Ialyſo Rhodienſium diſciplina: permultis ante ſæculis, quam ſpurius Homerus Ægypto profugus ad nauigaſset Rhodum: nec poſtea defuerũt clari nominis Viri ſapientes, qui poſtea deceſsores Aeacos, Rhadamantes, Minoas, Protheos, Prometheos, Atlantes, Phœnices vetuſtiſſimum aucitæ gloriæ patrimonium permagnis propriæ laudis acceſſionibus amplificarent. donec florentiſſimo Romanorum imperio locum illum Panętij, Philones, Antiochi, Molones, Poſſidonij ſumma cum dignitate tenuerunt: qui ſpolia Græcorum in Latium transferrent,

rent, & Oratorum eloquentiam in M. Tullio, Philoſophorum doctrinam in M. Varrone deponerent. Redeo ad Margitem, qui cum Athenas Acticas haberet proximas; in Aſiam Sapientiæ cauſa profectus eſt, vt Rhodienſium gymnaſia frequentaret.

Græcus is erat, Pterelæ Theleboarum Reguli filius, Pindari ciuis in Beotia natus: vt intelligas eandem Patriam gignere poſse bonos Poetas, & pingues boues. At in Beotia nihil eſt tertium; aut fatuus, aut Poeta naſcitur: vt tritum eſt antiquo ſermone prouerbium. Velut hic noſter non genere magis, quam ingenio Beotus de principatu cum Pindaro certauit: vt quanto Pindarus ingenio cæteros antecelleret: tanto ſtolidos omnes Margites ſtultitiæ cœcitate ſuperaret. Et id quidem in ſcholis, velut exemplo quoque ſuo, ſi nihil addiſceret Eumolpi ſententiam comprobaret, qui male nata nullum artificium expectare dixit velut nihil ſapere ſcienter, & aliquo labore condiſceret.

Soluit è Pyræo Margites: in Rhodum peruenit ventorum vſus ſecundiſſimo flatu. Deducitur à Vecto-

ribus ad Mercurium Maiæ filium, ex Ioue, bonum, vt cetera Poetam, eiuſquè memoriæ diligentiſſimum Pædotribam. litteras reddunt, quibus indoles adoleſcentis Mercurio commendabatur: ab eius Auunculo Creonte, Thebanorum Paſtore miſsas. Paſtoris enim nomine Ciuitatum Principes honeſtabat ætas illa, quæ, quo propius aberat ab initijs rerum: eò longius, quàm nos à Mundi ſenio diſcedebat. Necdum integram ſummæ poteſtatis veneratione exquiſitis appellationū congeminationibus adulatio contaminarat. nuper admodum increbuere faleræ vocabulorū: nominum cumulos exaggerari placet: quaſi ſolidam gloriæ naturam afferant inanes exuuiæ ſonantium verborum. Adeo facile laudis ornamenta falſa decipiunt, quem vera deficiunt. Igitur litteræ Creontis in hanc fermè ſententiam ſcriptæ fuiſſe memorantur. Barbati ſenis oratio fortaſse nonnihil abhorret ab hac elegantia morum: ſed, vt in me cetera deſiderentur, fidem certe nunquam deſiderari ſinam. Inepte facis, & iniuſtus es: quiſquis exigis, quibus auctoribus hæc acceperim, quaſi

quaſi verò Menippus iuratus in hi-
ſtoria cum Criſpo Salluſtio laboret:
non liber in ſatura, libero cum Var-
rone ludat. igtur hæc Thebarum
Rex, & Auunculus Margitæ Creon.

Epiſtola Creontis ad Mercurium

Melibæus Thebanorum bubulcus
Tityro Rhodienſium Caprario
Sale dilutam aquam; laridum ad
aridum panem,
Sanum ſinciput ad Mercurialem
ſaliuam.

Creon Mercurio
bene agere.

Palliatorum Alpha Græcorum,
Mercuri facunde, nepos Atlantis:
ſi ſitis, & eſuris, & mendicas; hu-
manum eſt. facis, quod omnes viri
boni, Mathematici, Philoſophi,
Rhetores, Poetæ ſolent, qui quaſi
Berecynthiæ Myſtæ tympanum in
ventre gerunt. Quid ni gerant? ſi
quamuis induſtrijs, & frugaliſſi-
mis: tamen ſemper famelicis, & ie-
iunis obiectum bolum erraticæ di-
uitum vmbræ præripiunt, & ve-
natici Tyrannorum canes? Vobis
enim, vobis (proh priſca fides) nul-
lo veſtro merito, ſed per aliorum

ſummam iniuriam adempta cibaria ſplendidæ pecudes, aureæ Statuæ, Virorum laruæ ſtolidi Midæ, futiles Principes hominum poſtremis quiſquilijs Gnathonibus, & Phormionibus præbuerunt. Quàm ſane dolet hoc quod apud improbos video præmia bonorum: tàm mihi voluptati eſt, cum in hanc ætatem omnia vndiquè vitia redundauerint: & tamen vnum ex hac infinita colluuione corruptelarum ad bonam frugem enataſſe Virum Iouis ex Maia filium Atlantis nepotem, ſcientem fidium, & Palęſtræ. Qui ſapienter in animum induxerit egētiſſimè philoſophari potius, quàm impudentiſſimè paraſitari. Natu, totus naſus es; quantus, quantus es; qui cœnarum muſcas ſapienter oderis, & rotundos iſtos popinæ culices amare nequaquam potes. Ames autem? Cur? Quia nam Principum auribus affixi ſemper, ex aliorum dictis, atque factis aliquid inſuſurrant, & odioſè contra modeſtiſſimos ſtrident? Hominum infeſtiſſimum genus, & malis omnibus exigendum, peſſimis artibus inclareſcit. Magnam alieno labore partam gloriam ſæpe verbis in ſe tranſmo-

mouent; quos nulla conditione tolerabilis officij tibi placaueris, niſi fœdere ſimilitudinis, & fœdiſſima conſpiratione turpitudinum ſuarũ, belluari ſtudent: regnare volunt: ideo melioribus oblatrant. inertium deterrima natio nihil magis, quam Virorum fortium comparationem timet. Ob eam cauſam ingeniorum illuſtrium gloriam imminutum vltimi mortaliũ obtrectatores eunt, vt alienis ruinis expleant lacunas ſuas. Tu (quoniam pauciſsimos habemus iſtius ingenij ludi magiſtros) & iſtam indolem Athlante dignam ſuſtine contra molem ingruentium balatronum: & aduerſus impetum ruentis in peius ætatis inſtructum ſapientia pectus oppone: quoad per famem licebit: quæ tandem tamen te nunquam vicerit, niſi prius occiderit. Tum in tua gloriæ ſemen Iuuenum ſobolem fac educas: vt ex te, tui ſimiles in poſterum quam plurimos habeamus. Tuo nunc artificio materiam idoneam nos præbemus. Figulus es. Ad rotam ſedes, vdam, & facilem argillam exſpectanti Thebanorum ingenia ſuppeditamus. pedem ſubmouere: manum admone: currente

rota quicquid inſtitueris ſequetur ad manum, in quamlibet formam emerſurum informe lutum: ſiue tu potius vrceolum inſtitueris; ſeu malueris aqualem amphoram. Sphingem iampridem noſter Oedipus occidit: ænigmata relinquamus. Mittimus ad te loquentem fungũ; & cucurbitam gradientem, puerum, Rhinocerotem, Margitem meæ Sororis ex Pterela Thsleboarum Paſtore filium. Videris, capitalem betam dixeris: tamen portenti ſimile fuerit; ſi tantum caput cerebrum non habet. In iſto puſione nos inſtituendo magiſtris adhuc minus idoneis, quàm ſperauimus, vſi ſumus; vel quod Thebis boni Mathematici non facile naſcuntur: vel quod apud ſuos quiſq: ſegnius eruditur. A puero puſillo decennium, iam & plus eò, Mathematicos noſtrates adit: per id temporis nihil aliud, quàm binis bina componit. Pertuſum dolium eſſe dicunt; quicquod infunditur; ex eius cerebro, tanquam ex cribro deperit. Ergo labore tam diuturno, tam pertinaci, tam ingenti tantum id aſſecuti ſumus: vt filius minime malus vnum, duo, tria, quatuor, &

quin-

quinque iam numeret. Hactenus Arithmeticus eſt: huc vbi peruenit, tanquam ad ſyrtes adhaſerit vlterius porrò progredi non poteſt. Cæterum ſi molem corporis aſpexeris: bonam argillæ maſſam ad motam tuæ rotæ dixeris: ſi facilitatem ingenij; tractabilitas ea videtur ineſſe puero: quam optare vos ferularij ſoletis. Oleum non æquè quietum eſt, cum olim in fundo cum amurca ſedet. Modo paululum adlaboremus: ſpes eſt. Eum vtilem reipublicæ Principem euaſarum. Tu, ſi capitulum ſalſum ex inſulſo feceris: laudabimus omnes ſalinas tuas. Tyreſias quidem noſter augur, & ſi cæcus eſt; multum videt, is in omni ſermone dilaudat Mercurialem ſaltuam. Hoc Auctore Margitem ad te miſimus: vt ſtrumã dibapho ne tegamus. Quicquid cum eius adoleſcentiæ Cuſtode Margitæ de mercede tranſegeris: id eius Parentes, & nos ratum habebimus. Nunquam inter nos verbum demutabitur: dum intelligas, multis partibus minus operæ tuæ pretiũ futurum ad eam gratiam, quam, à nobis inieris: ſi bonum adoleſcentulum feceris miliorem. Cæterum,

ſi famem fugis; & Thebas amas; Thebarum portæ ſeptem ſunt: omnes tibi patebunt. Collige vaſa, elitellarios à nobis habebis ad vecturam, veredarios ad curſuram.

Vale, Dyoniſij Trietericis, pridie prima luna.

His litteris perlectis Mercurius, adſtantem Margitemc contemplatus, riſum vix quidem, ſed continuit tamen, nam forte fortuna laurum habebat ad manum: frondibus commanducatis ſplenis impetum facile compreſſit. Traditur in manum Puer. Mittitur in Auditorij conſeſsum nouus ſapientiæ candidatus, elementarius elephas. Procurator adoleſcẽtis præſentem pecuniam intercidit.

Mercurio à Creonte dona miſſa.

Dona pretiũ in anteceſsum regia liberalitate dinumerat LX. minas, integrum talentum repręſentaturus in ſingulos annos ante brumam. Tum è vidulo depromit annulum, & torquem, & indumenta varia non pauca, peregre quidem, & profeſtis diebus vtenda, ſagulum, penulam, pallium, bardocucullum, è Meli-

litenſi lana: feſtis autem byſſinas interulas, & xylinas coas, tunicas, ſericam holoſericam, ſpiſsam, rallam, induſiatam, caltulam, crocotulam, purpuream, hyacinthinam, praſinam, cum lacinijs, & clauiculis, atque patagijs. & ſycionios calceos, & caligulas, & lacernas ex opere Damaſceno. Quibus rebus omnibus expromtis Procurator, his, inquit) munuſculis Mercurium donat Paſtor Thebanorum Creon, plura daturus in tempore; ſi te pluribus indigere ſenſerit.

Non dum Galeritus Caduceator Deorum Mercurius habebatur poſt ætatem Iouis Talthybius effectus, & talaria pedibus induit.

Aurea, quæ ſublimem alis ſiue aquora ſupra:
Seu terram rapido pariter cum flamine portant.

Cum in Ialyſo rude donatus illam efficacis potentiæ Virgam accepit à Ioue Patre, qua cum libuit

animas ille euocat orco
Pallentes: alias ſub triſtia tartara mittit:
Dat ſomnos adimitque & lumina morte reſignat.

Quamuis enim diligens in primis

doctor eſset : atque omni doctrinæ genere politiſſimus, nec impiger ad cætera iuuenis exiſtimaretur.

Seu iaculo vellet ludere, ſiue trocho:

pugil autem, & Muſicus is eſset.

Qui feros cultus hominum recentum
Voce formaſſet catus : & decore
More palaſtræ:

perdiu tamen illius ingenium luce caruit, & ſtudijs Principum deſtituta non eo fortunæ curſu ſingularis eius Virtus eſt viſa, quo debuit. E numero nobilium Magiſtrorum reiectus extra Gymnaſiū, & in quandam adiunctam Ialyſo tabernam abditus, triuialibus pueris prima literarum elementa tradebat. Aetatem videlicet in illis ſordibus miſere contriuiſset : niſi magni nominis ſpe debilitata, docendi ſatietate victus abecedarium abieciſset ; vt aliud inſtitueret vitæ, famæque propagandæ genus.

Margites in Pædotribio.

Verum hæc Mercurio poſteà fuerunt. At miſerum Margitem vbi

reli-

reliquimus? Vt arbitror ad Ialyſum in Mercurij Pædotribio. Quid hic agebat? quod in cucumerario ſatiuæ betæ: quod in leporario depicti canes: quod in cætario Delphines: quod in pariete caprificus: quod in Theatro ſtatuæ: quod in periſtromatis intexti Gygãtes: quod Penelope, cum ducebat Antinoum: quod in Capitolio Terminus: quod Danaides ad Vrnam: Tantalus ad aquam: Syſiphus ad ſaxum: Ixion ad rotam: Midas aureus ad menſam: quod in Apocolocynthoſi Cæſar Claudius ad fritillum: quod ipſe Margites agebat antequã naſceretur: nihil. Cum dico nihil, Romanè dico. Quin etiam illa quinque decennalia tanto ſudore percepta Thebis; quod intermiſſa diutule conſuetudine numerandi, Beotia profectus, nunquã in Rhodo per digitos ex more reuocaſſet: ex animo penitus exciderunt.

Mercurij conatus in docendo Margite.

Duram ſanè prouinciam ſuſceperat Mercurius, qui ſurdaſtro fabulam narrare pergeret. nihil omittit

tamen: explorat, agitat, verſat in omnem partem adoleſcentis animũ: omnem lapidem mouet, omni & ratione pugnat; vt aliquid è re nata ſaltem hiſceret è rebus notiſſimis, data ſermonis anſa. Ille contra nihil præter noctuæ carmen dicere poterat. *Neſcio*. Quid hic faceret infelix magiſter? Neceſſarium malum ſorbendum erat: diuitem, & hebetem docebat: & auribus lupũ tenebat (vt aiunt) quem neque propter inopiam amittere: neque propter moleſtiam retinere vellet. Ad extremum anchoram ſacram iacit: quicquid induſtriæ: quicquid viriũ ſuperabat, expromit, anceps quo caderet alea laboris vltimi. Vt enim ex illo ſaxo nonnullam ſuſpicionem humanæ mentis exculperet; nouum & olim vtile conſilium, vt erat ad comminiſcendum ingenioſus, excogitat. Quod poſteris deinde traditum, ac frequentari cęptum apud Priſcos multorum plerumque pinguium, & inertium diſcipulorum hebetudinem exacuit: deſidiam excitauit: ſomnum excuſſit.

Pi-

Pinacis luſoriæ deſcriptio ad Margitam inſtruendum.

Pinacem æqualiter ex omni parte diffuſam, inque orbem explicatã comparat interpictam, & variam, albis nigriſquè ſedibus diſcolorem, haud multùm diſſimilem picturatæ tabellæ colludentium latrunculorũ. figuram in pinace deſcripſit eam, quam in Mundo videmus, in ambibitum circumactam, & in globum glomeratam, quaſiquè tornatam à Deo. Hic tibi duodecim orbes circunduxerat, partitis inter ſe ſpatijs diſiunctos, interuallorumque inſta ſeceſſione dimenſos: intimum breuiſſimum: medios, quo longius ab intimo recederent, ampliores, ampliſſimum extimum, æqualibus vndique lineis non paucis excitatis ab intimi circuli meditullio, perductiſque per exteriores ambitus ad extimam vſque terminationem, oramq; ſupremam, omnia complectentis orbis. Simile textum mirari ſolemus in operoſis inſidijs: vbi ſuſpendit aranea caſſes & perplexos orbibus orbes implicat: articuliſque geniculatis, & prælongis innexa diſpoſitos

in

in orbes intenta ſtamina percurrit, neſcias an opus fuerit adeo callidæ ſolertiæ, quæ decipiendis muſcis ſubtiliſſimum artificiũ machinaretur, euolutis è viſcoſo ventre velleribus: quaſi ſolertiſſimum animantis genus ex inſidijs excipiendum foret: aut multo callidior eſſet Muſca Margites. Iam in intimo circulo media Terræ ſedes erat varia rerum imagine diſtincta. Vidiſſes in ea terrarum habitabiles tractus, deſertaſque ſolitudines: Prouinciarum oras, regionum plagas: & adlabentium fluminum perennitates: & viridiſſimos riparum conueſtitus, amœnitateſq; camporum, depreſſionesquè ſubſidentium vallium: & frondoſa ſepimenta montium, ſaltuſque Syluarũ. vidiſſes in ea

Speluncas, viuoſque lacus, & ſæcla ferarum:
Europam, atque Aſiam, & Lybiæ ſitientis arenas:
Sedibus & varijs diuiſum gentibus Orbem,
Oppidaque, atque hominum vulgatas cœtibus Vrbes:
Et quos eoo narrant ſub ſole calere:

Et

Et quibus emeritum lumen partitur Iberus :
Quóſque Elice gelidis aquilonibus vſque perarit :
Ripheaſq;niues,ſqualentiaq;arua pruinis :
Quaque Parethonij deuexo ſidere cancri.
Regna tepent : vmbras nunquam non ire ſiniſtras
Cernere ſueta iubar qua meta breuiſſima claudit
Aſſiduo cineſacta die : qua fœta procellis
Murmura baccbantur glomerata ſonantibus auſtris.

Nimis anxie Poetæ faciunt, qui mihi tam longo verborum anfractu rem dictu breuiſſimam, facillimamque circumſcribunt. minore labore facile negotium expedirent : & me celerius docerent : ſi dicerent breuius hoc modo.

Cyllenius in Terræ globo fines Gẽtium, & Regnorum ſedes deſcripſerat. In ſummo vero Terræ circulo fecerat inſidentem Diuum Matrem turrito vertice ſpectandam & curru vectam, & biuges ad fræna leones, & Curetum Thyaſum; & ſiſtra My-

ſta-

ſtarum, & in ludibundo Corybantum comitatu.

Semimares Gallos, ſemiuiroſquè Phryges.

Eam Phyſin doctiſſimi Græcorum vocant, illique vim generationis attribuunt: & modo Cybelem, modo Berecynthiam: Latini Veſtam, & Opim appellant. Eadem eſt Iſis Ægyptijs. Rheam quoque. quaſi vim perpetuo fluentem nominant, & perennem in conciliatione primorum corporum Genitricem efficientium cauſſarum. vt Philoſophorum, & Poetarum vetuſtiſſimi ſentiebant Anaximenes, Herillus, Heraclitus, Empedocles. apud quos nihil omnino, fixo ac certo naturæ veſtigio conſiſtit: ſed omnia perpetuo cientur: & quaſi fluctibus agitata labuntur remiſſo textu rerum ſuopte nutu deficientium. At enim in manibus permulta ſunt, & ob oculos, aſſiduè verſantur, quæ conſiſtere nemo negat: niſi cui natat in vino lingua: tunc præſertim circum omnia verſari rato: cum

Acceſſit feruor capiti, numeruſq; lucernis.

Ideò remotiſſimam à ſenſibus, & incredibilem dictu, ſententiam, vt ad vulgi

vulgi captum ac multitudinis intelligentiam accommodarent: vim ſub labentium cauſarum eſſe dixerunt aquam. Poetæ longius abierunt. Pindarus & Homerus,quorum Pindarus rerum omnium optimã aquã dixit eſſe (ſed ipſe vinum potabat, purum putum, vt erat à mâtre natum) Oceanitides rerum effectrices, & Nymphas omnia madida manu figurantes facit. Terrã porrò cæruleus vndarũ amictus ambit alluentis Oceani fluctibus excluſam.

Neptunus equum domitor, Regnator aquarum

Circũfuſis vndis affinis aer ſuperfuſus intenditur. Animalis naturæ ſpirabile regnum Iunoni dabat. Et hæc iugalibus circum vecta pauonibus Thaumantis annuente filia

Quacunque gradum fecit, quò lumina cumquè
Deflexit; ex ea protinus parte conſerenauit.

Fulmina raucæ ſilent: raucæ poſuere procellæ:
Lumineq; aſpirat verſicolore dies.

obit aëra ſubterfluentem igneo candore ſuffectus Aether. Aethera notho lumine ſaturata luna complectitur. Hanc ipſam ex ordine reliqui

qui ſex orbes ſtellarũ coercent, quas errantes, & incertas vocant.

Sed nihil incertum, certa quod lege cietur.

Errantibus aſtris ſuper impoſitus frequentibus luminibus inſignitus Orbis, collucenſque noctu pura ſtellarum cyclas infixa Mundo, ſcintillãtium vulgus aſtrorũ medioxuma, minutula ſidera ſideribus diſperſa paſſim, ac temere coniecta, velut in turbam. Ea maxima cœlo cura modeſtiæ fuit, vt ſingularum dignitatem, flammarum Natura ſecerneret, non locorum ambitio terminaret.

Neges? Enim vero licebit ad Cœlum oculos conuertere. Neges illos iucundiſſimam audire vocem, expreſſam è rerum pulcherrimarum aſpectu, diſerte palam nobis modeſtiam ſuadentium? Si nos in Cœlum ſuſpicimus; optimè intelligemus in qua nos dignitatis, & officij cuſtodia collocati ſimus, quos in infima Mundi ſede deſtitutos, in omnem arrogantiam ſuperbia proiectat. humi ne depoſitos in omnem inhumanitatem, atque barbariam inſtinctus faſtidij furor extimulat? qui natalium obſcuritatem, & humilitatẽ, con-

conditionis ac ſedis obliti, neſcio quam nobilitatem ſpecioſis nominibus inflatam opinioſiſſime ſuperbiſſimèque comminiſcimur: in qua deinde vindicanda non pudeat ab æqualibus immortali odio diſſidioque ſecedere in factioſorum partes, ſpecioſa vocabula bello perſcribere: cruore ſancire: liteſque verborum finire parricidijs: ferro decernere: ſanguine fœdari: diruere vrbes: excindere gentes: beneuolentiæ dulciſſimum nomen extinguere: vaſtare prouincias: omnia flammis, omnia cæde miſcere: omnia Sanctitatis & Veritatis veſtigia delere: facimus ne? vt Gigantum more cum Deo bellare videamur? Pudeat arrogantiæ: pigeat, noſtram ad ſanguinem vſquè ſæuire ſuperbiam in hoc vltimo Mundi loco miſere ambitioſam: & vt vna regnet ex omnibus per æqua per iniqua præcipitem, & ab omnibus impiè diſſidentem. dum in altiſſimo pulcherrimoque rerum vertice ſuſpicimus lætiſſima cæleſtiū orbium inſignia, conſpecta vulgò, nullo niſi fere fortuito diſpoſitionis ordine: nullo præterquam ſe non agnoſcentis naturæ diſcrimine partim diſcreta paſſim, partim ſic teme-

rè

rè conglobata, iucundiſſime ſemper arridere Mortalibus, nobilitatis in obſcuritate generis, amplitudinis in locorum anguſtijs, Maieſtatis in ſordibus humilitatis crepantibus ampulloſos ſonos, & ebriæ felicitatis inſana ludibria ſomniantibus.

Tamen hic eram in Pinacis ornatu. Iam extra ſtellatum orbem Mercurius aurea corona perpetuæ lucis omnia concludit, quam Stephanitem vocat. Rurſus orbium Præſides, quos Tropicos appellant Græci, quaſi præfectos prouinciarũ Deos, in ſuis quemque circulis directò diſpoſitos in verſum collocat. in vmbelico terræ Fortunæ ſigillum aureum: in ſummo terræ circolo Berecynthiam: in aquarum vltimo iugo Neptunum, eodemque ordine reliquos ad ſummum vſque ſupremi circuli verticem ſuis nominibus inſignitos, ac paruulis ſigillis aureis effictos Deos. At in reliquis cæterorum orbium ſpatijs albas; nigraſquè ſedes non paucas alterna dimẽſione diſcretas locat: & luſoriam illam latrunculorum aream ad deſtinatam ludicri certaminis ſpeciem diſtinguit. In omnibus orbibus idẽ labor. Terræ tantum ambitum, &

Ste-

Stephanitem intactam relinquit: ſua ſpecie florere Terram, Stephanitem perpetuo candore collucere, paſſus.

Exornata Pinace, præter hæc, teſſellas eburneolas facile trecentas, tot numero nominibus notatas, quot habent Græci notas litterarũ parat. Alteras item ex ebeno totidẽ: & has ex ebeno teſſerulas, & ſuperiores illas eburneas ſingulas ſingulis litterarũ formis impreſſis diſtinguit, & nominat.

Ludi modus, & fructus,

His adhunc modum ſole ter exactis, aduocato Margite Pinacem in medio collocat. Margitę Mercurius aduerſus adſidet. Ait ſe reperiſſe nouum ludi ludendi genus: non eſſe difficile perceptu: ſimul cuiuſmodi ſit, & qua lege ludatur, oſtendit. Experiuntur. albas alter in albã: nigras alter in nigram orcam teſſerulas litteratas conijcit, quas in Pinacem fortuito primum effunderet, vt qui talos excutiunt ex fritillo. Deinde diligenter, & quam commodiſſima vicinitate cogeret, & ex

condicto certa quædam verba componeret: quo pacto latrunculis ſimulacra certaminum colludit ſolēt. Depoſito pignore certabatur: quod in ſingulos litterarum iactus auferret ſibi, qui viciſſet. Vincebat qui vel prima quaquè litterarum profuſione verba, quæ condixiſſet aptè diſtincta forte iecisſet in Pinacem: vel qui quam proximis ex interuallis ad facilem verborum ſtructnram literulas prius, & faciliùs redegiſſet. Proxima dicebãtur interualla fortunæ Rota. Berecinthiæ currus, Neptuni iugum. Iunonis pauones, & reliquorum ſigilla Deorūm. Ad hæc ſpatia ſi prima verbi littera cecidiſſet: pro confecto totum verbũ ipsũputabatur pignus auferebat illico, qui ieceſſet. In proximis etiã ſpatijs alternæ ſedes erant in diſcolore Pynàce litteris concolores nigræ nigri s, & albis albæ. Stephanite longiſſime diſtabat: quicquid litterarum ad illam oram ex orca diſſiluiſſet; incommodum, & alienum erat: nihil inde redhiberi licebat. E proximis enim & è ſimilibus ſedibus, ſimiles litterulas in verborum numerum ex lege redigebant: diſſimilis è longinquis, & diſſimilibus

non

non item. In viridi Terræ campo iuxta Fortunam congruentium litterarum numerum recenſeri mos erat. Hæc depoſita pignora ſeruabat orbata luminibus Dea, victoribus præmium præbitura Victoriæ. velut hoc in exemplo ſit. Mercurius Margitem prouocet. Age Margita, quo pignore depoſito mecum ludis? Annulo cum amethyſto. Quoteno iactu, quod mihi verbum dabis? Primo, Mercurium dabo. Quibus litterulis? eburneolis. Primo iactu nego te Mercurium daturum. En contra pignus ad Fortunã annulum oppono cum beryllo. Capſis album hunc pyrgum: hic eburneolæ tibi ſunt. Inuerge. Margites inuergit è pyrgo litteras: effundit in Pinacem: diuerſæ diſſiluere, per teſſellatos orbis, intra virentis Terræ circulum paucæ: quædam ad Stephanitem excurrere: plures in picturatis orbibus apparent: inſpectat Margites,& numerum recenſet: ſi quæ congruenter, apteque ceciderunt: primo Fortunam adit, & cæteros ſuis orbibus inſidẽtes Deos. Nihil à Fortuna, nihil à Dijs dexterum oblatum videt. Abit ad circulos diſcolores. hic quoquè multæ

non cōgruunt inter ſe: reijculæ ſunt, & damnoſæ: Nam in diſſimiles ſedes diſſimilium litterarum pleræque cederunt. Quia primo iactu Fortuna non affuit: inito conſilio Fortunam corrigit. Quod promiſſum Mercurij nomen non apparet in Pinace: componit ex vicino ſimili ſimilia, quæ poteſt: Margites dato Mercurij nomine pignus aufert: non dato, pignus amittit.

Aleæ genus, vt videtis, verbo ludicrum erat: & in ſpeciem otioſum: re tamen ipſa vſque fructuoſum, ac ſerium, vt cunque ſors colluſoribus eueniſſet. ſic enim crebris nunc admoniti damnis, nunc emolumentis inuitati certaminū per otium atque ludum acuebantur adoleſcentes, vt primo nomina Deorum auribus, imagines oculis, venerationem animis haurirent: deinde nomina ſingulatim condiſcerent, & formas internoſcerent litterarum: deinde ſyllabatim verba coagmentarent: tum paullatim, ſenſimque progreſſi longius integras quoque ſententias certa verborum comprehenſione concluderent: poſtremo verſiculos Poetarum àut reconciliarent: aut ipſi iuſta coagmentatione conflarēt

&

& memoriæ lectiſſima quæque crederent è nobilium Scriptorum accerſita monumentis.

Intra menſem hæc omnia percepit Margites. ille Margites, qui toto decennio quinque duntaxat numera re didiciſſet. reſpirat Mercurius. ſpem affulſiſſe videt teſtudinē illam, tardigradam promoueri poſſe. laudat ingenium: miratur induſtriam Adoleſcentis. Eugepe doctiſſime. Euge pulcherrime Margita.

Hæc eadem vt ſciret: quid non faciebat Amyntas?
Superas iam voce magiſtrum.

ac ſibi ipſe mentitur, Heus vos Ephebi: conſeſtim, huc aliquis veſtrū mihi lyram afferte: ſupparaſitaſtrū ad forum requirite.

Mercurius ad Margitam erudiendum adhibet Homerum.

Supparaſitaſter erat Homerus: Aegyptius Iuuenis, Poetarum felicitati commendatus, vti quantumuis ingenioſus, ridiculus & pannoſus eſſet. Nec in foro requirendus fuit. Aderat impranſus domi non antemeridianus ad prandium: nec ſanè

pomeridianus ad merendam. Sed ad veſpernam veſpertinus, vt è reſiduis cœnulæ mercurialis, ofellis immanem ſedaret in vacuo ventre latrantem canem. famem volui dicere. Vide, quæſo, quam facile peccem. Et tamen famem quoque trifaucem fingebant, & latrare credebāt ſenes: ex quo latratu balatrones, vt ait M...ſurius, paraſiti ſemper famelici nominantur. Nimirum eo die circūforaneam operam male locauerat Homerus, qui vicatim Vrbis multitudinem compitalitiam, à prima luce delectaſſet ad veſperam; decēque iam horas ad rauim vſque ceciniſſet: ne teruntio quidem è concione corraſo: qui ſecundarium ſaltem panem coëmeret; & edulem cœpā. Nam vinum gratis ex erogatorio publico, generoſum, & æquale Mundi ſenio petebat: hoc eſt è communi fonte ſumebat aquam. & ſi non ille quidem videtur abſtermius: qui nobis bibulos Heroas in Cœlo collocat, & vinoſos Deos. Is igitur tum ſiccus, & ieiunus, & oſcitans, & pandiculans (vt ſæpe numero faciebat quoties in circulis nullum operæ ſtipendium feciſſet) ad amiculi ſe ſemenſulam receperat, ſeneſcēte iam,

&

& in occaſum inflexo die. Quo fiebat vt pro amicitia mutuam ab illo diligētiam Mercurius interdum repoſceret: ſi quando quemadmodū ipſe primum inſtituiſſet: ad acuendam diſcipulorum induſtriam ſupparaſitaſter adhibēdus foret. Hunc, aliquid amplius in Margite formādo callidus magiſter animo complexus, acciri iubet. Commodum adeſt. Iuuene dimiſſo: ſeorſum cum Homero Mercurius trāſigit, quid opus facto conſultoquè ſit docet: ſibi Margitem in poſterum erudiendum videri frequenti pædotribio ad plenam Auditorum ſcholam. Ex aſperrimis grammaticę cotibus per cymbulas eburneolas enauigaſſe tādem. Cæterum illius ingenio plurimum ſe diffidere: vereri, ſi palam exerceatur ex cō ſcientia timidus adoleſcēs: ne, cum ad eius ineptias riſum (vt veriſimile videbatur) inconditè cōdiſcipuli ſuſtuliſſent; pro ridiculo nobilis Iuuenis haberetur, ludibrioq; deterritus obmuteſceret. Proinde puerili verecundiæ conſulendum: Supparaſitaſtrum ad iungendum videri, qui periculum, & nomen alieni ludibrij ſuſcipiat in ſe, ſcurrarum more callide diſſimulans, quid aga-

 tur.

tur. Homerus ad id idoneus viſus eſt, Iuuenis naſutulus, & improbulus; nec facie minus, quam facetijs ridiculus. Is, ſi vellet, Therſitæ laruam, & perſonã indueret: vultumq; ſimularet, geſtumq; Therſitæ, quaſi cum Margite de ſolertiæ laude contenderet. In eo cautionem eſſe, ne dolus intelligatur: cautim, & ceſſim rem gerendam, vt olim in iudicijs præuaricatores ſolent; acriter inſtaret primo: deinde molliore brachio pugnaret: tum magis, magiſque relangueſceret, & vim remitteret cõtentionis. ad extremum Therſites vltro victus dederet victori Margitæ manus. Opulentum eſſe victorem: Victus ne timeret famem. Hic erat deformis ille Therſites, Margitæ pene gemellus, & tanquã ex eodem ouo natus, quem Homerus in bello Troiano ſemper melioribus obtrectantem facit. Præſtiterit etiam (adiecit Mercurius) in imbuendo Margite, ſi ſub Therſitæ nomine Margitem imiteris ipſum: eo potiſſimum tempore cum audita præcepta memoriter recolere vos iubebo: vt ipſe dicendi tempus anteuertens locumquè præripiens ea dicas &, agas, quæ riſum excitare poſ-

poſſint: eo vultu, geſtuq; quo Margites dicturus fuiſſet, & quo tu lepidiſſime ſcurrarum ſoles dicere, cum auditorũ riſum de induſtria captas. ambitioſus dolus, nec iniucundus futurus, quæſtum tibi magnum, Margitæ maiorem afferet: vbi ſuauiter Margites in falſo Therſite ſe rideri ſentiens, tacitus erubeſcet. Habes me? frugi ſis. *Dionyſij* tyrſus hic eſt: mucrone punge, fronde percute: diſſimulando vera, falſa ſimulando magnus Homerus mihi formet inducto Therſite Margitem. nouite callidum Poetam, & bonum imitatorem. & vide quam bonum. Etiam num Puer poeticè nobis Ranunculorum bella bellata, cum muſculis æmulatus es: qui minutiſſimas beſtiolas tam eleganter imitaris: nę tu, ſi volueris, elegantius maiores beſtias imitari potes. *Hæ tuæ* ſunt partes. Meas nunc edìſce contra. Quam cupidè ſitiant hominum aures numerorum iucunditatem, quãtoquè faciliùs in animos inſtillentur, quę concluſa numeris ſuauius auribus lenocinantur: tu primus omnium non ignoras: qui nulla re magis in circulis, quam carminum commendatione dominaris. Nunc

mihi Margites hoc aurium lenocinio ducendus, & docendus eſt. Poetarum voci ſolitudines, & ſaxa reſpondent: cantu permulſæ veniunt ad manus agreſtes feræ: nutricularũ cantilenis altam quietem infantes paullatim conſopiti trahaunt: virides natrices aſperæ ſerpentes innoxio contactu mitigatæ carminibus adlabuntur ad manum. Malo me quouis digniſſimum deputem: niſi meo cantu delinitus, infantes, viperas, natrices, feras, ſolitudines, ſaxa ſuperauerit Margites meus. Age dum: ades animo. diſce, quid agendum ſit. Ego quarum artium opus eſt ad elegantem cultum Nobilitatis earum arti um præceptiones verſibus illigabo: tu Therſitæ nomen, & perſonam indutus, & Margites, cum cæteris auditoribus adſidebitis auribus, atque animis ad audiendum parati: Ego quo cultu, geſtuque Rapſodus in Theatro ſolet: meditata concinam ad lyram. finito Carmine, tu ſumptam à me lyram continuo percuties: & iuſſum audiťũ carmen perſonatus recines ſcurriliter omnino, ac mimicè: nominis appellatione, Therſites, actionis imitatione Margites. Ridebunt

ſci-

ſcilicet auditores: ridebit ipſe fortaſſe ſe ſe: nihil me mouet: obſtrepent: exſibilabunt: inconditis clamoribus omnia complebunt. Hoc ipſum volo: tu nihil eorum ſentiens: ſi ſapies, fabulam ad Plaudite perduces. Vbi tu conticueris; eorum aliquem iubebo ſecundum te dicere (qui præceteris memoria pollet: & omnium diligentiſſime Carmen percepiſſe videbitur) Phœnicem, nimirum, aut Theagenem, aut Critolaum, aut Niceratam, aut Antiſthenem, aut Glaucum, & eius ordinis alios ingenio promptiſſimos adoleſcentes. Dicet ille Phœnix aliter, atque tu, me potius imitatus, quam te. Plauſum ex admiratione nequaquam irridendi Rhetoris vniuerſus conſeſſus dabit. Hoc iam animaduerſo diſcrimine, Margites altis ſenſibus noſtra combibet: mox omnes animi neruos intendet: vt collaudari potius ab æqualibus, quã irrideri velit. & hic Dionyſij thyrſus eſt: fronde percutiam: mucrone pungam. Dixerat.

Profectus Margitæ mirus.

His ita conſtitutis, pro ſe quiſquè non ſecus, ac decretum erat, cantu Mercurius, recentu Therſites, cęteri deinceps, vt quiſquè promptiſſimus, & ingenioſiſſimus videbatur, tradita per manus lyra præcepta veteæ laudis eadem docent, non eadem via. Quibus Margites, bona cum malis meliora cum bonis aſſiduè contendens aliena condiſcat, dediſcat ſua. Nec ſane labor irritus: & diligentia callidi Præceptoris fruſtra non erat. Iucundius dicta facilius affluebant, altiuſq; ſubibant adoleſcentis animum, ex contentione meliorum quotidie doctiorem. Etiam in Mathematicis progreſſus aliquos habebat: intelligebat, quid eſſet punctum, linea, circulus: ſed extremitatem corporis, & ſolidi globi ſuperficiem explorans, alte demerſus hæſit in fundo. Nec rationem aſtrorum ignorabat: inter ſydera diſtinguebat, & Solem, & Lunam. reliquum Cæli ſpatium galaxiam putabat. In Dialecticis plumbeus habebatur. In Phyſicis videbatur acutior.

Quid

Quid chaos eſſet, quid hyle, quid forma, quid Infinitum tardiciſcule quidem; ſed explicaſſet tamen: non hac noſtra Rhetorum, non illa veterum Philoſophorum elegantiæ mira varietate: ſed iſta fæcula verborum, quæ recentibus Peripateticis & Iuſtinianicis tradidit ſemilatinus Bartolus, & Burleus. Effata ſolennia Diſciplinarum, & axiomata Sapientum, & illa verba ſemibarbara quotidiè decantata, ſic arripuerat, vt nunquam remitteret: & iuſſus aliter eadem dicere ne numero quidem & accentu verborum à noto carmine recedebat. Elegantiæ præcepta norat, & memoriter, & ordine decãtabat omnia: quod plerique Rhetorum ſciunt: ſed quod pauciſſimi poſſunt; eleganter dicere non norat: Quin etiam verba, quæ docendi gratia putidiuſcule vſurpantur in ſcholis; ille ridicule reuocabat ad conſuetudinem quotidiani ſermonis: vt tum fecit: cum ad Auunculum Creontem Thebanorum Regem de rerum ſuarum ſtatu ſcribens, his ferme conceptis Dialecticæ verbis abuſus dicitur.

Margitæ Epiſtola ad Auunculum.

Auuncule mi ſaluus ſis. De me; (quod etiam ſpero de te) viuo, & pingueſco prædicamentaliter ſecundum omnes categorias. Quod ad categoriam Subſtantiæ pertinet; ego ſum Homo, ſubſtantia corporea quidem animalis, rationalis: quod ad categoriam Quantitatis, ſum homo paruus, rotundus & ſpiſſus, & compactus, ac bene corporatus. Quod ad categoriam Qualitatis; prælibati Mercurij, magiſtri mei gratia ſum homo taliter, qualiter litteratus. Quod ad categoriam Relationis ad aliquid: ego ſum totus tuus natura nepos ex ſorore: voluntate ſeruus. Quod ad categoriam Actionis, & Paſſionis; Comedo bene: dormio melius: patior aliquando dolorem ventris, & aridam tuſſicellam: non multum periculoſam Dijs gratia. Quod autem pertinet ad categoriam Situs, & Loci; ſedeo nunc in ſcabello: Quod ad categoriã Temporis hodie feriamur. Quod poſtremo pertinet ad categoriam Habitus: hæc ad te ſcribo ſoleatus, braccatus, pil-

piſcatus, & cætera. Nihil aliud habeo dicere. Tibi manus oſculor duas: tres etiam, & quatuor ſi habes. Iam vero Poetas potiſſimum in delicijs habebat; vt etiam ſenariolos, & ſeptenarios verſiculos, & octonarios deblaterare poſſet.

O præclarum hominum munus: ò vere diuinum humanæ mentis inuentum Poeſim. En ille Margites: ille fungus letheus, & vitreum Endymionis ſomniũ pauciſſimis diebus in Verſuum dimenſione ſenos, ſeptenos, octonos pedes, non agnoſcebat ſolum; ſed etiam in numerum digerebat: qui decennium ipſum apud præſtantiſſimos Mathematicos conſumpſerat; vt vix pauciora recenſere numerando poſſet. adeo facile Mortalium animos peruadit inſinuans ſeſe cum vera ratione Iucunditas Poetarum.

Sed nos videamus quid cũ Margitæ Therſites agat in ludo.

Licet moræ pretium eſſet hoc loco in amuſos quoſdã ſtylum diſtringere, qui Poetas odere cane peius & angue fecimus id aliàs non ſemel, & fortaſſe ad ſatietatem.

Sua-

Suadetur Margita, vt Dijs præſidibus litterarum. Hecatombem faciat.

Res erat in procliui. Se melior ipſo Margites, & quotidie doctior ex irriſione Therſitæ mirabatur, & non nihil addubitabat an eſſet ipſe. Cum belliſſimè procederet; ecce tibi noua calamitas; quæ miſeri Iuuenis fortunas omnes ſũditus euertit. Forte Mercurius extra iocum auctor aliquoties Margitæ fuerat; vt quoniam à Creonte Rege ſumtus abundè ſuppeditaret: ipſe proximis Poetarum ſacris (quæ in Ialyti Muſæo agi quotannis ante brumam anniuerſario ritu, frequentiſſimaquè Doctorum, & Diſcipulorum celebritate mos erat), Mineruæ, Muſis, & Gratijs Hecatomben faceret, ritu Græcorum. Illas Deas gymnaſijs præſidere, illas alere bonas artes: illas Sapientiæ cupidis placandas eſſe, quæ ſi ſemel ſua virgula Margitem cõtingant: non dubium, quin repente Poeta factus: vel ad extemporalitatem vſq; ſubito carmine quemcunque vellet è condiſcipulus prouocare poſſet. Promit-

tit

tit Margites ſe proximis ſacrorum ferijs hecatombe facturum ad centum Aras: ſed hecatombe quid eſſet ignorabat. ſciſcitatur ex Homero, qui cum familiarius colludere ſolebat, quod nam ſacrificij genus hecatombe ſit: quo fieri Mercurius velit Præſidibus ingeniorum Diuis. Ille, qui ſemper ridiculus, & improbulus fuiſſet: & qui Deos omnes nihili faceret: centum inquit eiuſdem generis animantium viua capita mactanda ſunt ad cẽtum Aras. Cedo, quas animantes? ſuſcepit ille. quaſlibet, inquit, ſubridens, Muſcas, Veſpas, Veſpertiliones, Ranunculos, Curculiones, Scarabeos: omnes, inquam, modo generis eiuſdem centum viua capita mactentur. Audio. ſed iſta centum quot quæſo numero ſunt? decies dena. non noſti? norim? qui nec quinq; tantum habeam in numerato? ergo vicies quina ſunt, inquit Homerus. ludis, credo, me reſpondet Margites. quinque teneo, inquam, vicies, & quina non teneo. Tu, ſi me amas, vniuerſum iſthuc centum animantium pecus conquire, quæſo: quoniam diuinitus tibi tantum ingenij conceſſum eſt: vt numerum tam im-

immanem inire poſſis. faciam, inquit ille, primo quoque tempore venationem indicam. Animantes repertu difficiles centum tibi ſcarabeos exceptos dabo. nam cæteras immolare vulgare piaculum eſt. totidem Aras in Muſæo ſibi Flaminis Aeditumus excitabit: & thuris medimnum, quantum ſit ſatis adolendis odoribus, congeram: ſi præſentem pecuniam in ſumptum dabis. Quid multis opus eſt verbis? Adeſt ſacrorum dies.

Ritus quo hecatombe ſcarabeorum facta.

Homerus maturatis rebus omnibus ad Margitem venit. Hecatomben indici per præconē iubet. Confluit ad Ialyſum omnium ordinum ætas omnis: multos ſacrificij dignitas; plures Margitæ fama contraxerat. Auctor ſacrificij Mercurius ſeriò rem geri putat: tametſi ſacro non intereſset. forte ſic acciderat; vt pedē extra limen efferre per eos dies non poſset. Ille funeſta domus Athlantem Auum lugebat in ſcopulum obiectu Gorgonis à Perſeo verſum. adulta iam luce templi valuas

uas Aeditumus pandit: apparatu regio centum inſtructas Aras Deſignator recognoſcit. Nec longum tempus, cum Flamine Muſarum, Ialyſi maximus Antiſtes infulatus; & longum à tergo trahens Myſtarũ ordinem in Muſæum Exaphoro defertur. Homerus in tempore cum conſcijs adoleſcentibus amicis immiſcet ſe ſe frequentiæ; nihil eorum, quæ gerebantur ignarus. Conſidere Pontifices: expectatur pompa ſacrorum. Viui pecoris vngulam nullam vident. Ad templi veſtibulum pompam præſtolari putant. Et vere Margites adlimen erat ſplendida clamyde Iuuenis,& cultu plane regio, multo diſtinctus auro, multiſq; gemmis cum agmine ſeruulorum. Centum aderant æquales æuo puberes: candidis amiculis, puniceiſque velati: Camillos ducebant ſinguli ſingulos cincinnatulos pueros, heliochryſi ſacra fronde redimitos cum acerris, & calatiſcis totidem ſuccincti Popæ cum ſecuriculis adſtabant. Medio templo limes aperitur: fit via vi per confertam multitudinem ad teſtudinem. antecedentem Pompæ ſeriem Margites ſequebatur, Thebana nobilitate ſtipatus,

patus, auream pyxidem dextra gerens: & ipſe coronatus à Deſignatore deductus. Vt ad Aram Templi maximam peruenit, ante maturum æuo Pontificem hic ipſe conſtitit, ad reliquas ſingulas aras miſſis ſeruulis cum acerris. Fiſtulator ſonum inflabat: fit ſilentium à Præcone: iuſsum expectantibus omnibus, & nihil ex magno ſacrificio cernentibus præter pyxidē & acerras: hic Antiſtes ad Margitem cōuerſus. Ecquid, inquit, hoſpes optime Thebane, Prerelæ Regis fili Muſis hodie ſupplex hecatombe facturus es? etiam Pater, inquit ille. Cui Pontifex. At Sacræ oues centum; cētum Sacræ boues vbi ſunt? centum capita quæ promiſeras? eccubi tam multi pecoris pompam habes? optime inquit, Eccam: in pyxide. riſere. Scarabæos effundit. riſere clarius. Iuſsus odores incendere; pro thure ſulphur adoleuit. ſic enim omnia clam Mercurio, callide digeſſerat Homerus. Nimirum emori riſu condiſcipuli qui Scurram improbum Homerum norant, & illum miſerum opportunum iocis. cachinnari Iuniores: indignari Senes:

In-

Indignatio Myſtarum.

Facinus indignum vociferari Myſtæ, temeritatem impiam: puniendum ſcelus. adeo ne redigi rem diuinam? irriſui mores ſacrorum laberi? deſpicatui duci ſacerdotum auctoritatem? quantum Deorum iam ſaxeus ſuſtineret Athlas traduci, contemni, pro nihilo putari? inualeſcere ſcelera per ſcelerum impunitatem: nihil vſpiam ſancti, nihil poſthac integri futurum: niſi peſſimum exemplum in impio Iuuene vindicaretur. Agebatur ad Antiſtitem cauſa magnis clamoribus. Margites ipſe perditus; & quo ſe verteret neſcius pro ſe nihil contra dicere. Antiſtes vel quod in hoſpitem, & regulum hoſpitem, indicta præſertim cauſa nihil grauiùs conſtituendum putaret: vel, quod verò propius eſt, quia dolum aliquem odoratus occultã alienam fraudem in manifeſto ſimplicis Iuuenis delicto ſuſpicaretur; ideò pœnam verius ad fraudis artificem pertinere duceret; vt ſe tantiſper collegit. De crimine non liquet, inquit. Comperendinandum reum, & ampliandum cenſeo. Tum attonitum

nitum Margitem in præſentia grauiter obiurgatum à ſe dimittit. addito malum conſilium conſultori peſſimum, criminis Auctorem reperiendum: reperto non impunè futurum contemptæ Religionis ſcelus.

Homerus fuga ſibi conſulit.

Haud dubiè cudēda paulo poſt erat in Homero faba. quis enim ſibi fidum ſilentium à puerorum loquacitate promitteret? quòd ille veritus, aſtute cauendum periculo, ac tempori cedendum ratus, palliolo relicto lodiculam è proximo ſumit, obuolutoquè capite, furtim, & receſſim turbæ ſeſe ſubducit. Exin conijcit in pedes quantum poteſt protinus in cōductam Tabernulam ad Coloſſum. hic è tenui recula conuaſatis aliquot libellis exſilium ſponte conſciſcit ſibi. Rhodo profectus ad Smyrneos exſulatum abit: hinc protinus ad Salaminios: tum alias atque alias Greciæ principes Ciuitates errore peragrauit. Ea peragratione factum eſt; vt tanti Viri Patriam ignorare cogamur. dum pro ſuo quæque iure.

Se-

Septem vrbes certant de ſtirpe inſignis Homeri,
Smyrna, Rhodos, Salamis, Colophon, Chios, *Argos, Athenæ.*

Exſul ſiue fugæ ſolatium, ſiue viaticum vitæ, ſiue defenſionem criminis, ad oblectamentum aliorum, an ad quæſtum ſuum? Margitem ſane ridiculū carmen extudit, quod ad plebeculā caneret quoties mercenariam operam concioni daret. Fabulæ Margites nomen inſcripſit, cuius genus, ingeniū, ſtudia, mores perſcripſerat in quo ſingularis turpitudinis exemplum vbi de ridiculis ageret, Ariſtoteles in Poeticis vberrimam materiam riſus conſtitutam putauit. Ipſum quidem opus ad multo maximam partem intercidit: ſed genere priùs ad poſteros propagato. Nam ex hoc potiſſimū fonte manarunt ea carmina Tuſcorum Poëtarum, quæ vulgus Italiæ Margitę leuiter affecto nomine Margutas, & Morgantes vocat, non diſſimili ferme rerum argumento, ac ſtylo: Ex his initijs Poetarum Princeps exorſus, nunquam poſteà dicitatem illam ſuam oblitus eſt, vt in Epopeia maximus, Comicorum dicaciſſimus idem habeatur, qui

Tragicorum grauiſſimus. Exorſus enim Iliadem, heroum decennale certamen, quo.

Grecia Barbariæ lẽto colliſa duello eſt: in lectiſſimum illum Græcorum Principum numerum Therſitẽ non dubitauit inſerere cuius ipſe vultum, & geſtũ in erudiendo Margite ſimulaſſet. In Vlyſſis quoque laborioſiſſimos errores & Elpenores & Polyphemos incluſit; vt grauiſſimum carmen comico, propemodũ ſale condiret. At Margites de ſe fabulam Rhodienſibus dederat.

Mercurius ſtatuit Margitem in Patriam remittere ſed prius laurea Doctoratus ornatum.

Quare Mercurius, etſi quidem animo ferret iniquiſſimo, ſibi tam pinguem prædam è faucibus eripi, tamen non tam alieno ludibrio, quam ſua ſtultitia nobilitatum adoleſcentem, è medio curſu retractum glorioſi laboris diutius apud ſe retinere noluit. Thebas ad ſuos remittere decreuit, litteris ad Creontem datis, quibus illi ſignificabat, quantum operæ pretium illo quinquennio in

bonis artibus apud ſe feciſſet. Periculum faceret in Grammaticis: faceret in Dialecticis, & Polyticis: faceret in Mathematicis, & Poeticis: ſolertem dabat. Antequam tamen reditum in Patriam adornaret, è dignitate Iuuenis exiſtimauit futurum: ſi decorum aliquod inſigne doctrinæ reportaſſet domum. Itaque Doctorum amiciſſimis conuocatis clauſo Pędotribio ſpecimen ingenij Margitem edere iubet dialecticis diſputationibus tentandum more maiorum. De Infinito inſtituta quæſtio eſt. perſcriptis, & pro Pędotribij cancellis affixis propoſitionibus. Ipſe ſepoſita veſte pulcherrimus ad præſentem æqualium coronam cōſeſſumquè grauiſſimorum virorum huiuſcemodi proemium habuiſſe fertur.

Excellentiſſime Domine Regens: voſquè Profeſſores Artium famigeratiſſimi: voſque magnifici Baccalaurei: nec nō doctiſsimi Licentiati, cæteriq; Auſcultatores ornatiſsimi, cum veſtra bona gratia, & cum benedictione domini mei Magiſtri Mercurij à Monte Cyllenio ego doctorari volo, & pro experimento intenten-

tendo moſtrare vobis in hac hodierna literaria rixa, ſiue baruffa, quod nullo modo dari poteſt Infinitum actu categorematicum: ſed potius ſyncategorematicũ. Quod ſi quemadmodum confido placebo veſtris dominationibus; & vos per corteſanam veſtram gentilitiam me fauorabiliter audietis: ego me priuilegiatiſsimum hoc veſtro tam vnico fauore reputabo, & in ſignum, quod erit ſic; ero veſter ſclauus in perpetuum, ſin diſplicebo; ſtringam ſcapulas, ſiue ſpallas, & patientiam habebo: proque magna gratia tenebo: niſi me ſibilis exploſum ſcamnis inſuper, & ſcabellis ad Completorium pulſabitis. Nunc tu, Domine Bidelle, fac officium tuum: iube nunc ſe faciat ad ante: ſi quis prætendit ſyllogizare mecum. diuide per Audientiam concluſiones has, decoratas inſigni gentilitio Creontis Auunculi mei, quod eſt bos ad Phialã: & inſigni regio Pterelæ mei patris, quod eſt Aſinus ad lyram. nunc incipiamus in bonam horam. Hæc concluſio ventilabitur. Non datur Infinitum actu.

Conſecuta deinde certatio Dialecticorum ritu. Poſtquam aduer-
ſarij

ſarij conticuerunt, ſuauiſſimus vocum, fidiumque concentus excepit. Ad extremum Margites perorat hac ferme clauſula gratiarum.

Quando perſona facit quod poteſt; ad plus non tenetur. Ego pro meo poſſe feci meum debitum, ne magnificis dominationibus veſtris faſtidiũ apportarem. Vos plus certe quam ſperabam, & meritabam, me ſudantem ſudorem mortis affectionatiſſime ſubleuaſtis. Niſi fuiſſet veſter fauor, frictus eram. Qua propter ſi daretur infinitum actu categorematicum, vos categorematice & infinities infinitè regratiarẽ: Sed non datur niſi ſolum ſyncategorematicum ex ſuppoſitione, ſyncategorematice vobis ago gratias, & habebo. Sum veſter. valete & plaudite: ad reuidendum.

His dictis doctrinæ laurea decoratus: rurſus excipit Muſicum carmen: Magnum Margitem alternis reſponſionibus hic chorus & ille iactat]. ſoluta concione, Margites reditũ apparat ad Creontem. Abit ille Thebis: nos hic ſumus.

Proemij clauſula ſemper fuiſſe nunquam defuturos Margites tanquam Homericum erudiendos.

Hæc habebam ferme, quæ proemij loco de Margite dicenda compererim: quæquè confertim in meã Saturam conijcienda duxerim: video, non credit hæc aliquis: ideo tacitus expectat dum expono quibus auctoribus hæc, & qua fide peruenerint ad me. bonis opinor Auctoribus: fide Poetarum. Quid rides? Dicebam apud nos Saturam ſaturari: qua deceat non Criſpiturire Salluſtios: ſed Menippiturire Varrones; Quoniam tamen odioſus eſſe pergis. Diſce, ſed crede. quis quis es oportet diſcentem credere: modo nihil mentiar cum Paraſitis. nam planè nihil mentior. ſerio dico: quę de Margite dixi Margites ipſe detulit ad me. Ne ride, Margites, inquam, ipſe detulit. Sic illum mihi nũquam iratum ſentiam. Quid? nũ ille, quæſo, viuit adhuc? rogas? & quidem athleticè, quàm nunquam antea robuſtior, & coloratior. Cuius

ius ætatis eſt, obſecro? Senex vagit in cunis. viuendo quot exegit annos? annorum facile ſeptem millia compleuerit. Hui Silicernium! tam ſenecta quæſo ſenectute? Corniculis eſt æqualis. mirum, niſi Thitoni frater eſt. Imò ne ſis neſcius; ante Thitonum longo poſt æuo natus, & denatus & ipſo Thitono maior, & minor ætate. Thitoni Patrē, Auum, Proauum, Abauum, Atauū, Tritauum, ſibi videt æquales æuo barbatos ſenes. poſt Thitonum in cicadam verſum idem ſibi ſuperſtes, & hæres ſui: ſe filiū, Nepotem, Pronepotem, Abnepotem in omnem poſterū ordinem ad nos vſque tranſmiſit ſuperſtitem mortuus. Pugnātia video te loqui. Diſerte dicito. Margites ecquid viuit? an inter viuos eſſe deſijt? diſerte dico: ex quo cœpit eſſe, nunquam defuit. viget, vigebit: quo ad erunt, qui loqui poſſint.

Dumquè thymo, paſcentur apes, dum rore cicadæ.

Thitoni genus vbi nam gentium eſt, ſi noſti? vbiq; locorum. Nuſquam non facile ſit reperire Margitem. Thebis, Athenis, Spartæ, Corinthi, Romæ, Cartagine, Syracuſis, domi,

ſoris, in Gymnaſijs, in templis, in ephebijs, in Senatu togatum, ſagatum, palliatum, ocreatum, inopem, opulentum, nobilem, obſcurum, ſeruum, liberum, elinguem, diſertum. Vtra nam vtitur fortunæ pagina? nonnunquam vtraque, ſæpe neutra: ſæpius alterutra: variè miſer, & beatus. Quid rerum agit viuax iſta bulla ſtultitiæ. quid? apud Xancippam

Spirat: & hac aura veſcitur æthe-rea.
Et ſequitur corpus corporis vmbra ſui.
Segnis hebes caſſus, pectore mentis inops.

Quid præterea? quid non? omnia: nihil agit: imperat, obtemperat: docet, & docetur diſcit, & diſcitur; vbi deſijt eſſe, quaſi Phęnix è ſuo cinere reuiuiſcit. Mira narras; & Chryſippum aliquem mihi nunc oles è Zenonis porticu. Tunc magis inopinatā me loqui dixeris, cum oſtendero neminem noſtrum non eſſe Margitem.

Sed non videtur mantica, quod in tergo eſt.

Non illum dicis Thebanum Margitem, Creontis Nepotem, Pterelæ

Re-

Regis è Xantippa filium, à Mercurio doctum ab Homero dedoctum, & illuſum Rhodi? Et iſtum dico Iuuenem Thebanum, & iſto grandiorem alium, & minorem ſui filium, & Parentem, quem Mundanum appellat Socrates. Nunc mihi videor odorari quid velis. Nimirum hoc dicere vis, ad vnum quodquè caput humani generis, velut è ſtultitiæ ſonte ſuam cuique deriuari ſemper è Margite labe, labeculam tanquã hebetum omnium, & inertium è Margite profectum genus, ad Margitem Auctorem generis referatur. Quaſi dicas hebetudinem, & inertiam hominum apud Homerum eſſe Margitem non ne? diuinus es. promitte barbam: ſume virgam: trahe laciniam. Tyreſias nunquam melius vaticinatus eſt. Imò ni Vatem riſeris, hoc quoque vaticinabor. Margitem iſtum mundanum, Socratis, Margitæ Thebani filium, & Parentem, tibi poſt hac Menippææ Saturæ iocis, romano M. Varronis exemplo, Mercurij Doctoris illecebra, qua Coloſſi Margites Thebanus erudiebatur; hunc ipſum & Romæ Margitam ad elegantem humanitatem litteris excolendum quotidie

videri. tace Vates,obſecro : ſile Tyreſia. Non omnia, quæ Vatibus in mentem incidunt, efferenda ſunt ad omnes. Occultum conſilium meũ preme ſis: aut,niſi potis es,vt taceas Harpotrati committe vaticinium: Tandem tamen dirumpi nolo, Vin libere dicam, quod ſentio? Sane volo. Romæ ſumus, vbi nullus Phalaris vocem iugulat. Memineris, quemadmodum non ex omni ligno Mercurius exculpi poteſt: ſic non è quouis hominum exprimi facile ſapientiam. Memineram. etſi nullus monuiſſes. Idcirco Mercurium Imitabor; deteriorum exemplis irridendis, quemadmodum in ſaturis adſolet, ad vrbanorum elegantiam inſtituentur ingenia meliorum. Id exorſus, aliquid amplius animo moliebar. Nam Mercurius quidem inducto Therſite Margitem ludens expolire conatus eſt: ego iocoſe, (modo Numinis aura ſecundet) effingam ex Margite Mercurium. arduum. ſed nihil mihi deſperandum eſt, quod ſtudia Quiritum, & ingenia pollicentur. O bone Menippe, Varro, Caſcus, Oſcus, ruſticus, vrbanus es. non vides Hoſpitem Romæ Romam? non in Latio ſupinas

la-

latinitatis aures?. Hæccinè Saturiones Saturos tuos audire putas? nondum ſentis ad paucos rem muſicam redactam, eſſe?

Solue ſeneſcentem maturè ſanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat.

Rideberis miſer. hoc plus habebis. nam Romæ quis non? Deſine, quæſo me tenere dictis. Non tu potius ineptus, & odioſus es? ſemper pauci fuere ſapientes. Irrideri præſtat à pluribus, quàm paucioribus diſplicere.

Græciæ ſatisfuere ſeptem. Mihi quinque ſuperſunt. Duo ſatis hominum ſunt Vnus eſt ſatis. Hic quoquè, ſi nouo quodam rerum humanarum fato, multitudinis conſuetudine deprauatus, nouiſſimus, quaſi ſerotina cicada dirupta, deciderit; virtute me inuoluam mea. facilitatem alijs, mihi conſcientiam reſeruabo. Quoniam in Barbaria nemo barbarus eſt, & apud Aethiopas atrū eſſe nemini probro datur: Omnibus placere malo, quàm nulli. Similes omnes erimus: vnicè ſecuri viciſſim laudabimus: amabimus inter nos omnes mutuo concolores.

Interim experiri ſat eſt: apud nouellos Querites quid boni nobis afferat Hermes, Homerus in antiquo Margite fingendo. noui: Semper hæc Ciuitas optimarum fuit partium, & primarum: non fuiſſet: niſi Cœli, Naturæque quadam indulgẽtia ſemper vſa prolixius longiſſime receſſiſſet ab infimis, vt mediocria ſuperuecta, capeſſeret in rebus humanis ſummum Imperij principatum; in diuinis auguſtiſſimam Auctoritatem Dei.

Proponitur ratio harum Inſtitutionum.

Quod nunc ſupereſt; vt confuſa planius explicentur, & vetus illa forma ſapientum diſtincta ſerie rerum, & ordinis apta collocatione teneatur; in has ferme partes deſcribam Inſtitutiones meas. Principio veterum genera ſcriptionum permulta ſunt, non ignota plerumque doctis, ac primorum vſurpatione contrita Rhetorum. eas & genere diuerſas, & numero non paucas, & proprietatibus differentes, continẽt vniuerſas Concio, Poeſis, Hiſtoria. Ex ijs, quæ videbuntur conuenire,

po-

potiſſimum & à ciuili conſuetudine non abhorrentia ſeligentur: quæq; nonnullam afferre poſſunt hilaritatem eloquentiæ, & doctrinæ. Ac primo quidem loco ſingularum præcepta ſcriptionum, quæ tradi ſolent à dicendi Magiſtris, & in communis vitæ conſuetudinem cadunt; illiuſce generis omnia, ceu prima lineamenta deducã, floridius ac pictius, Rhetorum penicillum imitatus, vt, quoad poſſim de Rhetorum arte loquar ex arte.

Secundo, quædam alia, quaſi lumina colorum, & receſſus vmbrarũ perductis præceptorum lineis appingam; ac ſtatim apponam exemplum duplex: alterum ad vnguem exactũ, & illuſtre videlicet ex nobiliſſimorũ, Rhetorum inſtitutione ſcribentium: obſcurius alterum & inſulſius è rabularũ ridicula iactatione deterius. Eo pacto diſtincte dijudicabitur, quid ſequendum in ſcribendo, fugiẽdumq; ſit: cum intelligetur, quid in vnoquoque genere deceat, ex eius contentione quod dedecet. Et hęc quidem à rhetorica ſupellectili deprompta ſua Rhetores agnoſcent: ne domi ſuæ ſint hoſpites, vt vulgo dicitur. At ne iure contemnamur

à doctis, ſi ieiunius hæc, & peruulgata dicamus; in Rhetoricas præceptiones diſputationeſque peregrina quædam cæterarum ornamenta diſciplinarum, tanquam emblemata concludemus: ad ſplendorem variæ multiplicisq; doctrinæ, non vni Magiſtro ſemper addicti: non vnodumtaxat genere contenti. Fateor enim me, cum ſæpe noua videar dicere, non Rhetoricæ riuulis, ſed Academiæ fontibus irrigatum. Illius enim curricula ſunt multiplicium, variorumque ſermonum: in quibus Platonis primum ſunt impreſſa veſtigia: ſed & huius, & aliorum Philoſophorum, atque Scriptorum tanquam nutrimentis alitur, ac vegetatur Orator. Nemo me vetuerit flere cum Heraclito, ridere cum Democrito, ſilere cum Pythagora: cũ Epimenide ſomniare. Potero non inuitus nunc adiungi Stoicis, nunc à Zenone diſiungi: Sæpius in ſuis caſtris me Plato; conſpiciet: frequentius Ariſtoteles in ſuis. A Philoſophis ad Poetas à Poetis ad Hiſtoricos deueniam: ab Hiſtoricis ad Sophiſtas. Illos ne neſcire poſſim, apud quos eloquentia primum nata, ne ſemper vagiret in cunis, alijs

ſub-

ſubinde doctoribus traditur educāda? Thraſimachum Calcedonium, Leontinum Gorgiam, Theodorumque Bizantium, & totam illam veterum Rhetorum manum, quos Logodædalos appellat in Phedro Socrates? Ab his dimiſſus, Italicum luſtrabo Philoſophantium genus, Ionium non ignorabo: viſam Atticā; viſam Barbaros. Ad Prometheum vſque penetrabitur affixum Caucaſo: flectemus in Caſpios ad Hiarcham: cognoſcam quid in Gallia Druides noui doceant: quid apud Zigices Amaſeni: quid ad Tanaim adiacentes Scythę Scilurus, & Anacharſis: quid inter Dictæos Dactylus Rhadamantus, & Minos: quid in Ialyſo Rhodius Phænix, quid Lycurgus ad Leleges, & Agatyrſos. Ab his in Libiam diuertam ad Pholoen, continuo regreſſurus ad Hircanos, & cogniturus Aegyptios: Exin & Abiſſinos, & Aethiopes, & Chaldæos tentabo, & Brachmanes, & Gymnoſophiſtas, & rerum humanarum vltimos Indos. Puncto temporis: vbi me ſatietas eorum ceperit, aut Perſei Pegaſo, aut quadrigis Athamantis abreptus Cælum, maria, terras obibo, quaſi mulio

perpetuarius omnia calcabo ſola, terrarum. Illuc viſam, vbi dixit Antiphanes æternum denſeſcere vi frigoris geluque voces: & quaſi penſtles è Cælo ſtirias aquarum, in cruſtas verba concreſcere. Naturam omnem mundi ſuis veſtigijs odorabor: intima cubilia ſubibo commemorabilium cauſarum. nec longum tempus: & à Socrate reuocatus ad cætus hominum impune garrientiũ me recipiam: meque Rhetorum in aluearium condam: vt apud vos tãquam apis matina depaſta florum tymbram cruſcula cærata deonerẽ. Hic ad officiorum partes, & decori naturam, & Perſonarum dignitates deſcribendas me conuertam: & domeſticam omnem, bellicamque diſciplinam, & vnamquanque Reipublicæ formam diligenter inueſtigabo: E ſingulis quodcunque reconditum, ac nouum videbitur, quodcunque præcipuum adſpeciem, & illuſtre decerpam, vt varium iuſtrumentum, iucundamque materiem mihi comparem ad dicendum, dignam expectatione veſtra, dignam auribus eruditis. Ad hæc, quod quidem ad prudentiam pertinet, à Sapientibus in omni re ſummo ſemper

opere

opere laudatam, opportunitatis ratio ducetur, & temporis: vt ſimul in pręceptionibus noſtris appareat, quo quidque tempore, quoue pacto multiplex hoc doctrinæ genus ad vitæ veritatem, vſumque ciuilem referri debeat. Quid enim humanitati, quid Reipublicæ conducit omnis apud ſapientes expolitio doctrinæ, ſi quod docent, ac diſcitur, tanquã in ſcena geſta res aures, animoſque præteruolet? ſi nunquam in publicis, nunquam in priuatis, nunquam in noſtris negocijs, aut alienis, nunquam in ſacris, aut profanis, nunquam in domeſticis, aut externis, nunquam in bellicis, aut pacatis, nunquam in luce conſuetudinis, nunquam in vitæ veritate ſpectetur? Cedo. quid refert in ſcholis florem ætatis extinguere, niſi ciuem idoneum hinc educas; quem diligenter audias, quem inſatiabiliter admireris: quem vnicè diligas opportune loquentem ante certaminum pugnas, poſt pugnarum victorias, in victoriarum triumphis? qui te comiter affari poſſit in mœroribus & in carorum funeribus lenire vulnera doloris: qui ſe meminerit inter homines hominem eſſe; qui propriũ hu-

humanæ naturæ bonum humanitatem putet: interueniat in popularium cœtus: homines demum alloquatur humaniter: & in communi re communem non exuat ſenſum; qui poſſit, & velit effundere lacrymas ad ſuorum ciuium fletus: arridere ridentibus: qui te feſtiue, iucundeque delectet in conuiuijs, in nuptijs, in natalitijs, in circulis, atque ludis, ſubtiliter doceat in gymnaſijs: ad honeſtatem inflammet in Templis, è roſtris defendat ad iudices: in Curia ſapienter de re publica dicat, ac ſentiat ad Senatum, quem in ſecundis ac lætis, in triſtibus & aduerſis idoneum ſentētiæ ducem ſequaris? quem in omni denique conuictu congreſſuque ſocietatis, & neceſſitudinis humanæ vnum ex omnibus ſuſpiciendum, amplexandum, conſulendum exiſtimes?

In hoſtes Eloquentia.

Hic ego regiam eloquentiæ fortunā contemplatus: vix me contineo, quin exclamem & hominum fidem implorem: cum intueor à quibus eā defenſam oportuit: ab iis hoſtiliter vulnerari. Proh Deum immortalem!

lem! quid ſibi volunt? quid ſequũtur? adeo ne facilem vitæ magiſtrã, adeo ſalutarem humanitati altricẽ abiectam & cõtemptam in tenebris iacere patiuntur ij, qui cum docti videri niſi per eloquentiam poſſint, ornamenta doctrinæ ex eloquentiæ ſpolijs, potiſſimum concupiuerunt? Vbi ſunt illi recentes humani generis magiſtri, qui iucundiſſimam humanæ mentis interpretem in omni ſermone lacerare nunquã deſiſtũt? qui naturæ ſpiritum intercludunt: qui vocem humanitatis extinguunt: qui Theatra claudũt: qui nobis hæc omnia muta, ac vaſta reddunt? diſcant aliquando quid ſit hominem eſſe: diſcant quid ſit naturæ congruenter, hoc eſt humaniter inter homines viuere: verecunde ſaltem taceant: quoniam ſapienter dicere non poſſunt: ne videantur per improbitatem animi reprehendere: quod per hebetudinem ingenij conſequi nequiuerunt. Nec ſe ſolos exiſtiment omnia ſcire, ſi tantum id laudant, quod aſſequi ſe poſſe confidunt. Dicant, ſi naturam amant; naturæ ſolatia cur odere? Si ſapientiæ decreta nos docent; Sapientiæ florem eloquentiam cur extinguũt?

Si mores hominum ad humanitatis elegantiam informant : artificium elegantiæ cur excludunt ? Si mærores humani generis leniendos putãt: miſeriarum lenimenta cur improbant ? Si Iuuentutem inſtruunt : Iuuentutis ingenia cur infringunt ? Hę ſunt iuuenum ad dignitatem flammæ ? hæ ad ſapientiam tędæ ? hæ ad virtutis honeſtatem faces ? An hoc ignorant barbati ſenes : quod vel pueri iam intelligunt ? quod in humano capite lingua ſit : hoc in doctrinæ facultate ſermonem eſſe : quẽ cur horridum potius, & incultum : quàm nitidum, & amœnum ament, dicant ipſi ſi ſciunt . Et vero quis ignorat , quod in virtute militum inflammanda claſſicum , quod in acie bellicus ille tubarum canor : quod in conuiuijs hilaritas liberalitatis , animique prolixitas , quod inter ſacra vocum, fidiumque concentio . quod in ſanctitate vitæ morum amœnitas, & ſuauitas : quod in rerum publicarum adminiſtratione dignitas , atque ſplendor : quod in officis decori color : quod in corporibus venuſtas , elegantia , pulchritudo: quod in hac ipſa pulcherrima Mundi mole partium conſenſus, &

per

per omnes partes continenter diffuſus lepor, ordo, concentus efficiat: id ipſum in gymnaſijs artium, in Iuuentutis exercitationibus, in vita conſuetudinibus, in Senatorijs deliberationibus, in diſceptationibus ciuilium cauſſarum, in concionalibus laudationibus, & cohortationibus honeſtatis forẽſibus & ſacris: in affabilitate conuictus, in ſocietate vitæ, in reſpiratione communi efficere ſolere leporem, elegantiam, dignitatem, amplitudinem, hilaritatem, vehementiam, numerum, concentum oratoriȩ ſuauitatis? Sed video quid ſit: illud omnino eſt: quod paulo ante dicebam: tantum id laudant, & admirantur, quod per imbecillitatem ingenij ſolum aſſequi potuerunt. Cæterum omnia deſpiciunt: ſi ſua non ſunt. & quod à Dialecticis (non enim Philoſophis) maior eſt amplitudo, ac dignitas Philoſophiæ, quam illorũ anguſtiæ capere non poſſunt: & quod (inquam) à Dialecticorum exilitate, quatuor ſibi litterulas aridiſſimas agglutinarunt: omnes alias vnctiores litteras, & litteratos in poſtremis atque in hominum numero non habent. O cæcitatem, ò inſolentiã, ò ar-

ò arrogantiam non ferendam! Heu quos illis ſpiritus fecit triſtiſſimum illud, idemque inſultiſſimum carmen.

Barbara Cœlarent.

rectiſſime. quid enim aliud faciant, quorum prima rudimenta Barbara eſt: quam vt aliorum elegantiam oppreſſam velint,& nunquam in lucem prodire patiantur? quam ipſi ſemper apud ſe *Barbare Cœlare*, imo iugulare didicerunt? Verum quid ago? Miſerum me. Noſtrum ſplendorem cum iſtorum obſcuritate: noſtram vbertatem cum iſtorum ieiunitate: noſtram vrbanitatem cum illa ruſticitate confero? Iaceāt ſane in ſuis ſordibus,bis miſeri:quod nec loqui, nec tacere didicerunt. Et cum Ariſtotelem habeāt auctorem ſubtiliſſimum, & copioſiſsimū non magis intelligendi,quàm dicēdi Magiſtrum, ſolam addiſcunt exilitatem agreſtem, ac barbaram,quam vel ſine Magiſtro diſcere potuerunt. Quid nos Auditores? (meos, & iuniores appello: nam reliqui graniores quidem, & honorarij, tum ætatis, tum Virtutis auctoritate, fructu conſcientiæ ſuæ, ea gloriæ luce perfruuntur: vt aduerſus laudem,quam poſ-

poſſident, cohortatione nõ egeant: quid nos Auditores agemus? quid? Ariſtotelis potius amplitudinem, quàm illorum miſeram inopiam, & mendicitatem ſequamur. Ad amœniſsima potius ſpatia doctrinæ, quã ad illa breuia ſyrteſue deferamur. Platonem potius elegantiſſimum vitæ Magiſtrum, quàm iſtos elegantię veneficos imitemur: Nobiliſſimorũ Philoſophorum grauiſsimam auctoritatem: ſuauiſſimam vitæ conſuetudinem: opportuniſſimam Naturæ neceſsitatem ſectemur libentius; quàm in obſcuriſſimorum hominũ leuiſsimam nouitatem, & in miſerã, ac fractam arrogãtiam prolabamur. Veritati potius pereamus: Religioni citius obſecundemus: Deo libẽtius obſequamur, qui nos in hac officij parte conſtituit: & in hac pulcherrimi, diuiniſsimique muneris amplitudine collocauit, vt ſocietatem hominum homines conſeruemus: vt quàm optime viuendo, dicendoque ſalutem omnium, & trãquillitatem, iacentem innocentiam excitando, Reipublicæ demum, ſuorum ciuium opem imploranti, dexteram porrigendo, domeſticis, & alienis, manſuetis ac barbaris adiu-

mento, præſidio, ornamentoq; eſſe poſſimus.

Hoc vero pulcherrimum, hoc ampliſſimum per Deum, & ſumme præ cæteris expetendum nobis exiſtimemus: illam autem lucifugam paucorum inertiam, cum pauciſſimis in illo ſuo reconditæ doctrinæ latibulo, fœdoque gurguſtiolo deliteſcentem: nihil vnquam conferentem in medium: nunquam in propatulo, ſi quid habere potuit, apparantem, & nemini, quam ſibi deterius conſulentem, aſperam, horridamque ſuis illam amatoribus relinquamus. Credite mihi, poſtremam nouiſſimorum hominum, & ingloriam auctoritatem, quoad poſſumus, deſeramus: ſiquidem nos eſſe volumus, quales eſſe debemus. fugiendi ſunt enim, & magno quidem opere contemnendi, qui ſi quantū ſibi, ſuiſque ſimilibus ſqualidis, & efferatis placent: tantum etiā apud vrbanos, & elegantes haberent admirationis, ac laudis: actum eſſet de ſuauitate morum: actum de dignitate Veritatis, Aud: nullum veſtigium humanitatis, nullum ingenij, nullum elegantiæ teneremus. Poſtremo, quod iucundiſſimum eſt, ab

ab omnibus amari malimus: & expeti potius exoptemus ab omnibus, quod eſt honeſtiſſimũ: quàm paucorum inconditam feritatem. inhumanamq; barbariem imitemur, omnibus odioſam, omnibus inuiſam, omnium animis, auribus, oculis reſpuendam. nihil vnquam Reipublicæ gratia molientem, nihil populare, nihil ciuile, nihil ſplendidum, nihil magnificum, ac ſublime meditantem: nemini ſalutarē, nulli ſuorum obuiam: ſemper ſoliuagam, ac meſtam: ſemper in ſuis ſordibus obſoletam: nunquam alacrem, nunquam erectam: ſed ſemper languidã, inertem, ſupinam, oſcitantem, ſibi tantum odioſiſſime natam, & inimiſſime conſulentem!

PRO-

PROSA IX.

DVELLVM

Hiſtricum.

Dicta Neapoli an. 1608. cum publicè Rhetoricã docere cœpit in nouo Collegio.

TAN QVAM Ariſtotelem grauiſſimum intelligendi Magiſtrum nobilis in primis author eloquentiæ, ſtudio dicendi laceſſiuit Iſocrates: vt homo, cum illa barba, capilloq; repueraſcere pulchrũ ſibi duceret in pedotribijs garrientium Sophiſtarum; ſic me, nec ingenio, nec doctrina, cum Ariſtotele conferendum, ſed prope iam ingraueſcentis ætatis vniuerſali, ac ſplendente canitie reperſum hominem, homo magni potius, quàm boni nominis, vt in Poetarum proſce-

ſcenijs hoc anno, colludam cum
Aeſopis,ac Roſcijs prouocauit.Quis
autem ille prouocator, quis ille ſit,
quæritis? Veſter iſte facetiſſimus,
idemque grauiſſimus Ludius, vt libuit
repentè Tragicus ex Comędo,
Comicus ex Tragœdo, Rapſodus
ex Mimo, de vultu non dum mihi
planè notus, veſtrum nemini fortaſſe
non auditus, & ſpectatus, & laudatus:
Lucius inquam iſte veſter,
artificio theatralis operæ ſpectatiſſimus
hiſtrio, me nonnulla theatri
gloriola per vos aliquando parta
non ignobilem, vt de ſcenici certaminis
palma, de retinenda theatri
vetere poſſeſſione, de beneuolentiæ
veſtræ præclariſſimo corollario, de
Poetarum veriſſima laude diſceptem
ad vos & ſpectatores, & Iudices
prouocauit. qua ſpe fretus, ipſe
viderit, quo conſilio non quæro;
quo conatu, nemo non videt. equidem
quòd attinet ad me, prouocationem
hominis incolumi fama diſſimulare
diutius apud amiciſſimos
non poſſum: ingenij diſcrimen mihi
magis neceſſarium, quàm formidoloſum
æquiſſimis vobis recuſare
non audeo nec enim leuia, aut ludicra
petũtur præmia,de Neapolita
no-

norum, hoc eſt elegantiſſimorum, hominum plauſu, de veſtro ſtudio, de veſtra beneuolentia dimicatur. & ille quidem Neapoli, tanquam in ſuo Regno, nimis iam liberè, nimis ſecure volitat: & volitet ſane nam, vt eius ſtudio faueo, ſic fortunæ nō inuideo, paratus etiam plaudere, ſi ſe doctius, quàm magnificentius in Theatro iactet, ac venditet. An non eius artificium præclarum putem, quo poteſt hominū lautiſſimorum gratiam demeriri? qui placeat vobis? qui quotidie nunc facetiſſime, nunc luctuoſiſſime vos oblectet? qui neſcio quid actuoſum, vultuoſumque perſonatus aſſiduè meditatus alienam operam ad ſuum lucellū abutitur? qui maiore fortaſſe cum mercede, quàm laude, vel in tragico ſyrmate vociferatus cum Atreo, vel in comico palliolo delitigans cum Cremete, venalem vocem exercet? cuius ingenium in geſtu, geſtus in quæſtu, quæſtus in ſumptu, ſumptus in ſcenis, & cænis, vtinam non obſcęnis, fundus autem, & fundi vectigal in riſu, fletuq; veſtro ſitum eſt, cum bene famem obſonauerit laterum exercitatione, non cœnitat? qui ſolus

lus ex omnibus, (cum bona venia Mattamorroy hoc dicam) ſic habitat in animis,oculiſque veſtris,quaſi qui ſpiritum ex ore veſtro ducat & tum demum veriſſimo riſu rideat ipſe, qui modo flebat in Tragicis: vbi ficto fletu ſuo flere vos ſenſerit? tum contra iure fleat, & quidem ex animo, cum ſiccis oculis ad ſuas lacrumas, vos non allacrumare perſpexerit? qui ſi vobis placuit; habet vnde ſumptum faciat in cęnam: ſi diſplicuit; ieiunus ex ventris inanitate ſuſpirat? An ſolus Lucius veſtris aptus eſt auribus? minime. multi cũ illo theſaurum bonorum ſuorũ in veſtris auribus poſuerunt. Auctor quæſtuoſiſſimus idem, & ſumptuoſiſſimus longum agmen trahit theatralium cõgerronum: multam alit familiam mimulorum, & mimularum: nec paruo poteſt eſſe contentus. Igitur eorum mendicitas in ſpe paſcitur veſtræ liberalitatis: quicquid è voſtræ liberalitatis: quicquid è vobis corrogauerint; hoc habent vnum, quod confeſtim edant: hoc ſi non habeant; eant alio quæſitum, ne pereant. Ritu Cynicorum viuunt in diem, & de die; ſarcinulas colli-

Hiſtrionis nomen.

gere parati, niſi quotidianum induſtriæ ſuæ fœnuſculum exegerint ex eorum largitate, quibus ipſi nihil præter quam verba locare poterunt. O' nouum pecuniarum aucupium! ò ſegetem epularum nouam! Mirum: voce ſeritur: voce metitur: voce coquitur: voce conditur, voce conficitur, quo veſcuntur: ſpectatorum beneficentia reſpirant, parcimonia ſuſpirant. Ipſe vero Lucius, verè Roſcius, & primarum ſemper partium nunc Dauus ex Agamemnone, nunc Agamemnon ex Dauo: repente diues, repente pauper egentiſſimè ſplendidus cum illo circumforaneo grege nullum intermittit diem, quo die, non è cauponulis demigret in ſcenam: vt qui ſuam coquinam habet in fabulis: & palati patrimonium tuetur in auribus. ideo ſpectaculorum lenocinia non nihil de popinæ nidore redolentia, cum omni Tymelico coragio transferunt huc, illuc, vbi maior ſpes veſtræ liberalitatis affulſerit. videlicet, vt, quod in ganea pridie decoctum fuit, poſtridie reparetur in ſcena. Scena, prædium, caupona ſepulchrum eſt; quod in ſcena de die conquirunt, in

cau-

caupona de nocte conſumunt. neſcias an ſapiant, vt loquantur: an loquantur, vt ſapiant: an viuant vt edant: an edant, vt viuant. hoc liquet, vitam illis eſſe vitalem ex vſura dialis ſpiritus: vere dialis. quod enim lucelli quæritur ante noctem, concoquitur ante diem. habere, quo victitent, & habuiſſe, ſimul eſt. de vitæ ſumma per ſingula momenta deliberant: nihil congregant: nihil in futurum ſeponunt. Itaque profectò vitæ ſpecula ſemper illis eſt recula præſentis diecula: vniuerſa ſuſpenditur inſtar illius beſtiolæ, quam non vltra diem æuum propagare docet, & Ephemeridem appellat Ariſtoteles, quicquid enim per theatrales operas, illis adnictũ, cultumque corporis præparatur; cum ſole mane naſcitur, occidit veſpere. quod equidem nõ ideo commemorauerim, vt eorum ingenium exagitandum putem, vt putidum, aut deſpiciendum, vt ſordidum. ferantur ſanè per me, ſpectentur, alantur: ſi quidem ad propagandam vitam ſibi nullam aliam rationem expedire potuerunt. Sed hæc eò dixerim, vt intelligant, quanti facere conſueuerim grauiorum obleſta-

menta ſtudiorum : qui deliciolas haſce veſtras non omnium tandem opinione laudabiles adeo vobis non ſurripiendas exiſtimem ; vt integras eſſe malim, incolumeſque conſeruare contendam. quandoquidem in earum conſeruatione cum hiſtrionibus certare de gloria, cum Mimis in contentionem venire non dubitem: non ingenij venditatione, quo nihil eſt odioſius : non iactatione doctrinæ, quod eſt à doctorum elegantia remotiſiſſimum : nō faſtidio partiū adductus ad hoc Theatrale certamen acceſſi : ſed, dicam plane, quod res eſt, veſtrę gratiæ promerendæ ſtudio permotus, & aliorum induſtria laceſſitus id molior, id contendo, ne quem mihi, ſi liceat per vos, in officij, cultu patiar anteire. Opponet quiſpiam, ac dicet. Quid? in ancipitem ne dimicationem, aleamque vel ingenij, vel doctrinæ cum circumforaneis, ac vagis aduerſarijs ſi non tuam, certe tuorum, & honeſtiſſimi Gymnaſij dignitatem nihil vereris committere? quid faciam aliud? meum eſt fatum : vt inſtabili ſemper gloriæ materia laborem. Nam quid ego tibi narrem, quem admodum ab in-
eun-

eunte pueritia cum præſtigiatoribus, ac Singaris mea me fortuna contulerit?

Singaras latinè dici poſſe aliter ſaganas iſtas Aegyptias incerto lare mulierculas, non tam vaticinijs, quam furacibus manibus quæſtuoſas (vt equidem reor) ex Singario nobiliſſimo quondam oppido Meſopotamiæ: quod ad Euphratem adſitum, & latrocinijs infeſtum Antonino Cæſare deletum à Romanis legionibus fuiſſe traditur. Singario diruto, caput gentis exciſum, ſenatus extinctus, primores ciuium ſublati, poſtremæ plebeculæ reliquijs in ſemen, ac nomē generis reſeruatis. Eiecti proinde natali ſolo proximos fines, Syriam, Palæſtinam, Aegyptumque diuerſi tenuerunt errones, ac vagi, nulla certa ſede, nullo cum ceteris hominibus ſtabili commercio rerum: nō communione ſermonis: non cultu legum: non ſacrorum ſocietate: nulla neque verecundia, neque fide: in manu recentiſſimum furtum: in lucro mendacium impudentiſſimū, eruditio gentis ad ſapientiam. fęminis inſtitutum idem, quod viris, confidentia par, ſimilis audacia,

germana fraus, gemella calliditaſ incertè degunt, & vagi feruntur quolibet, vt dicebam. Vbi nox oppreſſit, hic ſarcinulis, & infantibus depoſitis caſtra figunt: ſicubi patula quercus in ſolitudine relicta, vel deuia ſpelunca nocturnæ quieti præbuit opportunum diuerſorium, & latrocinio latebras hoſpitales. Ex hoc igitur hominum genere Singara me puero vagabatur, muliercula loquacitate nobilis, ac procax, vel ad ſubitũ, & extemporale carmen ingenio proiecta. nihil eius ingenio promptius toto Latio ferebatur, futuræ ſortis carmina diuenditans, Romæ vicatim æruſcula radebat ex obuijs, vaticinij mercedem: altera manu volam prætereuntium explicabat, in qua præſentionum veſtigia notaret: alteram furto flagrantem in marſupium inſerebat. Hæc igitur ad Lateranenſem Aedem aliquando me forte nacta puerum tãtulum, tum primum initiatum Poetarum ſacris, manũ poſcit, ac nummulum: atq; hoc me iurgio ludens appetit.

Si pulcher audis, & beatus audis;

Dic nigelle. cur auarus audias?

Pu-

Pupugit me, fateor, pulchritudinis illa falſa laudatio: quare ſubriſi. Sed noſti quo riſu? quo ridere ſtomachantes ſolent. Vt igitur impudentem mulierculam, nec ſanè multo me pulchriorem, repungerem, iiſdem numeris, totidem verbis, eodem vocis accentu, ſic me reſpondiſſe recordor.

Si poſcis audax, & furaris audax:
Dic pulchella, & quid tu non audeas?

Hic illa ſubita, nec expectata pueri reſponſione percuſſa, conticuit primo: tum, vt animum recepit euge Poeta repentine, (dixit) & hoc me rurſus diſticho vulnerauit.

Nemo poeta malus: Sed ſi malus vllus habetur;
Neſcio quo pacto res bona facta mala eſt;

cui ego ſtatim.

Singara nulla bona eſt: ſed ſi bona ſingara quadam eſt.
Neſcio quo pacto res mala facta bona eſt.

Riſit & ſe victam teſtata, vocem, & audaciam repreſſit: contractiſque arrogantiæ vexillis (vt aiunt) mi-

noribus verbis mecũ agere de ſuo rauduſculo cępit. tamen ne, inquit, nummulus ex te nullus exculpi poteſt, auare poeta? ego ne auarus? inquam nemo viuorum minus. tam me non auarum dici volo, quam Poetam exiſtimari non amo. nummulum capſis, qui vini ſeſtariolum emas. ad cauponulam illam hic in proximo, prolue cloacam. Illa nihil pudore retardata, nummum ſumit: abit, diſcedens me reſpexit: & quaſi par pari referret, admonens, ſic me digreſſum alloquuta poſtremũ eſt. Memineris ò nigelle linguax, edico: ſatyram quandocumq; ſcribes: (nam ſatyram aliquando ſcribes.) vt edentulam ſcribas: quæ tenere poſſit, mordere nõ poſſit. odere veritatem etiam qui veritati fauent. Optimum conſilium: ne tetigeris viuos: parce præſentibus: à recentibus rebus, auditorum memoriam ad vltimam antiquitatem voca: riſum admiſce reprehenſionibus.

Ridentem dicere verum
Quis vetat?
Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico.
Tangit: & admiſſus circum præcordia ludit.

Vi-

Viden Perſium in Nerones, & Senecas viuos, tanquam in Alcibiades, & Socrates mortuos inermem exercere gingiuam? recoque Polyphœmos: recoque Therſitas, vetuſtatis obliuione decoctos. Menippum, & Varronem ſummos Philoſophos authores habes, quibus authoribus molles auditorum auriculas aceto radere licebit. hoc à me tuæ liberalitatis pręmiolū habeto. Vale, cum dicto deſceſſit. & ego.

Nunc ergo demum res mala facta bona eſt.

Tempus eſt, vt eo me iam recipiam, vnde defleximns. Qua puer ſim vſus fortuna cum hac audacula muliercula, videtis, eadem vis neceſſitatis me videlicet nunc exercet ſenem, vt cum hiſtrionibus contendam. A Saganis ad Ludios, à Singaris ad Mimos appellor: vtrumq; vagum hominum genus eſt: vtrumque nullius patriæ: nomen vtrumque peregrinum: vtrumq; liberum, diſſolutum, procax, vtrumqe garrulum, vtrumque venale. quamquam Singaris ingenium magis furtificum eſt: Ludijs vrbanum magis, nec illiberaliter exercitatum, in aliquo genere doctrinæ: verboſum, hilare,

facetum, legibus ſemper eiectum, moribus ſemper retentum, nulli probatum, omnibus iucundum, & quo, cum bene moratæ Ciuitates, velint carere, non poſſunt.

Reliquum eſt, vt quemadmodum me fabularum actor feſtiuiſſimus, Lucius laceſſiuerit, & qua lege, quaque conditione mihi cum illo decernendum ſit, cognoſcatis. Vos, beneuolè, quod facitis, ac diligenter, attendite; ne non plus orationi meæ denegaſſe gracilis hæc, & obſcura vox, quæ veſtras offendit aures; quàm veſtra conceſſiſſe videatur humanitas. Neſcio quid certè ſit: niſi dicam in hac menſtrua luna quiddam eſſe fatale: ne quid in Rhetoricæ primordijs, diſertis hominibus è ſententia contingat. heri ſic fuit. Virum eloquentiſſimum, ornatiſſimum, doctiſſimum apud nos de rebus grauiſſimis diſſerentem, ſubito conticuiſſe vidimus. illum in medio diſputationis curſu memoria fefellit, qua ſemper ad eam diem vſus fuiſſet optima: hodie ſic eſt, vt videtis, & auditis: Ne me memoria deficeret, ſubſidium hac pagina mihi comparaueram: vt voce, qua

pol-

pollerem vna, meam cauſam contra Lucium ſuſtinerem: hanc ipſam vocē quarta luna Lucio ſuffragata diſtillationibus extinxit; hem vt hoc die, quo Rhetoricam ex domeſticis vmbraculis in puluerem, atque ſolem euocamus, inimiciſſimam Rhetoribus rauim timerem? Enimuero veriſſimum Poetæ dictum.

Quoad quiſque viuet, nunquam ſatis cautum eſt in horas.

Dicebam mihi cū hiſtionibus hoc anno futuram eſſe rem: periculum detrectari non poteſt: cauſa communis eſt: agitur exiſtimatio Poetarum: agitur dignitas elegantiſſimæ ciuitatis. de Theatri gloria decernitur: de ratione conſcribendarum, agendarumque fabularum iudicium fertur: & in hac Vrbe fertur: vbi ſemper Muſarum domicilium antiquiſſimum & honeſtiſſimum fuit: & in qua non modo riſiſſe videtur natura: ſed omnis etiam doctrinæ nata videtur vrbanitas. Res autem ſic euenit. Decretum erat apud nos: vt in noui Gymnaſij lucem diſciplina Rhetorum educeretur aliquando: pulcherrimæ facultatis copijs explicādis dictus hic erat dies. rei magnitudo poſtularet

videbatur, vt ex dignitate, nobiliſſimæ diſciplinæ, neque vulgaria, neque leuia ducerentur exordia. Multa cocurrunt, cur ſic exiſtimemus oportere: quæ prudens in tacita vestra cognitione malo relinquere, quam in oratione mea ponere. Dum in eam curã animi vires omnes intendo: forte fortuna ſic accidit: vt nudius tertius Nidiam porticum animi relaxandi gratia præterirem in ea cogitatione defixus: nihil enim adhuc explicaueram. hic ad porticum oculos attollens: inuitationis amplum illud elogium contemplor è porticu ſuſpenſum, in quo cubitalibus litteris exaratũ erat. *Lucius, & eius ſodales*. cætera noſtis. quod cum limis, & curſim perlegiſſem (moram enim excludebat verecundia) ſtatim ego met mecum. At, at hoc oblatum. hic me vocat. Bernardinum laceſſit Lucius. fateor id tum me ſenſiſse: quod in Delo Theagenes in Achillis parentabilibus ſenſiſſe fingitur. Is, cum in ſtadio ſpectante Chariclea, quam egregius Iuuenis ad inſaniam deperibat: Orchomenium Archemorum, Athletam, multis ante victorijs nobilitatum impune

ſe ſe

ſe ſe iactantem vidiſset, nec hominis oſtentationem ferre, nec ſe continere potuit; quin abiecto ſtatim amiculo, in medium proſiliret: vt rudis, cum exercitatiſſimo luctatore iuuenis ex prouocatione congrederetur: ratus Charicleæ ſuæ plauſum, præmium eſſe pulcherrimum amori ſuo, non alienæ iactantiæ debitum. referte nunc animum ad me. Luciuſne quotidie ſpectetur? Lucio quotidie Neapolis acclamet? Lucium ſuſpiciat hiſtrionem nobiliſſima Ciuitas? à Lucio fabularum alienarum actore, (non enim ſuarum ſcriptore) Neapolitana Iuuentus hauriat exempla fugiendarum, expetendarumque rerum? Lucium Comœdum popularis officij Magiſtrum, Lucium Tragœdũ, artificem regalis decori, Lucium honeſtatis interpretem & virtutis ducem ſequatur? admiretur in cælo ponat? quotidie geſtum faciẽtem, quotidie nouum aliquid ex alienis laboribus, actitantem, noſtra Neapolis? quam vnam ex omnibus vrbibus, quæ nullis vnquam commodis, aut honoribus me delenire potuerunt; tanti ſemper facere cõſueuerim; vt omnium vna me dele-

le-

ptionem cum actione, Tragicum cum Tragœdo, Comicum cum Comœdo, cum voce ſtylum, cum artificio naturam, cum memoria doctrinam, cum Lucij precario cultu germanum poeticæ laudis ornatum, cum emendicatis alienorum carminum inſtrumentis, noſtrarum fabularum non tantum præcepta, ſed etiam exempla committere. ſentiat proinde Lucius, ſibi certandum eſſe cum doctis, ſi tantillum aberrauerit ab optimo; multos habebit ex hac Iuuentute, qui poſſint quicquid erit commiſſum in Fabulis reprehendere. Docturus ſum in Fabularum conſcriptione quid deceat: ex antiquitatis litteris exempla petentur: per quæ demonſtrem poeticæ dignitatis vnamquamque partem. De Theatro, de Scena, de Orcheſtra, de Logæo de Thimele, de Pyrrica, de Muſica, de Choragio Trag co, Comico Mimico, Satyrico apparatu: de Sicinnico, Emmelicoque ſaltu, de Choro, & Choreæ conuerſionibus, figuris, affectionibus, ordinibus, conſentibus: Agetur de fabulæ natura, de partibus, de conſtructione, de motu, de more, de decoro, de dignitate Perſona-
rum,

rum, de forma, de circumſcriptione planiſſimis rationibus, & exemplis, ex omni vetuſtate depromptis. Et hæc quidem non ieiune, non aride, non exiliter, vt aſſolet in quorumdam Academicorum ſcholis: ſed quod ingenioſiſſimorum hominum, & elegantiſſimorum proprium ſemper fuit: ad ſingula præcepta colores appingam: & omnia Sophiſtarum, ac myrothecia Rhetorum aſpergam. Poſtremo enitar quantũ potero: pluſquam etiam quam potero conabor, vt id aſſequar: ne poſt hac nobiliſſima hæc Iuuentus Lucios, aut Roſcios admiretur.

PROSA X.

RHETORICVM CONVIVIVM.

Dicta in Collegij Neapolitani veteri triclinio quo anno 1609. ad noſtros Rhetores docendos pro Gymnaſio vtebatur.

AT enim noſtra Rhetorum natio nõ habitat quidem magnificentius, ſed cęnat lautius. Ne longius abieris. ſi prægustare libet ex hoc annui conuiuij proœmio noſtrum epulum, quod in cœnatione rhetorica præparatur, & & currente mox anno, niſi falſus animi ſimplenius in triclinium afferetur; hæc prima, ſiue merendula, ſiue veſpernula iam iam oſtendet, quàm illa iuſta cœna, futura ſit, vel ad ſpeciem omni lautitiarum inſtructa luxu, vel ad ſaturitatem omniũ

di-

diuitiarum vbertate circumfluens. Me vide: laudabis epuli fabulam ipſam: atque corpus, laudabis parodia, laudabis embolia, laudabis exodia, omnia parerga laudabis. Neque recitatio memorabilium rerum ab Hiſtoricis, neque feſtiuum acroama deſiderabitur à Sophiſtis. Mnemoſinæ filiæ, nouem Virgines, & tres Gratiæ plurimùm miniſtrabunt, adoleſcentulæ, ſicut noſtis, innuptæ, nubiles, elegantulæ, comatulæ, ſcitulæ. Aderunt Symphoniaci capillati, qui ſuper poculo nunc Conuiuarum oculos dignitate vultus, nunc aures ſuauitate vocis oblectent. Et nos Iopas, & Phænices noſtros habemus: imo ſoli nos habemus: cęteri, qui videntur habere, non habent noſtrûm eſt genus, noſtra ſoboles, hilaritatis alumni, ſuauitatis artifices, nectare diuinitus delibuti Poëtæ. Vultus etiam accedent boni. Abundamus opibus; abundamus ingenio, cum volumus: omnia liberalis officij feſtiuitate condimus: tandem tamen ſalinæ facetiarum noſtræ ſunt, noſtri triumphi, noſtrę nuptiæ, noſtra conuiuia. Si quid inuenuſtum eſt Rhetorum, ſi quid ruſticum, & infacetum;

tum; vt alienum, & à noſtro genere remotiſſimum, aſpernamur: tum omnia nobis ad libertatem, ad magnificentiam, ad ſplendorem affluunt. Quæſtum cum fecimus, inopiam ſimul, & auaritiam ſemouimus; vt animus in ampla fortuna prolixus eſſet. Nullæ hic pectoris anguſtiæ: nullæ ſordes. Audacter dicam, & verè. Philoſophorum eſt illa Lacheſis, & Euclionis exilitas: quorum foculus ſemel tota vita, idque vix, & ipſo natali Dialecticæ die, luculentus eſt; ceterùm: tunc perbellè ſe tractant: cum ſuccidaneum laridum addunt ad aridũ panem. Rhetores, profuſiſſimum ingenioſorum hominũ genus, nunquam e pridiana cęna ſemeſa fercula reponunt. ſi pridiè largè; poſtridie ſe largius inuitant. quos & ſaliua mercurialis ex memoria concita poſtridie, nec minus in poſterum illos ſua conuiuia delectent. Omnis illis doctrinæ copia ſplendeſcit vſu: nihil auarè condunt: nihil obſignant: nihil abliguriunt cum paucis. in commune quærunt: vt in medium quæcunque quæſiuere depromant. nec ad Arcæ cuſtodiam timiditatem, ſed liberalitatem admo-

mouent. vt plurimum congerant, & ſeponant domi; tamen plus eſt, quod egerũt: cum ad publicas vtilitates è domeſtico fonte deriuant foras, & ingenium, & ſapientiam, & doctrinam, & elegantiam, & humanitatem, & religionem & bonitatem & fidem. Videlicet affluentiam rerum æquare didicerunt magnificentiæ dignitate. Quid? glorioſè ne mentiri videor? adeſte dum animis: adſidete tantiſper: remiſſis liberaliter ſeuerioribus curis, hic genium nobiſcum curate Conuiuæ. Cænabitis hodie Sybariticè: niſi nos & noſtra contemnitis, cœnabitis pollucibiliter apud me: ſi tamen à nouæ cænationis frugaliſſimo prandio vos famem integram huc attuliſtis. Quam autem affluenter apud nos omnia redundãt, vos ipſi iam taciti indicauiſtis. Nã niſi ſplendidè præſtare poſſemus, quę magnificè pollicemur; quid erat cauſſæ, quam ob rem à palati negotio ſtatim ad aurium hoc otium diuertiſtis? quod è prima nouarum ædium accubatione digreſſi, noſtrũ hoc extemplo gymnaſium, male materiatum, & ruinoſum interuiſere: frequentes, hæc ſubſellia comple-

plere: noſtram hanc Iuuentutem veſtra præſentia condecorare: me demum ipſum, ab ingenio non minus, quàm à corporis viribus imbecillum, à doctrinæ facultate, ſic admodum leuiter aſperſum, à Rhetorum artificio laborioſius quàm excellentius elimatum, & cohoneſtare liberaliter, & diligenter audire voluiſtis? Homines, vt ego quidem quotidie magis experior, ingenio, quale Campanis omnibus inditum eſſe dicitur, perameno: morum facilitate ſuaues; & ipſa, quod aiūt, lautitia lautiores: doctrinæ copia vberrimi, cultu limatiſſimi! Ne conclaue circumſpice: quod iam deſpicis: ſcio. Fruſtra dignitatem loci requiris oculis, quam ſolùm animo conſequeris, vt initio dicebam. Cænamus lautius, quàm habitamus. Et tamen memineris Muſarum, non muſcarum hoc eſſe Triclinium. Acroaterium ingreſſus es Rhetorum, veteri Paraſitorum vocabulo Cænaculum mentis, non ventris. Tu, ſi tibi cor ſapit: & lingua cum corde conſentit, ſi famem auditionibus obſonare, lucubrationibus ſedare didiciſti; pabuli deſiderium age, transfer à faucibus

ad

ad aures: nec te triclinij deformitas offendat. Nam non inficior, ſi iudices oculos conſulis; tectum vides, non quale paulo ante deſeruimus; epulare, peramplum, planè reficiendis corporis, & animi ſenſibus hodie primum à vobis frugaliter ſplendidè dedicatum, pulcherrima deſcriptione dimenſum, opere magnificum, ſpatio laxum, fornice teſtudinatum, largo lumine conſperſum, pictura varium, domeſticis nobilium exemplorum imaginibus diſtinctum, ſuggeſtu ſuffultum affabrè conſtructo, perpetuis circumquaque menſis inſtructum, atque exornatum, egregieque diſpoſitis ſubſellijs ambitum, prorſus, vt ſemel dicam, non minus ad elegantiam operis, quàm ad quietem corporis comparatum. non, vt illud auditorium palati, ſplendet hoc cænaculum aurium. tectum vides rimoſa vetuſtate fatiſcens: parietes ipſos defluentes, fuſcaque iam albitudine decolores: oris mei candorem dum æmulantur, amiſerunt ſuum. extra quicquid eſt in ædificio supernè, Caſcos Faunos architectos ſuos fuiſſe commemorat: diſpluuiatum opere diſperſo, coctili-

bus

bus intectū imbricibus maiori iam ex parte confractis, aut emotis è loco, paſſim ſtillicidia committit. Fœdus iniſſe dicitur cum pluuio Ioue; ne Ioue tonante, vel fulgente, fulminis afflatu conflagret: ideo, qui coortum incēdium illico reſtinguat; aquam ad manum habet. vbi vero conſudauerit,

Pacatumque nitet diffuſo lumine Cælum:

vt concameratum optemus; ſublaquear hoc perilluſtre facit: de hiſcentibus aſſeribus, luxatiſque ſubſcudibus, quaſi ſtellatum, peruias per tegulas, & putridam contignationem infuſo die. Stragulam tantum veſtem, & aulæa nulla deſideramus. Sed noſti quæ? parietina cāpanica, ſed araneæ: ne quære quàm tenui ſtamine pertexta ſint: Lunæ radios, Solis pectines craſſiores dixeris. Videlicet ex hoc filo poetica textrina ventorum, vmbrarum, ſomniorum indumenta conficit. Tu ipſe conſidera quàm hoc textile negotium ſubtile ſit: cerex hæc in arundine longa quotidie circumducta corradit: tamen, & diligentiam obſeruantium, & repurgantium manū hæc aulæa fallunt: vt niſi (quod

ſæ-

ſæpiuſculè fit) textilibus inſidijs irretita muſca ſuo ſtridore ſe proderet interdum; araneolos hac tetendiſſe planiſſime neges. Ea telarum tenuitas ea ſolertia eſt. Poſtremo tantum hoc de me: quòd ex hiſce feneſtris Vrbis maritimæ ferrugineum hunc ſinum (quem ille neſcio quis hyacinthæam Glauci pateram appellat) & amœniſſimam hanc orã circumadlabentis maris frequentiſſimis oppidis, viciſque diſſeminatam atque diſtinctam, & Pollios & Pompeios, & Herculaneos, & Surrentinos, & Lubrios ad longiſſimum proſpectum aduſque Capreas adcidentem perforauimus: hæc inquam de me: nihil hic præterea, ſi locum cõſideras, reperies, quod non magnopere contemnendum putes. Quãquam inter hæc incommoda, ſua non deſint ſolatia calamitatis. Queres quæ nam illa ſint? dicam. Hoſpites habemus, ſanè frequentiſſimos, eoſdemque commodiſſimos: omnium, vt dicitur horarum, atque numerorum, hoſpites autem? imò nos hoſpites, & inquilini ſumus, qui nuper admodum, certe non ita pridem in has ædes immigrauimus: illi contra familiares: illi gentiles,

&

& ingenui: illi domeſtici, vel domini potius: longus ordo ſanguinis, & generis germana nobilitas: Caiuli Caiorum, Tituli Titorum, Trabales, Trabatij, Murales accolæ Mures, maximi, medioxumi, minutuli. quorum *ſtat veteris fortuna domus:* quamuis ipſos anguſtus terminus æui excipiat.

Grandauiq; Patres, & Aui numerantur Auorum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Nec minus longa ſeriès poſterorum,

Et nati natorum & qui naſcentur ab illis.

Monſtri ſimile. Videtis vt inter nouarum ædium ædificationem trepida feſtinatione cuncta properentur! vetera decidunt: recentiora conſurgunt: effoſſa fundamenta complentur, parietes extolluntur: inter hæc, vt in tumultu, res adminiſtrantur: ſummis ima miſcentur: ſtrepitu rotarum, fragore ruentium tectorum; ſtridore troclearum, cæmentariorũ vociferationibus,cõcuſſionibus operariorum omnia perſonant, omnia labefactantur, omnia contremiſcũt: nos in hac decidentium ruderum ſtrage nihil tutum, nihil ad horam

Q gulis

manſurum habemus: momẽtis ſingulis naſcimur: quia ſingulis momentis opprimi poſſumus. inſtabiles ritu Getarum, incerto lare præſentium ſuſpicaces, ambigui futurorum quotidie commalamus, & (vt dicitur) domi peregrinamur. dum ex hoc, in illud cubiculum ſubinde tranſimus, caro capiti conſulentes: quid illi noſtri veteres familiares interea? Quid Aurunci ſenes in tanta rerũ trepidatione moliuntur? quid? omnium ſecuri, de ſe nihil laborant: hærent in antiqua poſſeſſione natalis ſedis, & emigrantibus alijs, ſtragemque metuentibus, illi nihilo ſecius ſoboli dant operam: rempublicam adminiſtrant: prouincias ſortiuntur. hi olearias, illi penuarias ſibi depoſcunt: olium exhauriunt: caſeolos arrodunt: popinam expilant: omnia depeculantur minorũ, & maiorum gentium Tithoni, Tatæ, reptiles Quirites, flos illibatus populoi, piloſoi, caudatoi. O animi ſecuritatem inauditam! ô æquitatem incredibilem! ô conſtantiã prædicandam! Vos ego, vos Reipublicæ verè natos exiſtimo, vos nobilium parentum ſimillimos filios! vos natalis ſoli firmiſſimos Patriæ

Ci-

Ciues: vos ingenuæ nobilitatis germaniſſimos hæredes: vos auitæ gloriæ propagatores: vos domeſticæ diſciplinæ conſeruatores, ac vindices conſtantiſſimos prædico. vos nullæ nutantium tectorum nequeminæ, neque ruinæ, nulli turbines, nullæ ſtrages, nulla tormenta, nulla ferramenta poſſunt è laribus, atque focis, è penetralibus, & incunabulis veſtris ex antiquiſſima patrimonij veſtri poſſeſſione depellere Eſtote proinde fortes: eſtote, ſicut eſtis, virtute macti, pedarij Senatores, Patreſque quadrupedes: & iſta veſtra nunquam amiſſæ Patriæ laude gloriamini. quam ſi retinere quēadmodum facitis, optatis in poſterū ad imitationem maiorum veſtrorū, ad ſpem & lucē veſtri nominis animos excitate: felicitatē cum virtute, virtutem cū dignitate: dignitatē cum immortalitate coniungite: ne ſine cauſa Rhetorum familiaritatē, atque conuictum expetere, lucernas doctorum lambere, libros eorum corrodere: litteras obliterare: ſermonibus intereſſe: ſcholis interuenire videamini. quod ſi non naturā generis magis, quàm gloriam indolis maiores veſtri propagaſſe dicuntur

tur in vobis; videte, ne quemadmodum illis glorioſiſſimum fuit inueniſſe laudum ſuarum prçconem Homerum, Poetarum omniũ ſine controuerſia principem: ſic à vobis niſi Spartam ornaueritis, ab optimis ſit degeneraſſe turpiſſimum. Quanquã quid ego vos hortor, vt frugi ſitis, qui probè ſciam noſtra quoque mçmoria veſtri ordinis extitiſſe non neminem, qui ſimilitudine patriæ laudis, & conſtantia virtutis, Conſtantij noſtri, vel veſtri potius Poetæ, iucundiſſimũ carmen, & ex carmine clariſſimum nomen inuenerit. Ne vos ſemper Phiſignatos, nos sẽper Homeros laudare poſſimus. Extra iocum, nos vbi nam ſumus? vbi memoriã reliquimus? ad huius auditorij vetuſtatem, vt arbitror. Dicebam cum araneolis, cum muſculis, atque ſoricibus eſſe cõmune domicilium. At non ego ridiculè, qui tantum non Alexandrinas, & Syracuſanas delicias pollicitus appono vobis Scytharum ieiunitatem, & famem? Vbi promiſſi fides? vbi popina ſaliaris? vbi ſeries ferculorum? vbi ſtructor? vbi ſciſſor? vbi præguſtator? vbi chironomus? commodùm præſto ſunt omnes. Ehodum,

ve-

veſtrum aliquis huc mihi Meni ppũ aduocate. Menippum? etiam inquam: ille Phœnix, ille Cynicus irriſor; ille Dipnoſophiſtarum Alpha Græcorum: ille feſtiuiſſimus, idemque doctiſſimus cõuiua Philoſophorum, & Rhetorum aduocetur, vt ſit, qui nos epularibus ſermonibus oblectet, ac teneat. in porticu Stoicorum plurimùm verſari ſolet. nam Zeno cum Diogene re conſentit: docendi ratione diſſentit. forte nullus reperitur in porticu, mirum, niſi cũ M. Varrone colludat in Caſinate: aut cum Meleagro condiſcipulo, & cõpotore diſceptat in Ceramico: aut cum Antigono Priennenſi nepotatur in Sypilo: aut cum Luciano Samoſatenſi paraſitatur inter Cimmerios epulones: aut cum Lypſio ſomniat eburnea ſomnia Criticorum. abi: requirito hominem vbi vbi eſt. Dum Viator hic redit; vſurpare necdecet veterem illam cõſuetudinem conuiuiorum in Græcorum primum Sympoſijs inſtitutam, à M. Catulo Togatorum Epicuro deinde reuocatam? quid ni deceat? At pene defluxerat ex animo. eſt ne Sigalion, aut Harpocrates ad ianuam? qui de more nobis, à diſcubitu, ſilentiũ

indicat? nam in conuiuijs, liberum decet eſſe ſermonem. Igitur ordine recitētur ex ſcripto fercula, quæ primo miſſu, quæ ſecundo deinceps, ac tertio, demum ab ouis ad poma, quæ proferentur ex ordine. ſic veteres illi, quibus eruditiſſimum erat palatum, inſtituiſſe perhibentur: vt ne conuiuæ totam initio profunderent ad primum quemque miſſum, auiditatem ciborum, quemadmodum helluones imperiti ſolent; ſed cum anticipaſſent cogitatione, quod eſſet ex omnibus guſtatu ſuauiſſimū: appetentiam ſuſtinerent: & integrā cupiditatem ad id, quod expectatione delibauerant reſeruarent eo vſq; quoad illud ipſum inſerrent in menſam. Age, qui more maiorum accumbis in ſummo, quem Arbitrum ſermonis, & poculi dixit ſortitio talorum, qui vini regnum, & conuiuij magiſtratum geris: iube quas epulas expectemus, & quem ordinem epularum, quem numerum, & locum, & quæ condimenta, nobis ex ſcripto recitet Anagnoſtes. Primum, quod dabitur cænæ caput? dignus hominis humanitate ſermo: qui ſolus elaboratur in Rhetorum officinis, hoc eſt artificium illud appoſite dicendi,

ſicut

ſicut vnaquæque cauſſa poſtulat ad fidem, ad oblectationem, ad motū. & illa ſex in partes ab Ariſtotele diſtributæ ſeries ciuilium quæſtionum: quibus inſtructus Orator non modo iactationem vendibilem, ad Populum habere; ſed à doctis etiam & à paucis, hoc eſt ſapientibus, clamores, atque plauſus extorquere poſſit. Nam hoc volo contingat Oratori meo: vt, cum auditum fuerit eum eſſe dicturum: locus in ſubſellijs occupetur: aperiatur ad ſuggeſtum per confertam multitudinem vi via venienti: compleantur gradus: apparitoribus negotium detur, confluentem vndique populum ſubmouendi: Septa pro foribus pangantur: ad ſepta cuſtodiæ collocentur: gratioſi Deſignatores in aſſignando loco. tū corona multiplex: auditor erectus: nunquam, niſi multum expectatus accedat, qui verba facturus ſit: eoque iam aſſurgente, ſignificetur à corona ſilentium. vnde deinde capitū ad nutantiū crebræ aſſentiones multæ admirationes: riſus, quoq; cū velit, cū velit, fletus vt qui procul hæc videat, etiam ſi quid agatur, ignoret; at placere tamen & in ſcena eſſe Roſcium intelligat. Hoc cœnæ caput:

Primus Miſſus idoneos authores imitandi præcepta quædam exponet, niſi me meus fallit animus, nunquam alias enucleatiùs à quoque tradita.

Secundus Miſſus. Lucij Craſſi dictum expendet, & artificium aperiet, quo diſertiſſimus ille vir, orationem adeo iucundè, ac variè condiebat, vt omnia noua dicere videretur, cum peruetuſta diceret.

Tertius Miſſus. vniuerſam eloquentiæ vim Ciceronis, & Virgilij non inepta, non putida, non inani, ſed appoſita, ſed iucunda, ſed ſolida conſequendæ tantorum authorum laudis meditatione concludet.

Quartus exinde Miſſus euagabitur foras, & dijudicando diligentiam recludet ex ipſis naturæ fontibus, quò commodiùs, quid in quoque videatur eximium, ſeligere poſſimus. hic quoque certa diſcrimina diſtinguentur inter idoneos & alienos Authores, & quos nobis ſequendos, quos alijs relinquendos exiſtimemus, ſimul illuſtrior eximendarum concluſionum è probatiſſimis aperitur via.

Quintus, quæ nam ſit illa, quæ tãtopere laudatur à M. Tullio condecen-

centia verborum apta ſententijs.

Sextus, quæ vis illius præcepti ſit, vt in ſcriptionibus appareant hæc tria, quid deceat, quid conueniat, quid ſit ſatis, vel quod idem eſt, quid aptum, quid pulchrum, quid iuſtum in compoſitione ſit.

Septimus, erit de quadruplici ambitu Poetarum, Hiſtoricorum, Rhetorum, Sophiſtarum.

Octauus, aget de quadruplici dictione quatuor authorum, ac ſuam cuique notam inuret, qua ſeiungatur alter ab altero, à Rhetore Sophiſta, Hiſtoricus à Poeta, non quidem in argumentis aut fabulis, ſed in narrationibus, & argumentationibus, in explicandis, amplificandiſque rebus.

Nonus de duplici ſententiarum ornatu, tum quæ ſimplices, ac ſponte fuſæ, quæ flexæ, quæ mixtæ ſententiæ, quem cultum ament.

Decimus. quantam vim habeat in decori cuſtodia triū diligens animaduerſio rerum, ea eſt, Perſonarum Sententiarum Affectionum.

Vndecimus. hic varia diſciplinæ noſtræ parerga, tanquam Xenia, vel bellaria proferentur, Apologorum effictio, fabularum conformatio,

Sacıæ, quæ dicuntur Aegyptiorum notæ, Symbola Sapientum, commoda Paræmiarum, Emblematum, Aenigmatum vſurpationes in loco; tum argumenta rerum numero tria, muta, loquentia mixta. Iam memini fuiſſe miſſum, qui Menippum huc euocaret. non dum is aduenit, qui Stoicam cœnulam exhilararet aliqua feſtiuitate ſermonis O teſtudine tardiorem? Græcus & tardus eſt; magnam rem facit ſi bonus eſt. certe Græculum & claudum expectare mali ominis erat antiquitus. Abeamus. Conuiuæ nemo vos tenet. Heus ad Ianuam Sigalion Pater obliuionis, reticentium Dictator, qui mutire vos lege mutia iubet. Auditis? an non? TACETE, quæ diximus: Vel linguam hic deponite, vel obliuionem hinc auferte. Memorem non decet eſſe compotorem, & dictum vetus eſt: Bonis, & malis ſilentium bonum eſt.

PRO-

PROSA XI.

RHODVS

Veræ Eloquentiæ Ludus.

Dicta in Triclinio Collegij Romani menſe Iulio anno 1612. vbi de more nouos Magiſtros inſtituebat.

PROVINCIÆ meę claſſes numero quinque ſunt; quarum ego claſſici Pręceptoribus inſtituendis nonnullam operæ, diligentiæque partem debere me videam. In Rhetorum cenſu duæ numerantur: primariorum vna ſine controuerſia Rhetorum: eorum altera, quaſi Rhetorum, qui primores proxime ſubſequuntur. In Grammaticis maiorum, minorumq; gentium familijs tres ordines conſcripſimus omnino: Primanos, Secun-

danos, Tertianos, quorum ego rationibus, vt ne peſſimè conſultum velim: moleſtiæ plurimum quin exhauriam, non recuſo: modo ſanè cõſulatur: nam hoc opus, hic labor. Verumtamen tentanda prius, & experiunda ſunt omnia: ne deſperatio ne debilitati nos citius; quàm officium noſtrum deſeruiſſe videamur. Horum ergo claſſiariorum vtilitatibus PP. (quoniam caducam huiuſmodi doctrinæ tutelam mearum partium eſſe voluiſtis) anniuerſarius hic Inſtitutionum Academicarum labor addictus eas ferme pro tempore tribuetur in partes, quæ numerum claſſiũ æquent, vt ſingulæ quinque dierum diſputationes in ordines ſingulos cõferantur. Quinque porro diebus exactis me quidem officio dicendi, vos audiendi moleſtia liberaro. Noli metuere: tametſi non latiſſimè patet; patet tamen, & ſuas habet ſalinas hic locus. vbi, ſi velis, & inſulſæ ſalsè poſſis, & iucunda condire feſtiuè. De mea vero facultate quid in præſentia polliceri poſſim aut debeam: videtis. Quamquã enim riſum mihi funditus in omnẽ ætatem extinctum oportuit: eo non ita pridem ſuſcepto meorum vulnere:

re:

re: quod plerique noſtis: vt niſi penitus omnem ſenſum humanitatis exuerim: in recentiſſimum luctum importunam hilaritatem inferre nō audeam. tamen; vt humanum eſt dolere cum doleas; ſic hominis eſt nimis humani totum dedere ſe dolori. Quid? nullam exceptionem norim quatenus inter ſapientes in mœrore progredi liceat humanitati? veſtræ vero quātum ego ſemper tribuerim ſapientiæ: vel ex hoc intelligere poteſtis: quod hanc ipſam excuſationem apud alios fortaſſe neceſſariam, apud vos à dignitate noſtri nominis prorſus alienam cenſeo. Veſtræ proinde ſententiæ grauitas moderabitur dolori meo: quæ quidem ſententiam,& orationem ex me requirit eiuſmodi; ſenſus vt meus è veſtris moribus videatur effictus: in quo liquido ſpectari queat non tam quid exigatur ab homine, quam quid expectetur à veſtro. Neque meæ reformidauerim iudicium ætatis: aut huiuſce capitis iam ante quadriennium ancipitem, nunc certam, & minime dubiam ſenectutem: vt eius difficili ſeueritate mihi iucunditatem orationis intercluſam putē. Cur enim quod olim bona ratio iu-

ueni

ueni conceſſerit, id non concedat ſeni? certe quod ſemel apud ſapientes licuit: id ſemper licet. Authorem an habeam quæris? ne longius abieris: circumſpice rerum hanc innumerabilium Vniuerſitatem. Conſule parumper optimæ mentis exẽplum pulcherrimumque diuinæ rationis artificium, idemque fructuoſiſſimum, eccubi veſtigium vllum, reperis, in quo ſecluſa videatur ab vtilitate iucunditas? In tanto proinde cultu rerum ad optimæ rationis imaginem ſapientiæ quadam dulcedine deliniti malumus in ſenectute diligi, quàm timeri: docti ſumus; eruditi ſumus, amœnitatem doctrinæ conſectari, nec aſperi, nec moroſi ſumus. dum dico ſumus, nullam mihi partem propriæ laudis arrogo: ſed in veſtræ venio gloriæ ſocietatem. quandoquidem felicitatis omnino meæ fuit impertitæ diuinitus; vt ea neceſſitudo religionis beneuolentiæ conuictus, officij, ſalutis mihi vobiſcum intercederet: quę nihil eximium, ac proprie ſuum, ſed commune duceret quicquid in medium ex veſtro veſtra liberalitas veſtra dignitas contuliſſet.

Iam vero quoniam conficiundæ

ſua-

ſuauitatis artificium multiplex traditur in ſcholis; neque ex vno dumtaxat fonte vis omnis emanat impellendi riſus, & ea, quam inter remiſſionum vices quærimus, amœnitas iucunditatis, ex infinita generis huiuſce varietate; nobis ea potiſſimũ orationis feſtiuitas probari ſolet, in qua liberius, vt in ſuo luſitet ſimulatio Poëtarum, vt in alieno verecundius appareat diſſimulatio Rhetorum. Etenim officij ſuadendi viam, qui diligentius hæc elimant, nobis duplicem reliquerunt. alteram rectam nominant, obliquam alterã. Rectam eam eſſe dicunt, in qua certa ſententia, ac ratio non callidè, ſed apertè; & ſponte fuſa, ac perſpicua ratiocinatione cõcluditur: hoc pacto. Honeſta quæ natura ſunt, laudabilia ſunt etiãſi nobilitata nõ ſunt. Obliquam autem in exemplo poſitã eſſe volunt; cum imitantium penicillus deſcribendis rebus, atque perſonis, quãuis belle lenocinatus ipsũ lenocinium non diſſimulet: fucum tamen facere minime videri ſtudet, illam ipſam recte ſuadentium rationem exquiſita colorum ſimilitudine perſequutus. Genus hoc ſuaſionis in exempla collatum, eque veris,

fictiſque rebus expreſſum, atque ſimulatum, quia videlicet illuſtrius apparet: in animos facilius illabitur; & quo deſcendit altius; eo iucundius tenet, impellitq; plerumque vehementius. Velut hoc ipſum, quod poſt diligentius exponã: quàm quæſo ſuauitatis partẽ dederat erudiendæ Iuuentutis exemplũ,ex vltima græcarum rerum antiquitate repetitum? Id cuiuſmodi ſit, & quemadmodũ ad noſtri muneris inſtitutũ pertineat;facilius intelligetur:ſi pauca prius ad ipſa rerum primordia recordiri licuerit: vnde media fluxerunt: & extrema cõtexta cũ medijs.

Rhodum Inſulam, à continentibus Aſiæ finibus non ita lato interfuſo mari abiunctam, & qua præcipuè parte Græciam proſpectat inſularum Cycladum,quæ quidem Carpathio ſinu circumfunduntur, & nunc eſſe maximam, & olim fuiſſe pulcherrimam,atque omnium opulentiſſimam, audiſtis, vt opinor,ſæpiſſime. fuit Aud. ita, vt dicitur. Nam ante funeſtiſſimam hanc Otthomanicæ vaſtitatis imaginem,cultu erat, ſituque cum præclariſſimo ad aſpectum,tùm ex omni vndique aditu non magis ingenio locorum

per-

peropportuna, quàm accolarum operibus communita, creberrimiſque rerum admirabilium notata paſſim, ac diſſeminata monumentis; quo fieret vt, & diligentiſſimè coleretur, & habitaretur frequentiſſimè. Opportunitatem loci ſequuti Mercatores è Phœnicia profecti, fortunarum ſuarum domicilium in his finibus primi mortalium collocaſſe perhibentur. Tum, vt in finitimo fermè fit, poſteaquam è paruis initijs incrementa rerum inualuerunt; quà viſendi ſtudio, quà mercaturæ gratia, certatim incredibilis eò concurſus factus eſt commeantium vndique conuenarum. Nam & è proximis inſulis Aegei Maris: & è Creta maximè oriundi, florentiſſimaque Cypro, atque ex omni Aſia, ac Græcia maritimis, ac terreſtribus opportunitatibus inuitati protinus accolæ, conuenæque pro ſe quiſque naturæ beneficium an occupare celerius, an ſumptuoſius exornare contenderint, equidem conſtituere non poſſum: frequentiæ certè celebritatem, & magnificentiæ cultum illi nationum domicilio priuatim, ac publicè celeritate mirabili contigiſſe tantum, quantum

tum vix vlla Græcorum aut Barbarorum natio auderet imitari, pleriquque veſtrum ignorare non poſſunt, qui præclara quæque commemorabilium rerum exempla dediciſtis. Igitur eodem in loco, propterea, quod præter cæteras eius regionis inſulas, victu facilis ac per ſalubris eſt, quà gelidiſſimis præterlabentium fluminum perennitatibus, quà mitiſſimis per ſtata tempora redeũtium vẽtorum adſpirationibus, quà maritimarum orarum portuoſis an fractibus ad inſignem ſpeciem, & propemodum ad luxum, ludumque ſinuatis, quà collium, ac montium viridiſſimis, ac fructuoſiſſimis ſepimentis ad arcendos noxios afflatus iuſta per interualla dimenſis ac veluti de induſtria obiectis, quà liquidiſſimi, patentiſſimique Cæli temperatione, clementia, ſalubritate, quà longè, latèque diffuſa vel vbertate vel amœnitate camporum, facillimum factu fuit, vt eas ob cauſas eodem inquã in loco, ſedes omnium nobilium artium, & commune nationum omnium emporium collocaretur. Et vero quoad Imperij fines in Aſiam Roma nõ protulit: floruit opibus, floruit armis, flo-

floruit legibus, domi foriſque, floruit moribus, & exemplis optimæ diſciplinæ Rhodus. Poſteavero quã aduerſus Antiochum, & Annibalem in Aſia debellauimus: adceſſit ad partes, vt latini facta iuris communem generis humani neceſſitatem Rhodienſium quoque Reſpublica ſequeretur: & contractis animis, armiſque ſub ampliſſimi nominis vmbra cum cæteris gẽtibus auſpicatiſſimis conquieſceret. Verum hæc poſtea fuerunt. nos ſuperiora repetamus. Fuit, vt dicebam, florentibus Æſiæ, Græciæque ciuitatibus, vel ante Troianorum exciſas opes, fuit omnium rerum ſaturitate, ac copia felix Rhodus: vt propterea felix, ac fortunata, vulgo, Græcorum inclyta fabulis diceretur. Loci naturam, incolarum ingenia imitata, nullam doctrinæ, nullam vitæ facilitatem aut elegantiam præterire potuerunt: vt illud iam viderent eſſe natale ſolum non hominum, ſed Deorum. Quid non licet Poetis? Huius Inſulæ cõtemplati felicitatem: vt ſunt ad excogitandum faciles, argumenti, iuriſque videlicet eſſe putauerunt: in ea vt quidnis iocoſè comminiſceren-

rentur,ac fingerent: Armatam Palladem Sapientiæ Deam è cerebro Iouis excuſſam in hanc primum Inſulam decidiſſe, quoq; deciderit die large purpurea luce riſiſſe cælum, & aureis vndique deſudaſſe guttis: mare leuiter criſpantibus Zephyris: colludentibus Gratijs, Tritonibus cachinnantibus: Terram quoque ſupernè roſarum nimbis, in gratiã accepti Numinis irroratam: ex quo nomen Rhodus inuenerit: & roſetis exinde paſſim, ac perpetuo vere fulgentibus exhilaratam. Illam vero primam intelligentiæ ſtirpem: illam videri docti Numinis incunabula ſemper armati, ſemper hominibus optime conſulentis. Quia (quod Syracuſis etiam, ac Locris accidere conſtanti ſermone celebratur) nulla tam fœda tempeſtas eſt, nullus tã nubilus exoritur dies: quin eo die læta lux è nubibus erum pat, & Rhodium ſolum. In re vera fictum fabulæ iocum excogitarunt; Rhodon fuiſſe quandam eximia forma Virginem, verecundã tamen, & integerrimi pudoris adoleſcentulam: in ea ſolem moderatorem diurni ſideris ſuſpiraſſe. libatæ per vim integritatis pretium, an
ſo-

ſolatium accepiſſe Virginem, ſuum vt illa nomẽ inſcriberet Patriæ, nulla conſequentium ſæculorum obliuione delendum: & Amator vt nullo Patriam die ſine beneficio clari luminis præteriret: rapti quoque pudoris verecundiam in ſempiterna roſarum ſtirpe natiuo rubore depingeret: quo viuum ſemper honorem verecundiæ referret in flore: quem ſemel abſtuliſſet à Virgine: Muneri corollarium adiectum fuiſſe Delphicam lyram, ac Deliam ſagittam, qua Phœbus Pythona confecerat: munus in Ialyſo conſecratũ, cum ea lege, atque omine: vt inter initia Sacrorum Mineruæ Quinquatribus; vbi Pontifex Maximus lyram ſagitta percuſſiſſet, ſacra Mineruæ Iuuentus redimita corollis è recenti roſa bellicum pæana concineret in epulo popularium Myſtarum. Quod ego ſic interpretor, illud idem inſtituto patrio voluiſſe Rhodios: quod in Amphictionum conuentu palam de ſe poſteà venditauerit Alexander peradoleſcẽs Philippi filius: vt ad Muſicæ concentum artis; hoc eſt ad ſapientiæ temperantiam, ac tranquillitatem rei militaris ſcientiam, experientiamque

que continenter adhiberent. Et ſanè ſi diligenter inſpicies illius Reipublicæ leges, ac mores; reperies e Gymnaſij Rhodienſis vmbraculis fortiſſimos Imperatores, & ſapientiſſimos, omnis humani, diuinique iuris interpretes extitiſſe. Quid multis opus eſt verbis? E ſocratico ludo Cyrenaicus Ariſtippus, is, qui Cyrenaicæ Philoſophiæ familiam ducit: cum è naufragio tempeſtate delatus, & eiectus in Rhodum, in littoralis oræ ſabulo notas geometricas ſcientiſſimè deſcriptas aſpexiſſet aliquando: ex inſperato gaudio conuerſus ad ſocios: ſatis ſalui ſumus, inquit; Hem ad humanos homines nos bona Mineruæ fortuna detulit. Hæc omnino Rhodus eſt, cuius etiam in nudo littore luſitans Sapientia philoſophatur.

Iã vero totius Inſulæ caput, eiudem nominis erat omni genere nobilitata laudis, fortunæ referta præmijs, prædiues, ac permetus Rhodus. Huius Vrbis olim ea fuiſſe dicitur vel magnitudo, vel dignitas; vt Aſiæ, Græciæque nobiliſſimas Vrbes & frequentia Ciuium, & operum, opumque magnificentia facile ceteras omnes vna ſuperaret. E ſummo

mo

mo iugo montis, quo terra marique mollis acceſſus eſt, perpetua publicarum, ac priuatarum ædium ædificatione munita, pulcherrimeq; deſcripta protenditur in mare, deſcenſu facili, ſenſimque delabens ad eam oram alluentis æſtus: vbi conceptũ egregia molitione portum altera pars Vrbis complectitur: quæ Coloſſus dicitur, ob inuſitatæ magnitudinis ſtatuam, quam Chares ſtatuarius extruxit. Coloſſon Græci vocant ſignum immane marmoreum, Soli ſacrum, & in oſtio per noctem ſuppeditando lumini, quo nautæ curſum ex alto dirigant excitatum. longum eſt cætera cõmemorando perſequi perilluſtria huius Vrbis ornamenta quæ tam multa fuiſſe memorantur; vt Ariſtides nobiliſſimus Sophiſtes vnum in locum congeſtum diceret, quicquid eſſet alibi diſperſum, cum hanc Vrbem laudans, paruum orbem appellauit: nec dubitauit omnibus eam vrbibus anteferre. A ſummo mediam diuidit ad imum vſque pertinens vna, lata via, perpetua multis tranſuerſis alijs inciſa, priuatis, ac publicis ædificijs illuſtris. in qua forum maximum: perampla Curia: pulcherrimæ porticus,

ticus: ornatiſſimum Pritanæum: templum egregium Apollinis viſebatur: & Fortunæ fanum peranti-quum religioſiſſimè cultum. Ad ſummam viam Theatrum ex vna parte maximum: ex altera Gymnaſium omnis memoriæ longe nobiliſſimum celebrabatur Memnoſynæ communiter, & Mineruæ ſacrum, ingentibus collatitiæ pecuniæ ſumptibus ab Aſiæ Regulis exædificatum. Et perilluſtrem hanc viã, & celeberrimum Gymnaſium, Ialyſum communi nomine dixerunt, quod in aditu Gymnaſij, quo via perpetua pertinebat, Satyri ſignum affabrè factum, cui nomen Ialyſo fecit Antiquitas, viſeretur. Pulcherrimum hoc Satyri ſimulacrum, pro Gymnaſij veſtibulo, de more propoſitum è Protogenis officina fuiſſe fertur. Hic eſt ille Protogenes qui cum Apelle de penicilli laude certaſſe dicitur aliquando. & hunc ipſum Ialyſum vt arte quam politiſſima elaboraret, in ſolitudinem ſe ſe remotiſſimam abdidiſſe: quin etiam ne mentis acies hebetaretur redundantia ciborum: quo minus depictam omnino ſpeciem operis, aſſequi coloribus, inque tabulam tranſ-

tranſferre poſſet: perdiu nihil cocti ſumpſiſſe cibi dicitur, cum crudis interim ac maceratis aqua leguminibus, humidi pariter, ſiccique deſiderium ſedaret: ſitis, ac famis tolerantia ſingulari, nouoque taciturnæ commentationis exemplo.

Ne ſine cauſa Rhodienſis huiuſce gymnaſij commemorationem à me PP. inductam exiſtimetis exponam deinceps conſiliũ meum: & quemadmodum hæc è peruetuſtis Græcorum litteris deprompta monumenta referamus ad vſum, inſtitutumque præſentis operæ: rebus noſtris cum Rhodienſibus conferendis; perdiligenter quoad exiget ratio præſcripti temporis, oſtendam. eo pacto quid in re noſtra conſulto nobis, opus, factoque ſit: & quanam in officij parte ſuæ quiſque claſſis moderator in exercendis ſuæ Centuriæ claſſiarijs, ſe collocatum exiſtimare debeat: facilius ex ijs quæ dicentur, & vt ſpero iucundius intelligetur.

Ad Gymnaſij frontem, propilæũ excitatum Thaſijs columnis pulcherrima deſcriptione diſpoſitis, perilluſtre, magnificũ, peramplum: in hemicycli maximè formam ele-

Deſcriptio Gymnaſij Rhodiẽſis.

gantiſſimè perductum. Medium lucum, proiectis, ac veluti paſſis brachijs amplecti velle videbatur denſiſſima cupreſſu nemoroſū & opacum, in quincuncem dimenſum, ac conciſum apud illos religione ſanctiſſimum. in medio luco Mineruæ Delubrum, in quo Palladium aureum in Hypogæo defoſſum, aureumque conditorium vetuſtiſſimum, in quo Phœbi donum ſagittam, vt diximus, & lyram religioſiſſimè depoſitum venerabantur. In primo veſtibulo ad læuam Pædotribium primi rudimenti tyrocinium abecedarios Puſiones excipiebat ad Pynacem attinendos, Hermetis inuentum tum primum excogitatum, cum in erudiendo Margite decennium conſumpſit ipſum; vt decennali labore lethæus ille fungus in quinq; digitos æqualem numerum conferre perdiſceret. Diſtincta gradibus magis ingenij, quam ætatis hæc ſedes in certos Auditorum ordines diſtributa, Grammaticorum & verbis, & verberibus perſonabat. ludo perſimilis inſtitutio Puſionum erat. Aſtanti ludimagiſtro colludentium certaminibus, ad multam die eburneolis litterulis, ſic temere pro

Grammatica ludus vnde dictus.

fuſis in pynacem ex orca: quas deinde cogerent,aptèq; in verba componerent, à Puſionibus ludebatur: ex quo nomen inditum gymnaſio *Ludus*,aſperis illis Grammaticę pręceptionibus, quàm minima cũ moleſtia ſorbendis excogitatus. Altrinſecus è regione Pædotribio reſpondebat Ephebium ludo Rhetorum exercitatiſſimum, Puberum multitudine redundans. Ingenioſorum hæc adoleſcentium ad eloquentiæ gloriam connitentium palęſtra erat. quo non ſolum ex Aſiæ finitimæque Græciæ Ciuitatibus,ſed etiam è longinquo vſq; Latio iuuenes numero non pauci, genere minime obſcuro, ingenio alacres, ſtudio laudis inflammati, vel comparandæ, vel augendæ, vel oſtentandæ, vel experiundæ facultatis gratia ventitabant. Atque vt de cæteris interim Græci, Latiniq; generis adoleſcentibus dicere ſuperſedeam; hic illa pleniſſima vox ſaluberrimis eloquentiæ Rhodiæ nutrimentis adulta, cõfirmata,perfecta eſt: quæ Verre damnato forenſe ſibi Regnum ab Hortenſio vindicauit: quæ ſicam, Patriæ ceruicibus imminentem e Catilinæ manibus extorſit: quæ *Eloquentia Rhodia.*

perculſam iniquiſſimis plerumque iudicijs innocentiam erexit, quæ ſempiternas ignominiæ notas nefarijs,ac perduellibus inuſſit: quæ togata conſeruatę Patrię nomine triũphales Imperatorum victorias, laureaſque ſuperauit: quæ terrarum Orbem celebratione ſuæ laudis & admiratione: quæ demum ne ſuos ſemper Platones, & Demoſthenes Græcia miraretur; effecit. Educauit tantæ vocis indolem etiamnum adoleſcentem, impleuitque, quoad per ætatem, & forenſem ambitum licuit, cum vberrimo, tum integerrimo quaſi ſucco doctrinæ prudentiſſimus ille cultor, & altor oratronis Apollonius, cognomento Molon, Ialyſi Magiſter, ac Rhetorum Princeps. is,quem tertium illud genus dicendi cum laude copioſum,& affluens, quod Rhodium appellant, & demõſtraſſe primum accepimus; & excoluiſſe Rhetorum omnium prudentiſſimè. quod inter Atticæ prudentiæ ſiccitatem, & adipalem Aſiaticæ profluentiæ redundantiam interiectum: vtrinque remotum, neutrius expers,ac particeps potius vtriuſque, ſtudioſèque quicquid in alterutro videatur excellere decerpens,

Rhodius ſtylus inter aſiaticum, atticumque.

pens, ac ſeligens, inter vtrumque medium, ac velut ex vtroque mixtum, & temperatum in ancipitem plerumque curam animos diſtrahit iudicantium vtra laus eloquentiæ potior habenda ſit: an quod Attico Demoſtheni cum laude nihil detrahi poteſt: an quod Rhodio M. Tullio ſine vitio nihil addi. Iam, quoniam noſtra huc euaſit oratio, vt in ſummi Rhetoris educatorem Apolloniũ limitatiſſimi iudicij magiſtrum deuenerimus: operæ vero pretium fuerit, tanti Præceptoris in æſtimandis ingenijs prudentiam, in inſtituendis conſuetudinem audire diligenter. Huic Viro, cum ab ineunte ætate ſe ſe primum dedidiſſet M. Tullius: & ſæpius antequam prodiret in forum: & poſt Roſcij defenſionem, qua nonnihil Syllæ Dictatoris animum ſibi perſtrinxiſſe viſus eſt, eius impotentiam veritus, atque excuſatione valetudinis vſus Rhodum profectus, ad Apollonium, eius iterum declamatorio ludo reformandum dediſſet: nimiam luxuriantis ingenij copiam repreſſit: ac velut extra ripas effluentem inſolentius in alueum curſumq; Apollonio maximè reprehenſore reuo-

cauit; vt & Aſiaticum adipem Attico ſale ſiccaret; & in Rhodienſis artificij media ſede conſiſtens, ſani ſucci colorem, ac vultum orationis eum duceret, quem videtis. Verum enimuero ſolertiſſimi Præceptoris huius auctoritas, quantum in rem noſtram emolumenti conferre poſſit: in reliquis conſequentium dierum ſermonibus exponetur: cum hoc ipſo deductore cunctas Rhodienſium claſſium diſciplinas otioſius obire fas erit, exque ſingulis, quæ conducere maxime videbuntur imbuendis Puberum animis, & exempla Doctorum, & præcepta doctrinæ depromere licebit. Nunc ante legitimum carmen, hoc proemio præluſiſſe ſit ſatis: & illud interim poſitum ſit: ſolidam, & germanam eloquentiæ gloriam, ad quam ingenioſiſſimus quiſque natus, ac factus eſt, Rhodi primum exortam Rhodio dicendi genere contineri: vt illud intelligamus; ſiquidem ſummam ingenij laudem expetiſſemus: ſi non volucrem quandam vmbellam, ſed corpus ipſum eloquentiæ nobis cōſectandum eſſe duximus: ſi Iuuentuti nobis deditæ, creditæque multa promittimus, & plura præſtare

Perfecta eloquentia forma Rhodia eſt.

velle

velle debemus: ſi ſuſceptas officij partes, impoſitæque perſonæ dignitatem ſuſtinere volumus: ſi vim, & naturam eloquentię non ingenij noſtri facultate, ſed ipſius rei ratione metimur: profecto profitentibus optima certandum eſſe cũ optimis: & ad ſumma nitendum. Ac necubi, quam in Ialyſo copioſius, ac ſplendidius flumen orationis creuiſſe ſtatuamus: dabimus operam poſt hac, vt Rhodium dicendi genus lõge copioſiſſimum atq; clariſſimum è Rhodienſibus maxime præceptoribus, & exemplis monumentiſque relegatur. De quo proprie quidem, & ſuo loco fuſius, cum ad Rhetores ventum fuerit diſputabitur. Interea tamen loci non alienum fuerit, vel ex ipſis Grammaticorum aſpretis amœna Rhetoricæ ſpatia tanto ante cogitatione meditari. Siquidem, vt Artifices dicendi cum primis nobiles arbitrantur, ex vſu cenſetur eſſe iam tum à teneris oratorio quaſi lacte puerorum ætatulam irrigari.

Qui vero veſtrum PP. alijs aliarũ litterarum amoribus, ac delitijs dediti ſunt, & quibus hæc ipſa quæ dicturi ſumus audita non ſunt: nos

de leuiſsimis rebus diſputātes, Viri ſapientes grauiſsimis aſsueti, ſingulis vt diebus audiant: non id oro. tamen ſi; quid tamen ſi? quaſi videar veſtræ facilitati beneuolentiæ diffidere. ſcio.

Iam clarus occultum Andromedæ Pater
Oſtendit ignem. iam Procion furit,
Et ſtella veſani leonis,
Sole dies referente ſiccos.
Iam paſtor vmbram cum grege languido,
Riuumque feſſus quærit, & horridi
Dumeta Syluani: caretque
Ripa vagis taciturna ventis.

tamen omnia hæc veſtra vincet humanitas. Ideo curæ nobis fuit, vt ad minuendam æſtiui caloris moleſtiam Rhodum inſulam, & vrbē pulcherrimam, eiuſq; gelidiſsimas opacitates & denſiſsimā Rhodienſis Ialyſi cupreſſeta ſatietate defatigatis & omnium amænitatum, & omnis generis diuerticula recluderemus. Quod bene ſit. quos grauioris doctrinæ oblectamenta deliniunt: vbi

Gram-

Grammaticorum; aut Rhetorum Ephebiũ faſtidire cæperint; Acroaterium ingreſsi Philoſophorum Poſſidonium coram Gneo Pompeio de rerum natura ſubtiliter; de Repub. grauiter differentem audire poterunt. non illum credo contemnent, bene barbatum, & palliatum & grauedinoſum ſeneni: cui de ſuperiore loco dicenti Romanus Imperator exuuias regnorum, ac Regum trahens argenteam aquilam, laureatoſque faſces Victor ex oriente ſubmiſit, & minor Philoſopho videri voluit, qui victorijs, ac triumphis auctus ampliſsimis, Magni cognomen adamauit. Quid Mathematici? quid? niſi nos audire maluerint: in littore cum Ariſtippo ſpatientur licet: & ſuas inibi notas, ac formas in puluere vel exarent, vel recognoſcant. qui, niſi nauem fregiſset: aut Cyrenem ſe reduceret ad Hipparchum: aut Syracuſas adduceret ad Archimedem. Nam Theologi libero cæli cõſpectu fruuntur libentius, opinor. Eos igitur ad Coloſsum concedere ſat erit bene ſublimis eſt, & ſcanſilis: per coclides tibias, & Thoracem ad ſupremum vſq; verticem conſcen-

dere licebit. inde videlicet cupidiſſimè omnia circumſpectabunt: inde cælum, inde terras, inde Pontum, inde Carpathium denſis conſitum & baccatum inſulis, atq; Cyprum, atque Cretam, atque Delon, & interluenti nitentes æquore Cycladas: atque Orthigiam, atq; Naxon, atque Lyſſam: Et Paron, & Paphum, & Mimallon, & Pathmon, Apoſtoli Ioannis exſilio claram, ſummique Theologi virtutibus, & prædictionibus expolitam. Reliqui, ſi qui ſunt, quos nihil per hos æſtus audire delectet: actuariolũ ad nauale paratum habent, conſcendant: circũuecti nemoroſos littoralis oræ flexus, dum belle ſpirat, excipiant auram. niſi maluerint aut in Ialyſi Xyſto cum Claudio Tiberio Nerone meridiari: aut cum abſtemio Pherecide gymnaſij Bibliothecam, omnis generis voluminibus refertiſſimam deuorantes, de ieiuna ſaliua, de Gratiarum ofellis, de lactucis, & cappari diſceptare: dum ſol in altiſſimo Cæli vertice contrahit vmbras arborum: dum pueri merendant: dum

Sole ſub ardenti reſonant arbuſta cicadis.

Ci-

Cicada, ſi neſcitis, canorum corpuſculum, tota vox eſt. ideo toto corpore laborat, cum anhelat in cantum. & tamen nimio cantu dirumpi ſolet. Nos quoque melius alieno docti periculo, longo ſermoni finem imponimus, & vt faucibus & lateribus conſulamus. Ilicet cum rupimus ilia conclamatum eſt. die quarti frequentes, & infrequentes vos Apollonius expectat ludi magiſtellus ad Tertianorum gymnadem.

PROSA XII.

ÆSTIVI

Caloris Refrigeratio.

Dicta in triclinio Collegij Romani menſe Auguſto 1613. in ſummis caloribus dum nouos Magiſtros inſtituere iam cœpiſſet.

QVID agimus? Num etiam terræ, ſemiuſtulatæ Perſonã excitabimus, & veterẽ eius querelam more Poëtarum, quemadmodum eſt in fabulis, perſequemur? Non tantum nobis à re noſtra vacat. Nimis otioſè ſolliciti Poetæ ſunt, qui diligenter laborãt, vt prodige mentiantur. Puto meliùs intelligetur, & ad fidem credetur faciliùs intolerabilis caloris inuſitata vis, ſi miſſis mendaciolis Poetarum,

ſine

ſine laborioſo circuitu verborum, planè,ac diſertè ſic dixero: æſtas eſt, exoriente leone, calor ſummus, anni grauiſſimo tempore moleſtiſſimis,vt nunquã aliàs, peius; caloribus æſtuamus. At enim quod vnum erat à Natura comparatum ad æſtiuos hoſce languores remedium in medijs anhelantis terræ vaporibus,calorum moleſtia nullus eteſijs ſedatur. Fauonios expiraſſe crediderim, adeo nihil, quaſi cadauer exanimum, reſpirant. libet inclamare cum Cephalo, non ambigua voce quæ Procrin vrat, & perdat malè moleſtam, in peius ſe daturam Auram.

Aura recens, Aura Cæli ſpirabile munus,
Cloridis,& Zephyri ſoboles, lætiſſima Veris
Mater, honor lucis, florum blandiſſima nutrix,
Aẽ à veliferis, quæ mulces lene flabellis;
Et vitrei criſpas Neptunia marmora ponti,
Cernere cum libuit choreis ambire nitentes
Cycladas, extantes ex imo gurgite Nymphas

Pube

Pube tenus, Phorciq; pecus, Proteiq; virentes
Informes Phocas cum Thetide Nuptunina,
Doridaque, atque Ephiren, & Niſen, Phillodocemq;
Opimq; & Clymenem, & Beroe Oceanitidis ora.
Aura parens florum, genitabilis aura fauoni,
Aura, per vmbroſas gratiſſima murmura ſiluas
Elicitura veni; requies tu ſola laboris,
Tu genij laſciua ſoror, tu lana quietis:
Tu facis vt fontes, & opaci pumicis antrum
Solus amem, veteris qua procubat ilicis vmbra:
Quà facili lapſu raris labruſca racemis
Serpit, & amplexu ſcabros erratica tophos
Circuit: Ammineaq; leues, hederaq; ſequaces
Pictaq; Phyllitis ſuſpenſis crebra corymbis:
Capreoliſq; hirtis, lentoq; Siſimbria filo.

Tu,

Tu, quod ſola potes, leni, quibus vrimur, æſtus,
Noſque iuues, intreſque ſinus placidiſſima anhelos.

Hæc nobis nequicquam, & ſine profectu precantibus, tamen inexorabile cœlum ſtat, nullo ſuſurro, nullo ventulo commotum immurmurat. O ferreum diem taciturnitas hic vera, littus merum, vt ſcias rem nobis, & ſermonem eſſe cum ventis. non ego demens, qui ſolatiolum moleſtiarum ab auris eblandiri velim.

——Quæ nullis ſenſibus aucta.
Nec miſſas audire queunt nec reddere voces?

Quin ite mecum hinc omnes: quod à Fauonijs impetrare non poſſumus lenamentum vaporis, ab ingenio mutuemur. Curando genio, refrigerandæq; animæ vobis opportunum, à noſtra Memnoſine conquiram locum. En in albo memoriæ hic habeo deſcripta, quæ per hyemẽ hyberna frigoribus, quæ per æſtum mitigandis ſolibus æſtiua confectãda ſint. Si vultis ad apelioten iter intendere, portum laboris inueniemus,

mus, vbi miſeriarum omnium exordium adepti ſumus. Meminiſtis ne, naſcentis diei tractum illum humano generi dediſſe ſtirpem? Hinc vitæ ſemen, hinc origo gentium, hinc incunabula nationum, retro quicquid eſt à veſtibulo fęlicis Orientis, noſtrum fuit, quoad innocens fuit Pater vt eſſe deſijt; cum innocentia exſuti ſumus & patria, extra fines felicitatis exſulare iuſſi. Proh quæ vita, nondum culpa ſua mortalium hominum in illo beatiſſimo Pomario erat! vbi

Parturit almus ager, Zephyriq; tepentibus auris
Laxant arua ſinus: ſuperat tener omnibus humor:
Inq; nouos ſoles audent ſe gramina tutò:
Credere: nec metuit ſurgentes pãpinus auſtros:
Aut actum cælo magnis Aquilonibus imbrem:
Sed trudit gemmas, & frondes explicat omnes.
Non alios prima creſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies, aliumue habuiſſe tenorem

Cre-

Crediderim. Ver illud erat. Ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri,
Cùm primum lucem pecudes hauſere, virumque
Ferrea progenies duris caput extulit aruis:
Immiſſaq. feræ ſiluis, & ſidera cælo.

Nunc amiſſam natalem ſedem ob ſcelus ſuſpirare licet. adſpirare non non licet.

——Adſtat pro limine vindex
Aliger, æternus cuſtos, verſatque coruſci
Fulminis, ancipitis teli immedicabile fulgur
Illic planities tractus diffundit apertos:
Nec tumulus creſcit, nec caua vallis hiat.
Sed noſtros montes, quorum iuga celſa putantur,
Haud modicis ſpatijs eminet ille locus.
Hic Solis nemus eſt: & conſitus arbore multa
Lucus perpetuæ frondis honore viret.
Cũ Phætontais flagrabat ab ignibus axis; Ille

Ille locus flammis inuiolatus
erat.
E cum diluuies merſiſſet fluctibus
orbem;
Deucalioneas exſuperauit a-
quas.
Non huc exſangues morbi, non
ægra ſenectus,
Non libitina ferox, non metus
aſper adit:
Nec ſcelus infandum, nec opum
veſana cupido,
Non Mars, non ardens cædis
amore furor.
Luctus acerbus abeſt, & egeſtas
obſita pannis,
E curæ inſomnes, & violenta
fames.
Nulla ſuper cāpos tendit ſua vel-
lera nubes,
Nec cadit ex alto turbidus im-
ber aqua.
Sed fons in medio eſt, quem viuū
nomine dicunt
Perſpicuus, lenis, dulcibus vber
aquis.

Rectè memoriam noſtræ cōditionis, ſui conſcius animus mouet è beatis hortis, vnde nos noſtrum arcet ſcelus. Aliò flectamus. Ad leuam, quà

quà Ganges longo procul flexu, ſe ſe explicat ad auſtros, dein, quaſi conſilium mutarit, toto pondere aquarum ſe ſe exonerat ad orientem diem; Oram oppoſitu fluminis tutam, & montium ſepimentis conſeptam, & vbertate frugum, & leni ventorum aſpiratione lætiſſimam, Pygmæi tenent. ad requietem videlicet hic locus inuitat, & profugos, & feſſos. Verùm an nobis tutum hoc diuerſoriũ fore ſperemus, quod Herculi periculoſum fuit? Peragrabat orbem terrarum Hercules, acerbo Euriſtei iuſſu, reuera, odio Nouercæ. Quicquid vbique timendũ Terra peperiſſet, quicquid vnda, quicquid aër; adoriẽdum erat. Heſperium Draconem amouerat: Lybicum Anteum oppreſſerat: ſtymphalides Volucres deiecerat: Aprũ Erimanthæum ſuſtulerat: Cœlum, quoad ſenex Atlas interſpiraret, animamque colligeret, tolerauerat, nouerca cum Dijs omnibus in humeros recepta. Tum Lybia peragrata, tranſibat ad cubile ſolis; vt ſenem alterum, Auroræ Coniugem, Titonum adiret. Aeſtus erat, & calor, qualis hic hodiernus, ſummus, & moleſtiſſimus: cum & ſole peruſtus

Al-

Alcides, & puluere enectus, & de-
feſſus ex itinere langueret, commo-
dùm ad hanc, de qua dicebam, Pyg-
mæorum amœniſſimam regionem,
ignarus locorum & gentis, peruenit.
Huius facti fides eſt apud Philoſtra-
tum in Iconibus Inuitatus amœni-
tate loci, qua ſpelæum inumbratum
vndique denſiſſimo platanето, ad
vndę bellè ſonantis fontem abijcit
ſeſe feſſus, ſuppoſita claua, ſubſtra-
toque tergore leonis, ſuffultum na-
tiuo ceſpitis toro decliue componit
in ſomnum caput. Ad ſtrepitum ad-
murmurantis aquæ, ſuaſuque circũ
adſibilantium arborum, & inuitatio-
ne languoris, ſolito citiùs quieſcenti,
ſomnus altiſſimus irrepit. Corpore,
quantus eſt, reſupinus iacet, & pro-
flat maturam ex imo pectore quie-
tem. Cum forte fortuna, Pygmæus
ex more per æſtum eodem aquatũ,
aut certè cubitum deuenit. Homi-
nem videt, oppidò ſe nimiùm mul-
tò maiorem, quantum in illa Ciuita-
te neque natum, neque peregrinum
vidiſſet vnquam. Quod neceſſe fuit
ad primum aſpectum immanis cor-
poris, cohorruit, & exanimatus ex-
palluit. Nec mora poſtea quam ſe
collegit, abripit inde ſe ſe extemplo:
gran-

grandiuſculis gradibus ad Regiam recta, Regem vt vſu ſit (cum inopinatum aliquod malum nunciatur) ſine honoris præfatione compellat. fit vndique ex omnibus Vrbis vijs homunculorum cōcurſus in Curiā. Vix ſui compos, ac ne vix quidem ille narrat in medio Cætu, adſtante Rege, vidiſſe ſe portentum ingens, immane, horridum, Vbi? timor, loci nomen excuſſerat: de loco nihil expedit; ſed vidiſſe ſe iureiurando affirmat immane portentum: haud dubia vaſtitatem illam Prouinciæ futuram, niſi cum immani monſtro, toto Regni corpore certetur. Irent, (quod bene verteret) tempus arriperent, adorirentur iacentem, dum ille, quis quis eſt, altum toto pectore ſomnum trahit. Periculi fidem faciebat in ore nuncij pallor: in corpuſculo tremor, in mentis æſtuatione ſilentium; Neque mora fit. Bellum decernitur: indicitur tota vrbe delectus: iuſtitium iubetur vt in tumultu: vacationes tolluntur: itur ad ſaga. Iuuentus cogitur prima ſub ſignis omnis, & numero fortaſſe maior, quàm cum bellum inferunt grues: exercitus ex Iuuentute con-

ſcri-

ſcribitur: citantur ſenes: connocantur cauſarij: pueri centuriātur vires vndecunque contrahuntur: ex omnibus triginta legiones euocatorum, & puberum ſcribuntur: ijs viribus occurri, remque publicam geri placuit. Iam è portis mouetur agmen: iam ad templa matres crinibus paſſis confluunt. Itur ad locum, vbi compoſitus Hercules iacet. Inſtruitur acies. Læuum cornu Regius filius dexterum Regis Pater, mediam aciem poſt principia receptus inter aquilas Rex, frœnato Muſculo vectus, tenet. Inuadunt vndique ſtertentem: alij pedes, alij latera, alij caput oppugnant. In tanto periculo conſtitutus Alcides, vt ipſe poſtea Tithono narrauit, ſibi videbatur ad Troiam cum Laomedonte manus conſerere. Inter hæc, vt ſæpe fit, cũ aliquid ſimile nobis obuerſatur in ſomnis, manum quaſi ſagittam in Laomedontem ex arcu Tirinthius expelleret; cubitum læuum, & dexterum deducens confertam Pygmeorum pubem, quàm longè brachia promonerat, diſſecit hinc atq; hinc, ac vaſta corporum ſtrage reſupinauit. Inſtant nihilo ſegnius
nec

nec dum ſenſit Hercules exitium ſuum: & iam admotis bipalmaribus ſcalis ad caput, vtramque ceperant aurem manu promptiores iuuenes ad ter mille. Diſcurritur videlicet per aurium labyrinthęos meãdros, ac facto agmine, cum ad intimum tympanum penetraretur. Alij longo temporum ſpatio tranſmiſſo, iam ad nares, tanquam ad Arcem, ex impetu properabant. Vident latos duos meatus occupant aditum, introque penetrant ſe ſe, quantum poſſunt. quid quæritis? cum influeret vndique multitudo, iam enim & qui ceciderant, ad victoriæ ſocietatem aduenerant, introrſus, vt adſolet cum quid cerebrum tangit, inſinuantes mil tum globi proritant ſternutamentum dormienti, nec opinato. quo illi impetu proiecti foras & ad terram colliſi ſunt; Hercules cum ſternutaméto ſomnum abiecit. Euigilat, aſpicit toto corpore palantes, homunciones. quid faceret? riſit. & ſatis num, inquit, viui ſumus? quàm prope ſummum diſcrimen aduimus. Papè hoc aliud negocium eſt, quàm Anteus, & Aetolicus Apdr. Hoc

dicto

dicto manibus ambabus, Pigmæorũ multitudinem omnem complexus, & in vnum quaſi manipulum collectam, Leoninum in Velluſconijcit, & impoſitam humeris aſportauit. Quo? neſcio. dicat Erathoſtenes, qui ſe vidiſſe narrauit.

PROSA XIII.

COENA

Dubia

Dicta in triclinio Collegij Romani menſe Iulio 1614. vbi nouos Magiſtros inſtruebat.

MVLTIPLEX argumentorum ſilua, quā mei mihi muneris ratio ſubminiſtrat iu hunc diē, ne me conturbet, & obruat multitudine rerum, cum huiuſce loci, quo conuenimus, nomen, tum nobilis veterum epularum cōſuetudo facit. In Cænatione conſedimus. Micitij Lacædemonij verbo, gymnaſium epulare frequētauimus, vbi, quibus minus quàm vobis cor ſapit, palati iudicium acutius, aurium eſt ſenſus obtuſior; coquus Rhetor eſt ventris; ſed vobis Rhetor coquus eſt men-

tis. Palati magiſter, eſcarius Sophiſta viderit ipſe, quid afferat de penu ſuo: me certè vobis aurium eruditiſſimo iudicio præditis cœnam debere ſentio non ineruditam, & quæ planè concire poſſit mercurialem ſaliuam. Cum tamen reſpicio me ipſum, nec me meæ facultatis pœnitet; & inopia cum in copia laborem: quid vobis potiſſimum apponam, neſcio. Velim ad ſenſum veſtrum ſtruxiſſe cœnam: velim à me bellè vobis eſſe, lauti, lentique ſtomachi prætentare locum, conuiuarum guſtum ſollicitare, ſolemni ſorbillationum aliquo procemio cō ſueuerunt, qui doctius, hoc eſt vnctius. cœnitant, quàm nos, Id primùm non ignoro: ſi mos placet: agite, ſultis: perluſtrate mecum non penuariam, ſed librariam apothecā meam, cui nomen, Hermathænę fecimus: prægustate, ſi quid forte vobis apud me peruellere ſupinam appetentiā poteſt. Habeo, quas opiparè ſi velim, apparare poſſim, Sybariticas cœnas: habeo Campanicas à Seplaſia, quas meliùs neſciſſet Annibal: habeo Hieronycas à Syracuſis. hic erectos quadrupedes in priores calces, atque ad tibiarum

nu-

numerum ſaltantes equos: hic depræliãtes in menſa cum ſimiolis pumiliones: hic inter Pygmæos ſoporatum Herculem, eoſque toto dormientis corpore perreptantes, quaſi rotundos culices abigentem cum cerneretis: ſplene carere vos dicerem, ſi riſum continere poſſetis. At ſi Romanorum conditio potior videtur; eſt apud me, quod Lucullus, togatus Xerſes, apponat ad Apollinis: quod Sextius ad Caſtoris, Gallonius in Grauiſcis; Apicius in Carinis. Quanquã nunquam vobis author ſim, vt tam acipenſerem Gallonij, quàm Apicij meleagridem laudetis: neque tam Sextianos Saturiones, quàm Lucullanos Dipnoſophiſtas. Inter laudatiſſimas cœnas alij nominant lautitias Cyclopis, in quas nihil coctum inferri mos fuit. alij Circæas, vbi Grunnio Porcello notario Grillus Maialis ex Elphenore teſtamentum faciens Vlyſſem ex aſſe ſcribit hæredem. Penelopæ verò legat ſiliquam ſemeſam, & caſtaneas nuces duas. Alij nouendiales, & Exquilinas, in queis ſalem, & ſalinum nominari, nedum attingi, religio erat. Alij Cyprias, alij Rhodias, alij Sidonias, & Alexandrinas.

Harum leges erant: quibus cauenbant, ne quis idem verbis eiſdem bis diceret: è ferculis bis ſumeret: qui ſecus faceret: idē ſemper ſumeret, & ſileret. Ne quis verū diceret; qui diceret; mēdaciſſimus haberetur. Ne quis cæteris doctior haberi vellet, qui vellet; in aſini auriculas inſuſurraret præcepta doctrinæ. Ne quis ad acutulas quæſtiūculas inſulsè reſponderet, cuius reſponſio fuiſſet inſulſior; ſextarium aceti ſorbillaret, pugillum ſalis obducere cogeretur. Sunt & in honore Laconicæ, quas Catonianis darem libentius, in his tria verba præter propter elapſa, ſyllabatim punita verberibus reuocabantur. Sunt & Ceramicæ, ſunt & Panatheniacæ, ſunt & Corinthiacæ, totam Atticam, totam Helladiā peruagatæ, quas Athenis primum Solon inſtituiſſe dicitur ad alenda Iuuentutis ingenia, vt, cum inuitatio vini fieret more Græcorum; vnà cum lyra poculum cum acroamate poſceretur: vbi cum lyram recuſaſſet Themiſtocles; habitus eſt indoctior. Non nemini placuiſſe video Surrentinam, & Arietinam Trimalcionis apud Arbitrum, ad volubilis Sphæræ vertiginem epulas inferen-

tem,

rem, quas quiſque cuperet, & docto ſermone ſuper ſtellarum aſpectu poſituque meruiſſet. Celebrantur prę-ter hæc, Ambaruales Ruſticorum, Politiæ Saliarium, Libitinariæ, Funebres, Cereales, Gymnicæ, Victoriales, Subitaneæ, Pæanicæ, intempeſtiuę, pugilicæ, liberales, perpetuæ, peruigiles, prægustatoriæ, Mineruales. Ex his liberales, & Mineruales iucundiſſimæ præter cæteras in puberum gratiam celebrari ſolebant in Camœnarum luco: quã obremCamœnales etiam vocabantur. Hic, vbi Mineruæ, Muſis, Gratijs, Magiſtri cum diſcipulis anno vertente ſub hyemem operati fuiſſent: viciſſim Auditores, & Doctores, vt quiſque promptiſſimus eſſet, ad ingenij ſpecimen in doctrinæ periculum ad extemporale certamen carminum prouocabantur: exacto ludicro Magiſtris annuum ſtipendiũ numerabatur: quod dixere Minerual: Sacra Minerualia dicebantur. Ad hæc inter commemorabiles cœnas habentur Sympoſia Sapientum, cuiuſmodi ſunt apud Platonẽ Gnoſſia: apud Xenophontẽ Attica, apud Dephilum Delphica, apud Ariſtippum Cyrenaicum Panathenæa. Pa-

trum quoque noſtrorum memoria, cum Beſſarionem Cardinalem Virũ doctiſſimum audiſſet Florentiæ, de Platonis ingenio diſputantem Vir omnium Muſarũ, & horarum Laurentius Mediceus, veteris Græciæ more reuocato, Platonis inter eius doctrinę æmulatores anniuerſariam laudationem inſtituit: doctorũ conuiuia compleuit: munera miniſtrauit: in multam noctem vigilias produxit: quæ Sympoſia Laurentilla Ficinus, Florentina Cælius, Medicea Politianus, Platonica Iouius nominauit. Quæres: quod erat in hiſce Sympoſij cœnæ caput? Sermo bonus: qui laudibus efferret bonos: qui perſtringeret neminem: qui virtutis ſuccum, & colorem duceret, qui poſtridie delectaret, quem euomere non eſſet neceſſe. quid? à Gymnoſophiſtis, & Indis nihil afferimus? Immo vero multum. hæc eſt Cæna, quæ Thyrſus vocabatur, vbi diſciplina Temperantiæ iucundis diſſimulata cauillis, aciem Sobrietatis in ebrios exercebat. nihil à Perſis? quibus paupertate magiſtra, ructare turpiſſimum erat: panis edulium, naſturtium obſonium, condimentũ fames? nihil ab Aegyptijs, & Chal-

dæis? quorum epulas mortis meditatio condiebat? nihil ab Amaſenis ac Scythis? qui nihil addebant ad ſecundarium panem, præter præconia virorum fortium, & quod eniq; ſagitta retuliſſet? nihil ab Agathyrſis? nihil à Spartiatis? ſuum illud ius nigrum Syracuſanis, atque Alexandrinis delicijs, curſum ab Eurota; ſudorem à venatu, puluerem à gymnade, ſanguinem à pugillatu, dolorem, gemitum, ſitim, æſtum anteferentibus? vt apud Ephoros in epulo publico magnifice gloriari liceret Senibus, & illud in ſinum iuuenum, puberum è Choris certatim vſurparent adhortationis telum:

Olim iuuentutem nos ſtrenuam egimus:

Fortes ſumus & nos: fac ſi vis periculum.

Vobis nos erimus præſtantiores plurimò.

Quid Pithagoreos ne prætereundos putatis? Ego vero nec Druidas: apud quos pueri poſcam; quoties poſcerent, aut frigidam biberent (vinum enim interdicebant) toties è magiſtrorum præceptionibus me-

moriter exponebant, quid de virtute, quid de Republica, quid de Religione ſentirent. Age nihil ne ſtructor afferet ex Pherecyde? nihil à Panætio? nihil à Menippo? nihil à Varrone? nihil à Plinio? quorum Pherecydes nunquam commeſſatiõ introductus, nunquam ad triclinium acceſſiſſe dicitur, interdiu, noctuque ſemper aliquid ex alta taciturnitate meditatus: ad reficiendas vero corporis vires, medicatis quibuſdam oſellis veſci ſolitus ſtans, & inter agendum, atque inambulans: quas ille ſibi Gratias confeciſſe dicere ſolebat. Panætius autem aquam è præterlabente riuulo deſumptam (abſtemius enim erat, nec doctior Philoſophus, quàm elegans orator) Deorum nectare diluebat: hoc eſt ſaluberrimis ſapientiæ ſermonibus temperabat. Hæc enim omniũ tum erat de Panętij facultate ſentẽtia. Menippus vero meus, in Margite meo notiſſimus, & Romanus Varro Menippi perdiligẽs imitator, & tanquam ex eodem ouo excluſus, conuiuia Deorum in cauponulis obibant: vel, vt dicam planius, nobiliſſimos quoſque Philoſophiæ locos Aeſopicis fabellis, & Suburranis

pro-

prouerbijs inter ſapientum epulas explicabant. In Plinianis poſtremo cænulis non cænis, in pomeridianis, atque veſpernis Spurina Poeta compotor, anagnoſtes conuiuij magiſter erat, & dictator ſui iuris, & ex lex: vt etiam ſi quid in Acroamatis recitatione peccaſſet; id nemini neque reuocare, neque corrigere fas eſſet. Iam Iouiniani Pontani fortunæ beneficio Neapolitani, naturæ genere Sabini, colluſore Sanazario oliſcum (ludi genus hoc in poculo) Alexandri geniales dies, Agellij noctes Atticas, Athenæi Dipnoſophiſtas, Macrobij Saturnalia, Calpurnij Repotia, Sereni Megaleſia Liuij Conſualia, Claudij Tarentiua, Lucilij Pretutiana, Lelij Præneſtina, Laureæ Suburbana, Metij Tyburtina, Albinouani Formiana, Alcynoi Phocæa, Theagenis Delia, (ſi quis veſtrum ignorare me credit; is iam vetulum Rhetorem nimis hoſpitem in Calepino putat.

Quod ſi ſecluſis Grammaticis, & Rhetoribus, Hiſtoricis, & Poetis, Philoſophis, & Sophiſtis, Ardelionibus, & Tippulis, quos nimis vendibili titulo nuncAcademicos, & Vniuerſales notant; Theologos tantum

cænatum intromittere volemus. Adeo ne vel ſurdaſtrum me, vel indiligentem eſſe ducitis; vt apud Ordinis noſtri viros doctiſſimos eruditus, Aſſyriam Aſſueri cœnam, dapes Amano Macedonio capitales, lectulos Salomonis eburneos, & cōchiliatis periſtromatis ſolium, &, vt ille ait, *media caritate conſtratum*: epulum, & ænigma Sampſonis: Trium puerorum vegetando ſanguini quæſitam aquulam, & legumen, Iuditte ſportulam, armum Saulis, auguralem Ioſephi ſcyphum, Ionathæ virgulam melle contactam. Fugienti Dauidi ſacros panes appoſitos, mel, & locuſtam Ioannis: vinum ex aqua refectum à compotore Deo non aſpernante mortalium nuptiale ſacrum: & ſuum deinde Corpus, ac Sāguinem alendæ virtuti præparatū ad immortalitatis ſaluberrimas, ac ſalutares dapes, hæc, inquam non nouerim, non audierim, non legerim aliquando? Ego neſciam naſcētis Eccleſiæ Synaxim? Ego Solymorum promiſcuè cum gentibus communicatas dapes? ego Lyſtrienſium Sodalitates, ego Corinthiorum Agapes? ego Philadelphię Collectas? ego veterum Alexandrinorum ex Marci di-

diſciplina longiſſimis ieiunijs exhilarata conuiuia noſtrorum, quæ fruſtra traſcribere conatur ad ſuos hebræus Philo? Si verò perſequi longius memoriam temporum voluerimus, quàm vberem, & quam vitalem nobis Cæleſtis ſapientiæ ſaginam Pammeas, & Clemens, Epiphanius, & Cyrillus, Gregorius, Baſilius, Chriſoſtomus clariſſima Theologorum lumina ſuppeditauerint Athenis? in illo ſuo ſacrarum literarum otio ſuburbano nunquam commentationes, niſi poſt ieiunia: nunquã accubationem epularem, niſi poſt ſacra repetentes? Vt autem ad Latinos veniamus; Anicios, & Symmacos, Olybrios, & Probos, Oceanos, & Pammachios, Sidonios, & Theodoros, Hieronymos, & Ruſticos, omnium literarum humanarũ, & diuinarum genere limatiſſimos, elegantia morum, ingeniorumque ſimilitudine, ceu, blanda conciliatricula coniũctos plurimum ætatis in conuictu, plurimum ſuauitatis in conuiuijs exhauſiſſe, ſi quis eſt veſtrum, qui neſciat, nunc demũ ſciat: ſimul vnam tantorum virorum cœnam, vel noctem eruditiſſimis caſtiſſimiſque ſermonibus traductam om-

nibus Sextianis iocis, & Lucullanis epulis anteponendam putet. Neque vero me minus, imo vero multo magis conuiua delectet Auguſtinus tum, cum è ſacro fonte recentiſſimus, & ſpiritu diuini numinis imbutus in Academicos acutiſſimum ſtylum diſtrinxit, & veteres amicos Alipium, Licentium, Fortunatum, in otio primū literario temperatiſſimos conuictores, deinde ſapientiſſimos in ſacrorum adminiſtratione collegas habuit.

Hæc apud me ſunt veterum inſtrumenta Cœnarum ex antiquitatis penu, quarū, vt videtis aliæ graues, aliæ facetæ, nonnullæ mixtæ ſunt. Ex his quicquid vobis ſaliuam in linguam deduxerit, quicquid appetentiam incitare poteſt, apponetur à me nec illiberaliter, nec auarè. Super omnia vultus accedent boni, prolixus animus, explicata frons, diſcincta liberalitas, & cōuiuijs apta feſtiuitas, ſine ſupercilio, ſine fuco; cultus autem qualis eſſe videlicet Sabinorum ſolet, diligenter indiligens, & ex vero, nullis adhuc vrbanis moribus contaminatus. Faxo, niſi vos pertæſum eſt antiquitatis, vt robuſtiſſimos illos legionum Ro-

manarum Duces Curios, Fabricios, Coruncanos, Papirios, Cincinnatos allium olentes; & ad focum de Rep. diſputantes minimè deſideretis. & quæ mei quidem ingenioli ſit ſupellex, videtis, ea tametſi non eſt tanta, quantum aurium profundi gurgites eorum infinite ſitiunt; quos helluones librorum dicere ſolemus; tamen illorum animos non iniucundè tenebit, quos apud alios non piget recognoſcere, quæ nouerunt. Nimis delicati faſtidij eſt inſolita ſemper & inaudita diſquirere, Sanis ingenijs, integris animis, quãuis ingeſta millies nunquam doctrinæ præcepta coaceſcunt. Illud in ſumma quod & poſtremum & grauiſſimum eſſe arbitror, etiam atque etiam profiteor, ac diſerte ſpondeo, quicquid de meo contulerim in cõmunem vſum; me nihil recuſaturum, quominus vt leuiſſimum auribus reſpuatis, niſi planum fecero, meum de rebus eiuſcemodi iudicium, nec à veterum authoritate Rhetorum, nec à conſuetudine noſtrarum Scholarum, nec à noſtri nominis dignitate, nec à præſcripta docendi formula diſcrepare, quam Magiſtris noſtris è callido talium

re-

terum vſu Patres prudentiſſimi cõdiderunt. Fateor, alias aliter ſentiebam, nec mirum: eram mei iuris in docendo, Moderatorum noſtrorum permiſſu vagus, ac liber. Exultantem Iuuentutis impetum ijs dumtaxat finibus continebam, quos viua vox, non ſcripta lex, & Collegij Romani peruetus diſciplina mihi meiſque deceſſoribus poſuiſſet. ita docuerunt ante me, viuo adhuc Parente noſtri Ordinis Ignatio, Fruſius, & Pererius: Ita deinceps Cardulus, & Perpinianus, ita Turſellinus, & Bencius, ita Marſilius & Raynaldus, ita Guelfutius, & Bandinus, ita Scottus, & Bozius. Quorum ego Rhetorum elegantiſſimorum locum aliquandiu tenui, facultatem admirari ſoleo, laudem aſſequi non poſſum. Ab his accepta ceu lampade, doctrinæ curriculum confecimus eadem lege, non fama; liberum quidem nacti campum, quo ſe noſtra iactaret audacius, ac deſudaret induſtria: ſed maiore videlicet cum labore, minore cum fructu. Quoad indicto demum conuentu prudentiſſimorum aliquot virorum, qui tum è noſtris hominibus literariæ rei magnum præter cæteros

ros vſum habere videbantur; ſub ipſum exitum noſtri laboris, excogitata per illos ratio, & literis conſignata præceptio eſt, quam in Collegio Romano ad multo maximam partem ſuperiorum temporum vſus oſtenderat, poſteriora retinere non poterant, niſi mos in legem, vox in ſcripta tranſiſſet. Quare cum egregiam doctrinæ formam, cum exploratiſſimam, & domeſticam habeamus ad manum; ſtultum eſt inuenta noua comminiſci rudimentorum, vel peregrina conſectari, quæ nemini, quàm tibi notiora ſint: Ex hac proinde præceptorum officina meus ille vagientis ſapientiæ publicus educator exiſtet, ille ſalutaris, ille felix Reip. Magiſter hãc à me limam expectet, cuius animus verè diuinæ gloriæ thyrſus attigerit, qui enitatur ad laudem, quem cupidiſſimè Ciuitates expetãt, vnicè diligant, adoleſcentes ambiant, obſeruẽt, æmulentur, deducant, reducant, colant: cui ſe plurimum debere Reſp. fateatur: quem ſi videret Socrates, Deorum interpretem è Cælo delapſum, & alendum in Prytanæo diceret. Hæc itaque me non dubiè pollicentem, & præ-
ſtare

ſtare meditantem, quæſo vos PP. quonam potiſſimũ pacto me vultis agere? ſubtiliter, an amplè? leniter, an concitatè? grauiter, an iocosè? Nam ego quidem ſiue frequentiæ veſtræ dignitatem intueor; ſiue rei, qua de nobis hoc tempore diſputandum eſt, naturam conſidero; ſiue meam ætatem, facultatemque animaduerto; ſanè diſtrahor in ancipitem animi curam, & quem iniri præſtet curſum orationis; adhuc conſtituere non poſſum. Primum omnium veſtrum expectatio multò, quàm alias, vt mihi quidem videtur, erectior, celebritaſque frequentior, ex vario iuuenum, virorum, ſenum flore collecta magnam mihi dubitationem affert; an dictionis feſtiuitatem perſequi debeam ob iuniorum ſuauitatem, & indolem, quibus vt hilarior cum integritate ſanguinis, ingenij iuuenilis felix illa ſpirat alacritas, ita ſuaſu naturę quodã ſemper omnes æquiores, ac faciliores ſumus, vt illis merito, ac iure ſuo iucundioris orationis quædam quærenda videatur amænitas. An grandiorum grauiſſimis moribus potiùs obſequendum eſt? in quibus hilaritas propemodum

dum omnis partim naturæ refrigerato calore deferbuit, partim matura virtutis tempeſtiuitate conſenuit. Aetatum pugnantia iudicia, diſcrepantiam ſtudiorum videtis. Hic ego dubio tanquam æſtu deliberationis interceptus, amabo vos, vtram in partem declinem? animis Iuuentutis obtemperem? at in ſapientum comitijs grauior, & prima prærogatiua ſenum eſt. Equidem quod ad me attinet, vt eorum authoritati plurimũ arbitror tribuendum eſſe; ſic omnes offenſiunculas animorum, & ſuperciliorum illas nubeculas haud ſane mediocriter pertineſco. Quid ſi deflectam ad mœſtitiam, & ſeueritatem, & ita me comparem, ita vultum & cultum grauitatis effingam, omnemque geſtum ac vocem ad ſenſum ſuperioris ætatis accommodem, vt nihil omnino commodioribus ingenijs concedendum, nihil inſeruiendum exiſtimem auribus iuniorum? anceps alea, periculoſum incœptum, locus lubricus. Ita ne vero? morem eorũ voluntatibus geſtum nõ eſſe à nobis, quorum vt ingenia formare poſſis, prius tibi ſtudia demerenda ſunt? illos offendas, quos ad tuam

ab ſen-

ſententiam traducere coneris? Viri vero, qui ſtata iam ætate ſunt, quid à me potiſsimum exigant, audirem ab ipſis libentius. Equidem illos vt æquales meos, dubij ſanguinis, ancipitis ingenij, varij ſtomachi eſſe arbitror; coniecturam enim facio de meo. Quos quidem inter iuuenum & ſenum fines interiectos naturæ vena deceat eſſe, quàm ætatis vtriuſque participes, tam propenſionis neutrius expertes; tanquam in elemẽtorum finibus propinquorum contagione corporum inconſtantiam affectionum, varietatemque videris, huc, illuc ſæpiſſime relabi. Iam verò res ipſa, quam præ manibus habemus, medij quodammodo ſaporis res eſt, & nullo certo fine concluſa materies, quaſi ceræ tractabilitas, quicquid inſtitueris, ſequitur ad manum. Elementariorũ puſionum incunabula, ſi reſpexeris, in re ludicra iocari facetè, cum pueris repueraſcere, ne Socratem quidem vetuiſſe dixeris. Sin animum ad illa deinceps ornamenta laudum, & rerum emolumenta retuleris quæ de leuiſſimis hiſce ducta principijs ad omnes vitæ Reique publicæ partes vberrimè iam redũ-

da-

dant; omnes Licurgos,& Solones, omnes Maximos & Numas, ſententiarum grauitate ſuperabis. Igitur argumentũ quoq; medium eſt, inque dubio prudentiæ iudicio conſtitutum. Quod ætas poſtremo mea, quod facultas & ratio ſtudiorum meorũ requirat à me dictionis genus, dicet hoc dubia canitie reſperſum, nec dum in totum ſenili mœſtitiæ damnatum caput. Neq; verò capilli ſolum color, ſed etiam ingenij nõ dum planè ſeneſcentis, & crudæ ſenectutis calor, & ſenſus & impetus magna ex duarum ætatum affinitate diſſimilitudines, & varietates contrahit, ſententiarum cogitationum, imaginum, affectionum, morum; meque quoties opus ſit, non inuitum nunc aggregat ad ſenes; nunc non illibenter in partem ætatis alteram inuitat, vtroq; ſemper propenſum, atque ex tempore, quocunque flatus impulerit, appellere paratum. Ita quibus ex rebus omnem decori vim artifices dicendi, ducere conſueuerunt; eæ numero cum ſint omnino tres, omnes hoc tempore anguſtum in locum adducunt deliberationem meam, Auditorum diuerſa dignitas, Argumenti

libe-

libera tractatio, Diſcolor ætatis, atq; incerta facultatis in dicente varietas. Conſilium vnum, vt video, reliquum eſt, vt rem omnem veſtri ſuffragij malim eſſe, quam mei: ſi quidem meæ non vitæ magis, quam orationi veſtra moderari debet authoritas. Imo vero, quoniam, vt demonſtrauimus, nobis omnia media ſunt ad hanc actionem, quid melius eſt, quàm vt naturæ congruenter ſentiamus & dicamus? Itis in ſuffragium? vultis hoc Iuuenes? vultis hoc æquales mei? vultis hoc ſenes? taciti, niſi fallimur, annuiſtis. Igitur (quod bene vertat) ex vtroque colore mixtum, ac temperatum perſequemur orationis genus; verum ea lege perſequemur, vt neque ſenes omnia grauiter, neque iuuenes omnia iocose dici velint; reſpiciãt ætatem quoq; meam; meminerint, nihil inuita, quod aiunt, Minerua, eſſe faciendũ. nemo mihi ſit nimiũ ſtudioſus ætatis ſuæ, remittat alteri libenter, quod ſibi non datum viderit; nemo me totum ſenem, nemo me totũ iuuenem ſibi depoſcat: nemo nullum alterius ætatis pilum in me relictũ velit, edico, tam ſtolidè facilis haberi nolo.

non

non ille ſim ex Apologo ridiculus, quem exaduerſo depilari patienter puteris. Eo loci deuenimus, vbi fabellæ bella feſtiuitas in fine conuiuij commendari ſolet. hæc igitur ſurgentibus tanquam apophoreta ſint, quæ auferatis domum. Apologum in rem noſtram in fine narremus.

Homulus confirmatæ iam ætatis quidam fuit, medius inter iuuenem, & ſenem. Huic quemadmodum mihi diuerſum erat, atque infectum caput, albo nigroque crine diſſeminatum, adeoq; dubie diſperſum, vt internoſci difficile negotium eſſet, vtrum ad ſenes, an ad iuuenes ablegandum putares. Is duas eodem tempore duxerat vxores, alteram ætate integra adoleſcentulam, ſanè dicaculam, & procacem: confecta ſenectute, planeque depoſitam alteram, edentulam, exuctam, emortuam tuſſi, quæ quoties excrearet, toties gingiuarum iacturã aliquam faceret: quid quæris? ea plures iam in manu pollices, quam dentes in ore numerabat. Quanta nimirum annorum, tanta diſſimilium erat in fœminis diſcrepantia voluntatum. Inuidioſam vtrique fecerat ætatem

vi-

viri dubia capitis diſſimilitudo, vetulam niger, albus capillus offenderat adoleſcentulam. Hæc ſenectutis, illa iuuentutis veſtigia delere cupiebat; fugientem à ſe viri ſpeciem reuocabat altera, morantem ad ſe altera prouocabat. Quid accidit? quotidie, quæ viri minime mali facilitas erat, vtraque mariti caput in gremio ſuo collocabat, album adoleſcentula crinem, nigrum quemq; vetula diligens alte depreſſis vnguibus extirpabat. medius ille cum gemitu deſticabat, videlicet vt ſorex. Ne multis, dum odioſę tonſtriculæ nullum faciunt vellicandi, & interuellendi modum, ille plumbeus breui piſtillo leuior, & toto capite depilis trāſit in familiam Glabrionum, tam nudus ac glaber, quàm hæc palma glabella eſt, quàm Philoſophi caluaria glabra fuit, ad quam aquila teſtudinem demiſſam ex vnguibus, tanquam ad album ſilicem alliſiſſe dicitur. Ridetis? hæc pro me de vobis fabula narratur, & ſi nunquam ſpeculum conſulo, noui meum caput ambiguum, noui vos vngues habere; nihil eſt cauſæ cur experiri velim ſi quid vobis diſplicet in me, leniter quæſo,

ac

ac leuiter, & ſuſpenſa manu excipite, quod ſilentio feram. Sin quid agitis inclementiùs, exclamo.

Hui pecte ſilices: ferreos vngues habes.

Sat prata biberunt.

Bene mihi, bene vobis, bene bonis, bene amicis.

PRO-

PROSA XIV.

C. MECOENATIS TESTAMENTVM.

Dicta in Triclinio Coll. Roman. an. 1615. cum nouos Magiſtros inſtituere aggrederetur.

C. Mecœnatis Equitis Romani locupletiſſimi Lemonia Teſtamētum è Veſtalium tabulario deprom-ptum.

Ain tu verò? Teſtamentum nobis in cœnatione recitabis? quid ita ni? quaſi vero nouellæ conſuetudinis ſit in triclinijs meditatio futuri. Poetarum quidem Agonothetas ad Elæum in proximam Iſthmij certaminis olympiadem recentes à vino Græci Iudices ſubrogabant. Laniſtæ gladiatorij ludi magiſtrum, is, qui rude donabatur, inter pocula legebat. Idem Palæſtritarum, idem

Petauriſtarum inſtitutum fuit. At iſta leuium hominum exempla ſunt: inquies. Igitur, ſi vultis, audite grauiora. Copiarum Duces apud Spartiatas, quem ſibi ſuccedere voluiſſent, in militari poſt victoriam, epulo, præeunte Tibicine patrio carmine ſalutabant. Areopagi quoque ſummum conſilium Athenis, inſtituto Solonis inter epulandum legebatur Mineruæ quinquatribus in Pritanæo. aduerſus Ageſilaum, Lacedæmoniorũ ducem lectus à Thebanis Epaminondas fuiſſe dicitur, & conſalutatus Dionyſijs lætiſſimo dierum. Quid Sapientum ſcholæ? quid? noris vnam: noris omnes. quibus ſolemne fuit in Sympoſijs Auditorum Deceſſori ſufficere Succeſſorem, antequã ſupremus occuparet dies. Sic Leõtinus Gorgias in conuiuio coronatus inuitatione facta more Græcorum Gymnaſij magiſtrum Traſimachũ dixit. Traſimachus Theopompũ ſcripſit hæredem: Theopompus Iſocratem. ſic (vt à Sophiſtis abeamus ad Philoſophiæ duces, barbatos ſenes) Archelaus Socrati, Socrates Platoni, Plato, Speuſippo, Speuſippus Xenocrati, Xenocrates Polemoni Ly-

cæi tutelam, Prouinciamq; legauit. Neque verò veſter Ariſtoteles ab hoc Platonis more defecit, ſi deſciuit à Schola. Qui, quemadmodum Peripati lampadem ad moriendum vicinus Theophraſto tradiderit: quoniam hic ſumus; accipite: digna res eſt, acutiſſimi Philoſophi ſua ui- tatem quoque condiſcere. Is enim annos natus facile duos, & ſexaginta, cum ob affecti corporis ingraueſcentem ætatem, atque incommodam valetudinem in tenui, dubiaq; ſpe ſalutis eſſet: Ariſtotelæi Iuuenes adeũt eius æmuli doctrinæ iam penè cum morte decernentem ſenem. Obteſtantur per Philoſophiæ ſacra, nominatim vt ipſe iam deligat Peripateticæ familiæ Ducem; quo ſuorum moderatore ſtudiorum poſt ſummum eius diem vterentur ad reliquæ curricula doctrinæ. In eo tum ludo, quos idoneos facilè diceres, nequaquam pauci numerabantur. Ex ijs omnium conſenſu præcipui cenſebantur duo: qui facultatis vel expolitione, vel copia, longè cæteris anteſtabant: Theophraſtus ex Inſula Lesbo: Menedemus ex Rhodo. Obſecrantibus reſpondet Ariſtoteles, quod tanto-

pere

pete contenderent; id ſibi curæ futurum: irent, vbi tempeſtiuum foret, redirent. Dies aliquot interfluxerant: promiſſi fides non apparebat: & ille vetulus iam ad vitæ metã, prono videlicet impetu properabat: circumſiſtunt frequentes, modeſtè promiſſa reflagitant. Hic ille renidens, tanquam aliud ageret; Vinum inquit, quo nunc vtor, aſperum & inſalubre nihil ad meæ valetudinis imbecillitatem facit, aliud, ſi ſe ſaluum velint, exoticum quærant, vel rhodium, vel lesbium, vel vtrunque, quod è valetudine videretur. Abeunt, diſquirunt, inueniunt, inuentum ad ægrum afferunt. Hic ille nixus in cubitum rhodium poſcit: deguſtato; papè firmum vinum, & iucundum, inquit. Cedo dum lesbium. oblatum cum delibaſſet; oppido reuixi: ſapè perbonũ vtrunque: ſed ἡδίων ὁ λέσβιος, illabitur in venas. Quo dicto facilè, qui aderant: intellexerunt, à ſummo Philoſopho non tam vinum ex Lesbo, quã ſcholę Principem optari lesbium Theophraſtum, hominem ingenij facultate, ſuauitate morum, eloquẽdi diuinitate mirabili: quod ipſum cognomen illi peperit Theo-

phraſti. Videtis igitur, non ſolùm in cœnationibus, ſed etiam in cœnis, & quidem à ſapientibus teſtamenta recitari, & confici conſueuiſſe, quorum exemplo deſipere nobis prope pulchrius eſt, quàm ſapere cum indoctis.

A diuerticulo repetatur fabula longo.

C. Mecœnatis teſtamentum, viri bonarum litterarum, ſi quiſquam alius, cupidiſſimi, cui non immerito Gratiæ parentaſſe perhibentur, M. Bebij Tabellionis manu exaratum, è Veſtæ ſcriniolis depromo procemij nimirum loco, quod anniuerſarius Inſtitutionis noſtræ labor, efflagitat in hunc diem. Hæc equidem apophoreta meis amicis in cœnatione libentiùs dederim; non quem ex Arabia puluerem ad læuorem, nitoremque dentium amiculis compotoribus miſſitat doctus ille Pythagoræus ex Aſino Mileſio regreſſus ad hominem.

Miſi, vt petiſti, munditias dentium:
Nitellas oris ex Arabicis frugibus,
Tenuem, candificum, nobilem puluiſculum:

Com-

Complanatorem tumidulæ gengiuulæ:
Conuerritorem pridianæ reliquiæ:
Ne qua viſatur tetra labes ſordium:
Reſtrictis fortè ſi labellis riſeris.

Alia noſtra res eſt: è Romanis mũditijs lautitiæ meræ meracißimæ Mecœnatianæ. Regia dona, præmia doctorum, hominis iucundiſſimi ſermo diſertus, natiuo lepore dulcis, & affluens, & cui meritò proœmium honoris, voce Præconis præfari velis. *Fauete linguis*. quæ prima laus eſt vt huic erat exquiſita ſuauitatis ſecura ſedulitas; ſic diligenter indiligens: nihil acceerſitum long ius, nihil elaboratum, nihil aſperſum à myrothecio Rhetorum, nihil ab arculis, ac lecytis Iſocratæis; vbi ficus ſuo nomine ficus dicitur, & panarium, panarium: Id enim decet maximè, vbi ſeria res ſeriò geritur, non in ſcena luditur: vt apta ſit orationis forma rebus, ſedata, facilis, expedita, verecunda, ſermoni ſimilis, & Sophiſtarum incorrupta delicijs ſine toru-

rulis, ſine lacinijs, ſine calamiſtris: nullis in orbem circumducta ſententiarum anfractibus, nulla numerorũ rotunditate volubilis: at ſpontè profluens, & crebriùs anhelans: & (ſicubi licuit) acquieſcens; vt quæ curam hominis oſtendit ægri, iam, iamque morituri, de verborum lenocinijs minùs, quàm de rerum ſententijs laborantis, & teſtamento rem ſuam ad ſuperſtites referentis. Sed quid pluribus opus eſt verbis? Vos animum à me parumper auertite. Mecœnatem ipſum amiciſſimè doctorum hominum commodis conſulentem loqui putatote.

Poſtquam ex diutina vigilia maceratus, ac languidus C. Mecœnas, ille Poetarum Deus, ob vitæ ſuauitatem cognomento Felix, ad Medici pręſcriptum ante meridiem ſumpto cibo, paululum interquieuiſſet, conuocatis in ædes Aemilianas, vbi triẽnium iam decumbebat inſomnis, nõ paucis (vt illa tum ferebat ætas) doctiſſimis viris, veteribus amicis, ornatiſſimis ciuitatis, rationales codicillos ſibi poſcit in manus dari: tum per familiarium manus alleuatus ex lectulo, puluilloque ſuffultus, ſic læua ſuſtinente vultum, teſtibus

circumaſſidentibus, coram Scribonia Veſtali Virgine præfatus de more Diuos, hæc hiſce ferme verbis M. Bebium Quirina. Publicum Populi Romani Tabellionem rogat, vt ſcribat.

Omnium primùm rerum, Principis Optimi Maximi Numine, ſicuti fas eſt, inuocato, cuius abſq; nutu, neque cum ratione quicquam effici cum felicitate, neque confici quicquam poteſt, hæc eſt C. Mecœnatis Lemonia Felicis, vltimæ voluntatis ſententia de eo, quod poſt obitum ſuum fieri cupit, decernitque, ſi quid ex hoc triennalis vigiliæ pertinaci morbo, quem neſcit an ferre poſſit, ſecus ac Medici promittunt, de ſe contigerit. Teſtatus autem, dum mente valeret, ſibi teſtamentum conficere placuiſſe, vt ſine ſuorum iniuria ex hac proficiſcatur vita, hæc, quæ quibus æquum eſt viſum legare, teſtamento legat, ac donat. Domeſticam omnem ſupellectilem Nonio Naſidieno, qui Rhetoricã Apolloniæ docet, vel ſi quid de eo accidiſſet, Nonij filijs Publio, & Caio Naſidienis, in bonæ ſpei frugem è Patris indole venientibus. Porrò, quæ mihi debet Q.

Aemilius, ea Germano eius Aemilio, liberiſque relinquo HS. X non in capita ſed in ſtirpem. Agros autem, villaſque quaſcunque Lyſij habeo, domumq; conſobrinis, & Caio præcipuè, quod nomen is ferat noſtrum, mecumque diutiſſimè, gratiſſimèque ſit commoratus, prout conſanguineos decet, qui ſanguinem & pietatem colunt, tutò hæc, & firmiter poſſidenda cenſemus: ſtatuas Doſyppi, Satyrum, & Hermathenam Dionyſij, quas alio transferre cogitabam, ex Lyſiana Bibliotheca transferri volo, quò commodiſſime poteſt. Non eius erat hoc ornamentum loci, nec vbi meliùs ſpectaretur hactenus fuit. ad Blanduſiam maluiſſem, vt villulam, quam Quinto Horatio Flacco dedimus ad Lucretilem exornaret; ſed optimus Romanę lyræ fidicem ante diem denatus, amici donum, & ſui deſiderium reliquit; vt mortem optemus: quãdo ſuauiſſimi Poëtæ vox extincta, qua ſæpe reuiximus, nos voluptate priuauit. Quapropter vel Romæ in Camœnarum veſtibulo deponãtur: vel ſi quid ad noſtri Gymnaſij dignitatem in Exquilijs addere videbuntur, in eius aditu collocentur:

vel,

vel, quod fortaſſe ſit optimum, Poetici periculi præmiũ eſto, qui, quandocunque deceſſero, noſtris parentalibus legitimo lyrici carminis certamine quinquies vicerit: Is Hermathenam, & Satyrum auferto præterea Gratias, & Muſas, & Horas mancupij mei ſtatuas in Salluſtianis hortis, & centuſſem in ſingulas quotannis ad retergendum earum ſitum. Præter hæc lyſianam Bibliothecam omnem, & eius Inſtrumentum omne, ſi quid in ſignis, ac tabulis, ſi qnid in aulæis, ac ſtragulis, ſi quid in abacis, ac menſis, ſi quid in ſcrinijs, forulis ſpecularibus oculos inuitat, hæc auferat, & præmiũ carminis habeat ſibi, quicunq; carmine vicerit funebri ſupremorum meorum ſacro. Hydraulum excipio, ſuus illi locus hic eſt, quare auelli nolo, eo ſublato, loci gratia deperiret. Per ſanè velim, Valgium meum, quantum eſt nunc ſuauitatũ iucundiſſimum, ad muſicum hoc ingenij certamen accedere, haud dubium, quin ſi, (modeſtiſſimus enim eſt) ſe ipſe vicerit; omnes vicerit. Quod ſi euenerit; vt volumus, & ſperamus, ad legitimũ victoriæ coronarium, corollarium adijci volo

togas palmatas decem; manuleatas decem, mannos phaleratos quatuor, lucubratoriam lecticam meã, & ſeruos lecticarios octo, tum corinthium *L.* Luculli abacum, & quicquid facti argenti habeo ad Apollinis, & matellionem hunc aureum, & criſpam illam eburneo monipodio cedrum impoſitam. Quoniam vero Bibliothecę ſumptuoſam tutelam eſſe ſcio, quantũ annui fructus redit e fundo Petiliano, vnà cũ ipſo fundo Valgio meo do, qui certam & pręſentem pecuniam ad eam tutelam habeat, ſi quid in ſupplenda Bibliotheca ſũptus, ſi quid operis in inſtruenda faciundum eſt, ſi quid in libris commutandis, exſcribundis, comparandis, componendis, ſi quid in ſeruulis atrienſibus, mediaſtinis, librarijs, anagnoſtis alẽdis, ſi quid in armariolis conficiundis, iiſq; confectis atramento, membrana, purpura, minio, cerula, plumbo efficiendis, è Petiliani fundi reditu valde confici volo. Tu vero iucundiſſime Valgi, caueſis noſtrum à te munus alienes, neu per auaritiæ ſordes amiſeris, quod ingenij diuinitate peperieris, quamuis acrem eius amatorem, & profuſum empto-

ptorem inueneris : Sin, quod nolumus, victoriam aliò fortuna tranſtulerit; ſic armata quemadmodum diximus Lyſiana Bibliotheca, cum reliqua dote Victoris eſto; tamen Valgium meum fortunæ eximo, quicquid extra Bibliothecam ad victoriale munus adijcimus, incolume Valgio manebit. Ad hæc exſortem equum, quem ipſe Valgius ex Hirpini pecuario optauerit, & ſeruum, & talentum atticum duplex à Procuratore Dionyſio ſumet. interim annulum hunc meum cum amethiſto ſodalitatis memnoſinon habeto.

ſ. Fundum, quem in Tuſculano colui, cui ab Aquilone publica via Preneſtina, ab Auſtro Templum Iouis Opitulatoris, ab ortu ſolis Publius Craſſus, ab occaſu Silius Cincinnatus affinis eſt; Albinouano meo do, conſciam noſtrorum ſermonũ amœnitatem Poëta nobilis non aſpernabitur; in qua ſæpe cum Muſis apud me vir ille feſtiuiſſimus familiariſſimè diuerſatus eſt. Dabit autẽ Hipparcus Philotimo Hiſtorico talentũ, & Policrati Grammatico dracmas decem quotannis. plus inſulſiſſimo Poetæ me debere non arbitror, ob

decem ſenariolos, quos ille de meis laudibus, irata credo Minerua, dictauit. Niſi Mentoris Sophiſtæ rationem haberemus, qui nobis in declamatiunculis actitandis aliquandiù fuit perutilis, & nunc ob magnã rei familiaris iacturã, & fratris naufragium, ex opibus, quas apud me comparauerat, eiectus, ægrè domeſticam inopiam, & docti viri dignitatem ſuſtinet, profectò quæ de nobis poſtea mutuatus eſt illius Procurator, & cum fraude poſſedit; ſtatim cogeretur reddere. Quoniam vero hoc illi perincommodum fore animaduerti, volens infelici ſeni cõdono, quòd debet, & talentum annuũ è cenſu noſtro Formiano, quoad infelix vixerit, admumerari volo cum eo vt ſingulis annis victum neceſſariũ collactaneæ Dorphilæ ſuppeditet: quæ quamuis Poëtria, pudicè conſenuit in virginitate apud eius vxorem. Quandocunque Dorphyla deceſſerit ex viuis, abſolutus erit ſuperſtes Mentor alterius alimoniæ neceſſitudine, cunctiſque ſtipulationibus, quas mecum à quinquennio contraxit. Eunus conſeruus bibaculus, & Dorphylæ ſupparaſitaſter, poeta neque bonus, neq;
ma-

malus eſt, quod is nunquam niſi podager poëma facit; quandiu ille vixerit apud Dorphylam conſeruam, & bibat, & canat, & claudicet: mortua, quotidianum illi pocillum, & ſportulam in mei gratiam Albinouanus, & Valgius dabunt. Poëta, quamuis malus, dignus eſt qui non ſitiat, & vſque bibat ad podagram. Si quid Lampridio Secundillo præter naturam, præterque factum continget humanitus, priuſquam eius liberi liberaliter ad optimi Parentis ſimilitudinem adoleuerint; curæ ſit Antiocho Rhetori, de meo quantū ſit ſatis ad vitæ præſidia ſuauiſſimis puerulis erogare: vt liberaliter educentur, ne boni generis facilis indoles deſeratur. Amo nimis, ac deamo potius adoleſcentulorum verecundiam, ac docilitatem, quos ad bonam frugem natos eſſe, pudor, flos virtutis oſtendit. Tu meæ voluntatis & teſtis & curator Antioche, vt tua dignum eſt erga me, & Lampridium volūtate à pueris mutuò ſuſcepta, caue feceris, vt tuam diligentiam egregiæ puerorum naturæ defuiſſe doleamus.

Hortos quos emptos ab Herennijs Academia noſtra poſſidet ad

Ze-

Zephyrium Trebonianum , & adiacentis campi bis mille iugerum, & Platanonem, & Crupeſſetum, & Viuarium,& Xyſtum,& Nymphæū, & deambulationem, & Cryptoporticum, ædeſque proximas Neſtorianas, & Xenias cœnatiunculas, & Spheriſterium, & millenariam porticum, & Balineas penſiles,& Laconicum Heliocaminum & Academię veteris Muſæum, & nouæ duplicem Bibliothecam,quibus à Septentrione Cornificij fratres,à Meridie Corneliæ venationes, ab Occidente ſole Venetum mare, ab oriente conterminus eſt Erydanus, amicis ego litteraratas litteras doctis apud nos illic degentibus Fuſco,Paſſiæno Nepoti, Maximo, Veturio, Annæo,Nigidio, Vario, Viſco, Plotio, Liuio, Pollioni, cunctiſque mei municipij ciuibus Aretinis: ſi qui tamen cupidi litterarum noſtrum illud Muſarū perfugium ad animi ſui cultum frequentare decreuerint: nominatim autem in vſum eorum eſſe volumus, qui pręter cæteros ad comparandam eloquentiam ſe ſe conferent in eum locum. Hæc tamen ea lege legata cenſeo, vt neque locum illum deſerant, neque cum alio commutent, ne-

neque quacunque vis conditione vendant, neque priuatim cuiquam, vt proprium ſit licitum poſſidere: Muſis addictus eſto: Muſarum ſacrum hæredium; diſcentium & docentium commune Gymnaſium cómuniter ab omnibus habeatur. Ad ſuſtinendam autem ſumptuoſiſſimi Gymnaſij tutelam, qualem animo fingimus, molitione vix inchoauimus, opibus fulcire fortaſſe, ſed in poſterum poſſumus, quæ mihi ſunt in Ægina cum Statilijs communes opes, quæ cum Octauijs in Macedonia pecuniæ ſocietates, quantum ſeſterium in Iano medio depoſitum apud Roſcios habemus, quantum in paſcuis, atque cultis in Achaia, quãtum apud Ptolomæos in ſyngraphis, ad emolumẽta Gymnaſij ſumptum prolixè ſuppeditare debebũt. Inde Dionyſius, & Antiochus Gymnaſij diribitores adoleſcentibus ſtudioſis in vſum librorum, olei, minij diſtribuent, mercedemque ſenum talentum Atticum in annos ſingulos ſummo Rhetori conſtituent, quẽ Patrueles noſtri Lucius & Titus Mecœnates eloquẽtiæ moderatorẽ delegerint, & ſtudioſæ Iuuentutis Principem. Verùm vt illa ſedes tu-

ta ſit à fraudibus improborum, quoniam, & loci dignitas & mercedis magnitudo multorum auaritiam, ambitumque facilè ſollicitauerint, infinitamque colluuionem competitorum contraxerit; bonorum pariter & malorum, certum eſt diſtinctè notas aliquot hic apponere, quibus in habendo delectu bonorum Patrueles vti debebunt, ne præmia virtutis ad indignos transferant cũ iniuria meliorum.

Prima cautio eſt à locutuleijs gręculis, erronibus ſemipalliatis, homullis incerta domo & fide Habuit illa quidem natio permultos, & nũc habet ingenioſos, induſtrios, modeſtos viros, quos ad omnem laudem authores recuſauerit nemo, niſi qui ſit omnis laudis, et virtutis inimicus: tamen neſcio quo pacto ſimilitudo veritatis in iſto genere difficilè diſtinguitur à ſimulatione fallaciæ.

Secundùm hos nihil tutum eſt à Suburranis Vrbanæ fæculæ quiſquilijs, Magiſtellis audaculis, ſocienis mutuo fœdere merendularum obſtrictis, & ad omnia paratis. Gloriolam in commune mendicant: ex condicto victitant: capita conferũt: conſuſurrant. quid non? at ſi vultũ re-

reſpexeris; haud mali ſunt: adſurgunt, appetunt, deducunt, reducunt, etiam quos hoſtiliter oderunt. hæc luce palam. vbi ſoli ſecum ſunt, deque re communi in medium conſulunt: inibi virus arcanum euomunt. heus, tu, nunquam ne ſeriò cogitabimus quoteno loco relicti iacemus? nobis ne ſemper plus noſtra modeſtia, quàm aliena petulantia nocebit? dininus ſum, niſi meliores, hunc tu palliatum, illum ego togatum euertero: actum de nobis eſt: nulli ſumus, quin tu mecum ſtrenuè pudorem concoque: finge frontem: non qui ſimus, ſed qui videri volumus; in meditato ſit: age, ſic viuamus, ego tua, tu mea, qua pote, qua non pote, ſupra modum, ac ſupra fidem efferes. quid facias aliud? manus manum lauat, vt aiunt, & mutuò muli ſcabunt Hem quam ab hiſce frugem expectabitis Patrueles. hic malam mali ſi ſementem fecerint? nihil proinde verum, nihil ingenuum, nihil integrum malos authores in bona Iuuentute deponere paratos, à noſtri Gymnaſij limine ſubmouendos cenſeo.

Quin illos etiam in eodem numero poſuerim, quos ſnus quidam inge-

genioli modulus, ſanè non inſuauis ad aliquam ingenij famam doctrinæque opinionem extulit. cæterum ad exterenda Principum limina non ſegnes, ad conciliandos amiculos artificioſiſſimis aſſentationibus instructi, quæque illos peſſimè tranſuerſos agit, opinione virtutis inflati, maiore quàm pro viribus, contentione nituntur ad gloriam. incenſi ſtudio nominis quid non faciunt? aut dicunt? nullam recuſant conditionem contemptiſſimæ ſeruitutis: ſuæ farinulæ factioſos colunt: ſecedunt in partes: ſtata tempora conuenticulorum habent: adoleſcentibus paulo loquacioribus adulantur: à potentioribus gratiam, quam virtutibus non impetrant: artibus extorquent. Callidum genus, edico, Patrueles, aſtutum, vafrum, obſcurum, tortuoſum, quod, ne noſtris opibus ad aliorum perniciem alatis; vos etiam atque etiam rogo per veſtram fidem: pro eo, quanti vos, omneſque docti facient memoriam liberalitatis meæ.

Aliud quid? etiam, nec illos quidem ad inſtituendæ Iuuentutis officia libenter admiſerim, quibus, quãuis in bono doctrinæ cenſu ſint, omnia tamen exiliter, tanquam ex commen-

menſo diurno, natura numerauit. Nam quod ipſi definitè didicerunt, perparcè admodum alios ex definito docent; vel quòd illis ingenium non ex pleno fluit, vel quòd ſpontè ſe ſe coniecerunt ad ſuos illos angulos litterarum; ideo tantùm id laudant, quod ipſi potuerunt aſſequi; quo fit, vt non facilè patiantur extra nidulum ſuum euolare pullos ſuos: Bene ſibi quicquid oluerit, bene ſemper olet: hominum reliqui nō item: ipſi ſoli ſibi ſunt: ipſi ſciūt, quod neſciunt, id Auditoribus interdicunt. Sit hoc in exemplo. Poëtam competitorem habent, Poëticam in omni ſermone carpunt: quęre cauſam. illi Muſas, illos Muſæ oderunt. dicam planiùs. agreſtis animus abhorret à venuſtate carminis, ipſa iam obtrectationis malignitate ieiunior. his animaduerſis, natos ex tinguendis ingenijs homines cauetote. Serendis ſuſpicionibus, inflāmandis diſcordijs malè conciliatum genus, procul ab exercitatione liberalium Artium habetote: niſi feceritis, monco, dictum, factum, hæc omnia concipilabunt: ne deriſui ſit ex cōtentione meliorum ſuæ facultatis exilitas. acutulè, vt ſibi videntur,

tur, de tribus dicendi generibus diſceptabunt: confidenter Authorum, quorum ipſi nullam litteram libauerint, aliquando iudicia diſtinguēt: Gymnaſij parietes vociferationibus exſurdabunt, ſi verum quæritis: ſibi cauent: nil in illa vociferatione temerè fit. illa pugna, tantum non infeſta pugnis, enimuero pro Aris ac focis obſiſtit in factionis ſtylo: quibus autem vber ingenium abunde, luculenterque ſuppetit ad plenū Eloquentiæ flumen, ab ijs ſibi præcipue metuunt, velut ab noxijs, & infeſtis. Proinde Rhodiam illam, & auream copioſiùs eloquendi felicitatem, ad quam ipſi per ingenij ieiunitatem videlicet nō aſpirant, Auditoribus ſuis perſuaſum eſſe volūt inanem, ac futilem quandam eſſe redundantiam Aſiaticæ loquacitatis. Quid interim ipſi? quid? Athenæ minùs Atticæ ſunt: ſi Deo placet. Nec rideas iratus, dum præclari iſti Attici, vt vnam ſententiolam expirent atticè, miſerè animam, ne dicam Atticam exhalant. Quam doctrinæ copiam ab iſtis Atticis expectem, quibus antequam aridulas illas, & ſemimortuas argutiolas exſāguis ingenij ſemel exprimant; inter mo-

moriendum eſt centies. An ſic Demoſthenes? An ſic Pericles loquebatur? An non atticè dicebat Demoſthene? non erat Atticus Pericles? Meo periculo nouum imperitorum genus deſpicite, vel cauete ſaltem; ne poſt tanto malè conſultũ à vobis & huic loco male proſpectũ fuiſſe doleatis:

Cum patrum referent ieiunia nati.

Præterea nonnullos è vulgo triuialium Pædotribarum animaduerti, quibus apertè Socrates Iuuentutem cõmitti vetat; propterea quod enim ſe nimium amant, gloriæ ſic auidiuſculi ſunt, voluptatis ſitientiſſimi, quod iucundius allicit oculos, id ſequuntur; ideo iuniorum conſuetudines appetunt maximè, quorum vt aſſiduas vmbras trahant, ijs ſe ſe facetiolis,& munuſculis opportunè venditant, ad eorum arbitria ſe ſe componunt: quod cupidiùs delicatuli nobiles audiunt, id loquuntur: ſcitulos, cincinnatulos, glabellos potiſſimùm expetunt: vultum, cultum, annulum, bullam, calceolum, omnem ornatum, & elegantiã corporis tacitis oculis oberrant; ad animi bona quaſi noctuæ cõniuent.

ri-

quibus certum domicilium nullum eſt; victum alibi quæritent: aut ſi odioſi pergunt eſſe; reſtem hinc impetrent, qui ſe ſuſpendant.

Si cui pudor rubori eſt, reijciatur.

Si qui fidem non niſi iure iurando colit, reijciatur. Si cui malus animus, in bono vultu; reijciator. Si cui pauida mens, ſi tertiata verba ſint; hinc abeſto: inutilis bonis habitet apud ſuos.

Aleatores, periuri, mendaces, iracundi, contumelioſi prohibentor.

Obtrectatores, inuidi, maleuoli, ſuſpicaces, aſſueti verborum impunè volantium murmurillis ſuſurrones, delatores: ſi quidem virgas hic ferre poſſunt; vlmeum Magiſtratum geruntо.

Impudentes, impuri, mulieroſi, puerorum prætextatis amoribus addicti; conſcribillantor, vſque dum eorum terga magis picta ſint, quam aulæa Campanica.

Improbi, præfidentes, præferuidi, difficiles, indociles contumaces, cōſtringatur, niſi potiùs eos tradi placet affinibus.

Deſidioſi, languidi, ſomniculoſi, & qui nunquam auroram viderunt;

ne

ne nobis odioſi ſint, alibi ſint potiùs otioſi.

Multibibi, multiſcij, multiloqui, multiuoli: multùm per me valere poſſunt.

Ex die victitantes in diem, omniū appetentes, inſtabiles, inquieti, ſui ſemper exſules, Ardeliones, antequā turbellas illas ſuas hìc excitent; vbi ſinciput confirment, Anticyram adeunto.

E laniſta Rhetor, è Cerdone Philoſophus, è Lenone Medicus, è Caupone Litterator, redactus ad ſe, veteris artificij quęſtum alibi faciat ex Medico leno, ex Philoſopho Cerdo, ex Rhetore laniſta. Si quem ex facili ridere videris, ſi circumſpectare curioſiùs, ſi tanquam ex compoſito conſcijs annutare furtìm; tum illa leuis, & ſeruilis ingenij nota ſatis apertè docebit, Mancipium leuitatis, ingenuæ Iuuentuti liberaliter inſtituendæ præfici non debere.

Item bilingues, biformes, bifrontes, bis in biuio vapulent, in biremi bis remigent, è bifido ſtipite bis pēdeant, deinde mittantur.

Poſtremò ſemilatini, ſemigræci, ſemibarbari ſementem alibi faciant, tantiſper, ſaltem, dum id omne per-

diſcant, quod ex parte neſciunt. interea loci hyeme ſeminudi frigeant: æſtate ſemuſti ſudent: reliquũ anni tempus ſemi obolo ſemipleni cœnitent. Hæc de ſuo cum centum annos fecerint; huc redeant, vti de meo in poſterum victitent, & ſemiſſe doceant.

Hactenus, quos huiuſce Gymnaſij neque magiſteria, neque ſtipendia, neque mineruralia ſperare fas ſit, indicauimus; reliquum eſt, vt probi quoque Moderatoris, ac Principis diſcrimina ſubnotemus.

Principio Reipublicæ Magiſtrum hunc è Cælo dari ſuis Ciuibus optabat Socrates, qui veritatis numen intra conſcientiam acceptum in animo ſuo ſanctiſſimè colat, ac viuat ſibi, qui de religioſiſſimis integerrimi pectoris penetralibus euocatus in publicum, ſe non tam ſibi, quàm ſuis Ciuibus natum putet, & docere iuſſus alios, intimam ipſe magiſtram ſemper audiat Sapientiam; vt ſciat plura, quàm doceat. Qui Ciuium opinione magnus, domeſtica virtute maior, de ſe modeſtè ſentiat, quaſi poſtremus auditor omnium, cui linguæ ſplendor in ingenij cultu ſit, ingenij cultus in virtutis vſu: qui, quoties

ties opus ſit, tacere verecundè, non ſecus ac copioſè dicere, præclarum putet: qui gloriæ, pecuniæ, voluptatis illecebris oppreſſis; & malis animi cupiditatibus extinctis; honeſtiſſimè apud alios, beatiſſimè habitet apud ſe. Cui minimè difficilis ſit ab otio progreſſus ad negotiũ, & hinc rurſus regreſſus ad otium. liberum litterarum receſſum amet: tranquillitati vacet: ſecum ipſe loquatur ſæpius; vt eloquentiam ex taciturnitate meditatus, profundam euoluat deinceps amplitudinem ſplendidæ ſapientiæ. Quotidie noui aliquid addiſcat: in Bibliothecam abditus, & voluminibus vndique circumfuſus, veteres amicos cõſulet, Authores ſuos: Somni modicus, vini parcior, olei profuſior vegetum, ac peruigilem animum quàm diutiſſimè teneat in lucubrationibus cogitationum, in excubijs ſententiarum ſuarum. Vnam rem vrgeat, & ſemper: at nõ eodem modo, nec vni ſemper addictus, ad capita diſciplinarum, ad diuortia veritatis animum effundat, omnia maiore pectore complexus, quæ vera, quæ pulchra, quæ sãcta ſunt, commentetur, comminiſcatur, approbet, improbet, lectitet,

ſcriptitet, ingenium flectat, ac verſet ad vnamquanque ſapientis eloquentiæ partem. Artificem in primis optimum dicendi ſtylum exacuat, ac fingat ad Scriptorum, & ſcriptionum exempla meliorum; vt ad omnem vſum ingenij, ac doctrinę nunquam exhauſta vena reſpōdeat, atque antecedentem, ceu dominam Sapientiam, tanquam pediſſequa, comitetur Eloquētia. Quæ pro varietate rerum cultum orationis variare dicendo queat: & ſacra diuinè, ſplendida magnificè, profunda rotundè, ſedata leniter, ambigua diſtinctè demōſtret, atque explicet: acuta ſubtiliter: iucunda facetè: ſuſpicioſa prudenter: ſumma grauiter: media temperatè cōcitata vehemēter. Quod vt aſſequatur; momenta rerum expendat, & naturæ vultū diligenter inſpiciat oportet: ſciatque quo quidque colore pingendum, illuſtrandumque ſit. An quæſo cæcus irrideatur in triuijs, ſi ſemper eandem fabulam occentet; acclametur Rhetori, nunquam à ſuo carmine recedenti? Tum ipſe pangendi carminis diuinus artifex, vt Virgilius hic meus, atque in Acidalijs Gratiarum hortulis educatus, Poëtis noſtris

ſtris hominum ingenioſiſſimis non ſit ini.nicus, quorum e beata ſupellectili quod ad ſplendorem facere videatur vniuſcuiuſq; ſententiæ prudenter. Ridiculum eſt enim diuerſè non dicere cum diuerſa dicas: vt ſi quis aut Lucullus, aut Craſſus eodem veſtitu feſtis diebus vtatur, & profeſtis.

Hæc vbi dixiſſet Mecœnas, obticuit; caput enim feruido ſanguine concaluiſſe ſenſerat. Accedit Menecrates Medicus; & rubẽtes oculos contemplatus, permulſaque frõte, manum poſcit, venæ numerum exploraturus. Mox paululum moratus, nimiò quàm ante concitatius hæc, inquit, emicat. Vt nunc eſt, tibi Domine, ſilentium erit vtilius. Et ille cõuerſus ad Bebium, & Scriboniam. *Alio die*, dixit.

PROSA XV.

S. VRSVLÆ

Concio.

De Bono Virginitatis ex contentione Nuptiarum.

Scripta anno 1590. in gratiam Pauli Aemilij Sanctorij nobilis Hiſtorici.

QVAS ubi conueniſſe videt, e loco ſuperiore, unde proſpectus in omnem campum, & multitudinem expeditus dabatur, læuum in humerum reiecta palla, vultu, ſtatu, geſtu, voce humana grauiore in hanc ferme ſententiam verba facit.

Planities hæc diffuſa campi, Virgines lectiſſimæ, & ad marginem cãpi placidius admurmurantis amnis illapſus, & cœtus veſter ſolito læ-

lætior, ad Thermodoontem Virginum quondam & frequentia, & Marte nobilem reuocat animum meum: & in ſpem bonam inducit ſuperſtitis ab occubitu mentis, & famæ memori in poſteritate vitalis. Ne Vos longis ambagibus teneam (nam inter cetera decora Virginis, apex Virtutis eſt parſimonia verborum) & ex loci poſitu, & conſpectu, & alacritate veſtra, Sorores, Amazonum memoriam vſurpo, & auſpicium gloriæ. Illas enim non ita procul à plerarumque veſtrum ſole, fama tenet Viros peroſas, ſecubitu gauiſas, lunatis indiutas parmulis, bipennique ſumpta, æuum ſub Marte triuiſſe, nomenque ſibi feciſſe belligerando. Sedet proinde (quando Numen aſpirat) memoriam illarum abolere, noſtram parere: vitamque in anguſtum Naturæ neceſſitate contractam in omnem futuri temporis æternitatem virtute producere.

Non me fugit, ſententiæ reclamare ſexum, quem Natura lanificio addicit, & telæ, ſubditum puerperio, & compulſum in eius inſtituti gyrum, vnde latum vnguem deflectere ſæpe turpe, non nunquã

genioli modulus, ſanè non inſuauis ad aliquam ingenij famam doctrinæque opinionem extulit. cæterum ad exterenda Ptincipum limina non ſegnes, ad conciliandos amiculos artificioſiſſimis aſſentationibus inſtructi, quæque illos peſſimè tranſuerſos agit, opinione virtutis inflati, maiore quàm pro viribus, contentione nituntur ad gloriam. incenſi ſtudio nominis quid non faciunt? aut dicunt? nullam recuſant conditionem contemptiſſimæ ſeruitutis: ſuæ farinulæ factioſos colunt: ſecedunt in partes: ſtata tempora conuenticulorum habent: adoleſcentibus paulo loquacioribus adulantur: à potétioribus gratiam, quam virtutibus non impetrant: artibus extorquent. Callidum genus, edico, Patrueles, aſtutum, vafrum, obſcurum, tortuoſum, quod, ne noſtris opibus ad aliorum perniciem alatis; vos etiam atque etiam rogo per veſtram fidem: pro eo, quanti vos, omneſque docti facient memoriam liberalitatis meæ.

Aliud quid? etiam. nec illos quidem ad inſtituendæ Iuuentutis officia libenter admiſerim, quibus, quãuis in bono doctrinæ cenſu ſint, omnia tamen exiliter, tanquam ex com-

men-

menſo diurno, natura numerauit. Nam quod ipſi definitè didicerunt, perparcè admodum alios ex definito docent; vel quòd illis ingenium non ex pleno fluit, vel quòd ſpontè ſe ſe coniecerunt ad ſuos illos angulos litterarnm; ideo tantùm id laudant, quod ipſi potuerunt aſſequi; quo fit, vt non facilè patiantur extra nidulum ſuum euolare pullos ſuos: Bene ſibi quicquid oluerit, bene ſemper olet: hominum reliqui nō item: ipſi ſoli ſibi ſunt: ipſi ſciūt, quod neſciunt, id Auditoribus interdicunt. Sit hoc in exemplo. Poëtam competitorem habent, Poëticam in omni ſermone carpunt: quære cauſam. illi Muſas, illos Muſæ oderunt. dicam planiùs. agreſtis animus abhorret à venuſtate carminis, ipſa iam obtrectationis malignitate ieiunior. his animaduerſis, natos extinguendis ingenijs homines cauetote. Serendis ſuſpicionibus, inflāmandis diſcordijs malè conciliatum genus, procul ab exercitatione liberalium Artium habetote: niſi feceritis, moneo, dictum, factum, hæc omnia concipilabunt: ne deriſui ſit ex cōtentione meliorum ſuæ facultatis exilitas. acutulè, vt ſibi viden-

tur,

tur, de tribus dicendi generibus diſceptabunt: confidenter Authorum, quorum ipſi nullam litteram libauerint, aliquando iudicia diſtinguēt: Gymnaſij parietes vociferationibus exſurdabunt, ſi verum quæritis: ſibi cauent: nil in illa vociferatione temerè fit. illa pugna, tantum non infeſta pugnis, enimuero pro Aris ac focis obſiſtit in factionis ſtylo: quibus autem vber ingenium abunde, luculenterque ſuppetit ad plenū Eloquentiæ flumen, ab ijs ſibi præcipue metuunt, velut ab noxijs, & infeſtis. Proinde Rhodiam illam, & auream copioſiùs eloquendi felicitatem, ad quam ipſi per ingenij ieiunitatem videlicet nō aſpirant, Auditoribus ſuis perſuaſum eſſe volūt inanem, ac futilem quandam eſſe redundantiam Aſiaticæ loquacitatis. Quid interim ipſi? quid? Athenæ minùs Atticæ ſunt: ſi Deo placet. Nec rideas iratus, dum præclari iſti Attici, vt vnam ſententiolam expirent atticè, miſerè animam, ne dicam Atticam exhalant. Quam doctrinæ copiam ab iſtis Atticis expectem, quibus antequam aridulas illas, & ſemimortuas argutiolas exſāguis ingenij ſemel exprimant; inter

mo-

moriendum eſt centies. An ſic Demoſthenes? An ſic Pericles loquebatur? An non atticè dicebat Demoſthene? non erat Atticus Pericles? Meo periculo nouum imperitorum genus deſpicite, vel cauete, ſaltem; ne poſt tanto malè conſultũ à vobis & huic loco male proſpectũ fuiſſe doleatis:

Cum patrum referent ieiunia nati.

Prætereà nonnullos è vulgo triuialium Pædotribarum animaduerti, quibus apertè Socrates Iuuentutem cõmitti vetat; propterea quod enim ſe nimium amant, gloriæ ſic auidiuſculi ſunt, voluptatis ſitientiſſimi, quod iucundius allicit oculos, id ſequuntur; ideo iuniorum conſuetudines appetunt maximè, quorum vt aſſiduas vmbras trahant, ijs ſe ſe facetiolis,& munuſculis opportunè venditant, ad eorum arbitria ſe ſe componunt: quod cupidiùs delicatuli nobiles audiunt, id loquuntur: ſcitulos, cincinnatulos, glabellos potiſſimùm expetunt: vultum, cultum, annulum, bullam, calceolum, omnem ornatum, & elegantiã corporis tacitis oculis oberrant; ad animi bona quaſi noctuæ cõniuent.

ridentibus arrident, flentibus applorant, mœrentibus ingemiſcunt, negat quis? negant. ait? aiunt. cadentes voculas excipiunt, vt olim hiſtrio partium ſecundarum. Interim eorum periculum fac in litteris: fac in moribus; mera ruſticitas. glādem eructanr: allium olent: Vt tamen hæreant in aliqua particula doctrinæ; Sapientum vel bina, vel terna commodè dicta verbatim addiſcunt: neſcio quo peruetuſto, atque contrito ſreti volumine collectitiarum ſcriptionum, Auditores ſuos quatuor in cutem litterulis leuiter aſpergunt, venditantque ſanè non impudenter aliena pro ſuis: ſemper eadem inculcant, & eodem modo, nunquam à trito volumine receſſuri, niſi cum ſolum vertere, & volumen vendere cogentur.

Ecce autem alij, contra quam ſuperiores, nihil certi, nihil definiti, nihil circumſcripti habent: omnia ſciunt: omnia docent: omnia pollicentur. Quære quid eſſe, dicique ſe velint, quemuis hominem afferunt ad nos Grammaticum, Hiſtoricum, Rhetorem, Poëtam, Sophiſtem, Philoſophum, Aſtrologum, Augurem, Aliptam, Medicum, Magum: In-

ſum-

ſumma quicquid es; quicquid non-es illi ſunt: & ſi credere volueris, Iouem, & Mineruam illi docent. Hos igitur à noſtro Gymnaſio non inſcitia, ſed arrogantia repellat.

Cæterorum vitia, quæ ſexcenta ſunt, (quot enim hominum vultus, totidem diſſimilitudines animorū) breuiùs, (ne vos teneam diutius) adnotabo.

Quibus bonum ingenium in malo vſu eſt, nō amo: ij verò ſunt, quibus audacia pro virtute: malitia pro prudentia: iactantia pro conſcientia eſt. proinde reiiculi ſunto.

Poëtas quarta luna natos, Meuios, Bauios, Suffenos, non amo, proinde reiiculi ſunto.

Scripturientes hiſtoriam, Batillum, Maſurium, Peduccium non amo: reijculi ſunto.

Nimium Philoſophos ferre non poſſum: Nimiùm Mathematicos, odiſſe debeo: Nimiùm Stoicos, odioſos puto.

Diuinis, Ariolis. Coniectoribus omnes Dij, Deæque infeſti ſint, per quos ſæpe peierant. Congerrones, quibus cum Triconibus commune marſupium eſt. Comeſſatores, quorum nullum peculium eſt: Obærati, qui-

quibus certum domicilium nullum eſt; victum alibi quæritent: aut ſi odioſi pergunt eſſe; reſtem hinc impetrent, qui ſe ſuſpendant.

Si cui pudor rubori eſt, reijciatur.

Si qui fidem non niſi iure iurando colit; reijciatur. Si cui malus animus, in bono vultu; reijciator. Si cui pauida mens, ſi tertiata verba ſint; hinc abeſto: inutilis bonis habitet apud ſuos.

Aleatores, periuri, mendaces, iracundi, contumelioſi prohibentor.

Obtrectatores, inuidi, maleuoli, ſuſpicaces, aſſueti verborum impunè volantium murmurillis ſuſurrones, delatores: ſi quidem virgas hic ferre poſſunt; vlmeum Magiſtratum geruntọ.

Impudentes, impuri, mulieroſi, puerorum prætextatis amoribus addicti; conſcribillantor, vſque dum eorum terga magis picta ſint, quàm aulæa Campanica.

Improbi, præfidentes, præferuidi, difficiles, indociles contumaces, cõſtringatur, niſi potiùs eos tradi placet affinibus.

Deſidioſi, languidi, ſomniculoſi, & qui nunquam auroram viderunt; ne

ne nobis odioſi ſint, alibi ſint potiùs otioſi.

Multibibi, multiſcij, multiloqui, multiuoli: multùm per me valere poſſunt.

Ex die viđitantes in diem, omniũ appetentes, inſtabiles, inquieti, ſui ſemper exſules, Ardeliones, antequã turbellas illas ſuas hìc excitent; vbi ſinciput confirment, Anticyram adeunto.

E laniſta Rhetor, è Cerdone Philoſophus, è Lenone Medicus, è Caupone Litterator, redactus ad ſe, veteris artificij quęſtum alibi faciat ex Medico leno, ex Philoſopho Cerdo, ex Rhetore laniſta. Si quem ex facili ridere videris, ſi circumſpectare curioſiùs, ſi tanquam ex compoſito conſcijs annutare furtìm; tum illa leuis, & ſeruilis ingenij nota ſatis apertè docebit, Mancipium leuitatis, ingenuæ Iuuentuti liberaliter inſtituendæ præfici non debere.

Item bilingues, biformes, bifrontes, bis in biuio vapulent, in biremi bis remigent, è bifido ſtipite bis pẽdeant, deinde mittantur.

Poſtremò ſemilatini, ſemigræci, ſemibarbari ſementem alibi faciant, tantiſper, ſaltem, dum id omne per-

diſcant, quod ex parte neſciunt. interea loci hyeme ſeminudi frigeant: æſtate ſemuſti ſudent: reliquũ anni tempus ſemi obolo ſemipleni cœnitent. Hæc de ſuo cum centum annos fecerint; huc redeant, vti de meo in poſterum victitent, & ſemiſſe doceant.

Hactenus, quos huiuſce Gymnaſij neque magiſteria, neque ſtipendia, neque minerualia ſperare fas ſit, indicauimus; reliquum eſt, vt probi quoque Moderatoris, ac Principis diſcrimina ſubnotemus.

Principio Reipublicæ Magiſtrum hunc è Cælo dari ſuis Ciuibus optabat Socrates, qui veritatis numen intra conſcientiam acceptum in animo ſuo ſanctiſſimè colat, ac viuat ſibi, qui de religioſiſſimis integerrimi pectoris penetralibus euocatus in publicum, ſe non tam ſibi, quàm ſuis Ciuibus natum putet, & docere iuſſus alios, intimam ipſe magiſtram ſemper audiat Sapientiam; vt ſciat plura, quàm doceat. Qui Ciuium opinione magnus, domeſtica virtute maior, de ſe modeſtè ſentiat, quaſi poſtremus auditor omnium, cui linguæ ſplendor in ingenij cultu ſit, ingenij cultus in virtutis vſu: qui, quoties

ties opus ſit, tacere verecundè, non ſecus ac copioſè dicere, præclarum putet: qui gloriæ, pecuniæ, voluptatis illecebris oppreſſis; & malis animi cupiditatibus extinctis; honeſtiſſimè apud alios, beatiſſimè habitet apud ſe. Cui minimè difficilis ſit ab otio progreſſus ad negotiũ, & hinc rurſus regreſſus ad otium. liberum litterarum receſſum amet: tranquillitati vacet: ſecum ipſe loquatur ſæpius; vt eloquentiam ex taciturnitate meditatus, profundam euoluat deinceps amplitudinem ſplendidæ ſapientiæ. Quotidie noui aliquid addiſcat: in Bibliothecam abditus, & voluminibus vndique circumfuſus, veteres amicos cõſulet, Authores ſuos: Somni modicus, vini parcior, olei profuſior vegetum, ac peruigilem animum quàm diutiſſimè teneat in lucubrationibus cogitationum, in excubijs ſententiarum ſuarum. Vnam rem vrgeat, & ſemper: at nõ eodem modo, nec vni ſemper addictus, ad capita diſciplinarum, ad diuortia veritatis animum effundat, omnia maiore pectore complexus, quæ vera, quæ pulchra, quæ sãcta ſunt, commentetur, comminiſcatur, approbet, improbet, lectitet,

ſcriptitet, ingenium flectat, ac verſet ad vnamquanque ſapientis eloquentiæ partem. Artificem in primis optimum dicendi ſtylum exacuat, ac fingat ad Scriptorum, & ſcriptionum exempla meliorum; vt ad omnem vſum ingenij, ac doctrinę nunquam exhauſta vena reſpōdeat, atque antecedentem, ceu dominam Sapientiam, tanquam pediſſequa, comitetur Eloquētia. Quæ pro varietate rerum cultum orationis variare dicendo queat: & ſacra diuinè, ſplendida magnificè, profunda rotundè, ſedata leniter, ambigua diſtinctè demōſtret, atque explicet: acuta ſubtiliter: iucunda facetè: ſuſpicioſa prudenter: ſumma grauiter: media temperatè cōcitata vehemēter. Quod vt aſſequatur; momenta rerum expendat, & naturæ vultū diligenter inſpiciat oportet: ſciatque quo quidque colore pingendum, illuſtrandumque ſit. An quæſo cæcus irrideatur in triuijs, ſi ſemper eandem fabulam occentet; acclametur Rhetori, nunquam à ſuo carmine recedenti? Tum ipſe pangendi carminis diuinus artifex, vt Virgilius hic meus, atque in Acidalijs Gratiarum hortulis educatus, Poëtis noſtris

ﬅris hominum ingenioſiſſimis non ſit ini.nicus, quorum e beata ſupellectili quod ad ſplendorem facere videatur vniuſcuiuſq; ſententiæ prudenter. Ridiculum eſt enim diuersè non dicere cum diuerſa dicas: vt ſi quis aut Lucullus, aut Craſſus eodem veſtitu feſtis diebus vtatur, & profeſtis.

Hæc vbi dixiſſet Mecœnas, obticuit; caput enim feruido ſanguine concaluiſſe ſenſerat. Accedit Menecicrates Medicus; & rubẽtes oculos contemplatus, permulſaque frõte, manum poſcit, venæ numerum exploraturus. Mox paululum moratus, nimiò quàm ante concitatiùs hæc, inquit, emicat. Vt nunc eſt, tibi Domine, ſilentium erit vtilius. Et ille cõuerſus ad Bebium, & Scriboniam. *Alio die*, dixit.

PROSA XV.

S. VRSVLÆ

Concio.

De Bono Virginitatis ex contentione Nuptiarum.

Scripta anno 1590. in gratiam Pauli Aemilij Sanctorij nobilis Hiſtorici.

QVAS vbi conueniſſe videt, è loco ſuperiore, vnde proſpectus in omnem campum, & multitudinem expeditus dabatur, læuum in humerum reiecta palla, vultu, ſtatu, geſtu, voce humana grauiore in hanc ferme ſententiam verba facit.

Planities hæc diffuſa campi, Virgines lectiſſimæ, & ad marginem cāpi placidius admurmurantis amnis illapſus, & cœtus veſter ſolito

læ-

lætior, ad Thermodoontem Virginum quondam & frequentia, & Marte nobilem reuocat animum meum: & in ſpem bonam inducit ſuperſtitis ab occubitu mentis, & famæ memori in poſteritate vitalis. Ne Vos longis ambagibus teneam (nam inter cetera decora Virginis, apex Virtutis eſt parſimonia verborum) & ex loci poſitu, & conſpectu, & alacritate veſtra, Sorores, Amazonum memoriam vſurpo, & auſpicium gloriæ. Illas enim non ita procul à pleratumque veſtrum ſole, fama tenet Viros peroſas, ſecubitu gauiſas, lunatis indiutas parmulis, bipennique ſumpta, æuum ſub Marte triuiſſe, nomenque ſibi feciſſe belligerando. Sedet proinde (quando Numen aſpirat) memoriam illarum abolere, noſtram parere: vitamque in anguſtum Naturæ neceſſitate contractam in omnem futuri temporis æternitatem virtute producere.

Non me fugit, ſententiæ reclamare ſexum, quem Natura lanificio addicit, & telæ, ſubditum puerperio, & compulſum in eius inſtituti gyrum, vnde latum vnguem deflectere ſæpe turpe, non nunquã

fœminæ capitale fuit. ſed otio, mollitie, delicijs diffluere nequeo: latere nolo: ex otio rara; e tenebris nulla gloriæ lux. Stat igitur; vt ad memoriam euadam, iſtos Naturæ terminos reuellere, & ex anguſtijs erumpere in apertum.

Et vero quæ ſedendo fœminis fama venit? quæ non Viris infamia? forenſibus muneribus abſtinemus: Curiam non adimus: conſilijs excludimur: ſuffragij neutrum ius habemus: publica audimus, non cognoſcimus: incluſæ gynecæo, ea luce claræ, dumtaxat, quod lucem fugitamus: ea laude nobiles, ſi domi ſeſſitantes ſol ipſe non viderit: pedem extra limen efferentes Iuuenum comitantur amatoria carmina, laſciuiens ambitus, petulantia, luxus, riualitas, famoſæ fabulæ procaces libelli, vulgi ſermones, & omnis licentia verborum. Adeo nunquam impune fuit à ſe Virginem abſuiſſe: luce, claro ſpiritu, populo, publico carendum. Intra parietum ſepta, procul à lucis afflatu, cum ſeruulis mollire lanam, penſum ducere, fuſum verſare: digitos terere, ordiri ſubtegmina, telas texere, acu texta pingere, ſeges vberrima glo

riæ

riæ fœminis metenda: ad infantium, quos fœdè conceperis, grauiter vtero tuleris, acerbè pepereris; incunabula: viuendum inter nutriciæ blandimenta, inter crepundia puerorum, inter diſſidia domeſtica, inter ſuſpicaces animos, & querelas Virorum, domi virus acerbitatis euomentium, quod hauſerunt foris.

Atqui ego Naturam quidem non aſpernor: ſed non ſequor: neq; à ſexu elata faſtidio abhorreo: non ſpe meliorum hæc conſector, illa contemno. Nam quis illa ferat, niſi, qui poſthabita immortalitate, cœloque deſperato, humi curas omnes, cogitationeſque defixerit? Ad quicquid increpuerit pauitare ſemper? gaudere nunquam? ex alieno ſpiritu: ſpiritum ducere? ſtudere venuſtati? Naturæ in vitium procliuiori quàm velis, lenocinari, prouocare ſenſum in præceps ruētem? molliter inceſſum componere? nutum ad incutiendum deſiderium fingere? formam artificio colere? vultum diffingere ad voluptates? calamiſtrare comam? mundum parare? diſcriminare ornatu veſtem, & molli corpus ſeueritudine ener-

uatum, laciniatis, & peregrino opere pallis, quaſi phaleris, inſternere? naturam ſuco oblitam exterminarem? artem accerſere? pulchritudinem oculis, famam voculis, ſtudiũ voluntatibus, animum corpori, ingenium leuitati vendere? nitere denique facie, vel vt vni placeas, ſine laude diſpliceas omnibus: vel vt placeas omnibus, cum infamia diſpliceas vni?

Hæc noſtræ ſunt ſtudia mentis: hæc curricula gloriæ: in hac gymnade noſtra deſudat induſtria: hinc omnis aura colligenda nominis: ex hoc circo famæ plauſus aucupandus. Itane vero? Atqui ego Themiſcyræos campos malim, quam in iſto puluere volutari. Quæ quidem omnia ſorores, non inficias ibo, pleriſque melli eſſe, & voluptati. ſed ſi ſpeciem à re ſecernitis, & ab honeſto turpia ſecluditis; quæ conueſtita placent, nuda diſplicebunt. Credite non mentienti, nec fallere volenti mihi. Cum acerbitate concoquuntur, quæ iucundiſſimè deuorantur.

Agite iam Prudentia, non Voluptas in conſilium adhibeatur inimica Rationi: ſenſus clãdeſtinus ſce-

le-

leris conſiliarius, reijciatur: blanditias illas naturæ procul amoueamus: Hæc vtrum iucunda eſſe intelligitis, an videri? Amare, & amari ſapienti venenum voluptate conditum: formæ pompam circumferre, mimicæ leuitatis: venalem ſenſibus volitare, meretricium. carpere florem ætatis, tam turpe, quàm dulce: in oculis eſſe Iuuentutis: habitare in oculis aliorum, ſępe noxium, ſemper ignominioſum: florere amicitijs inuidioſum: in inuidia eſſe periculoſum: nuptijs animum adijcere, licet conceſſum; blandum malum: Viri viuere arbitratu, matronale ſeruitium; ſtatim ab ipſis nuptijs fluctuare curis, voluntarius dolor: animum in multa diſcerpere, atque diſtrahere, carnificina tam moleſta, quam libera: iuuentutem, voluptatis caput, & crebro fluxu, & defluxu ætatis areſcere, intolerandum. filios, ſi nullos ſuſcipias, timebis ſolitudinem: ſi multos; egeſtatem: ſi paucos, orbitatem: & quos ſuſcipias cum gemitu, illorum mox vitam cum ſollicitudine educes: mox funera cum mœrore produces: denique aliunde pendere, ſemper aliquid ſuſpica-

ri, ingemiſcere damnis, torqueri doloribus, diſcruciari cura, inuidia diſrumpi, mortem metuere, vitam odiſſe, is habebit in optatis, qui mẽtem melius optaret à Deo.

Sed hæc amara, & ipſum fel acerbitatis à natura, amoris dulcedine, & voluptate miſcentur, & mitigantur, quam quia Mortales deliniti ſenſu ſitiunt ad inſaniam, dum ſe in illam, ingurgitant, venenum ebibunt per imprudentiam. Vt vt iſta facimus; ſunt dulcia vel deſperatione meliorum, vel vſu emollita quotidiano; & ex medullis noſtris haurimus, quam voluptatem aliunde putamus hauriri poſſe. Canes profecto ſic oſſibus incubant obiectis, quæ nuda, & omni detracta carne dum arrodunt, ruptis gingiuis, & ſuo ſanguine cruentatis ſibi videntur ali dulcedine paſti non aliena, ſed ſua.

At Matris dulce tandem nomen, nempe, ſed partus dedit. Plurimis inniti præſidijs poſteritatis, iucundum; ſed emendum dolore. tuam indolem in multis, ex te natis agnoſcere, mel ipſum voluptatis: ſed à puerperio eximendum, & quanto cum felle miſcendum! Laxare ædificia

ficia thalamis: Nurus, ac Generos, Nepotes, ac Neptes, Affinium, & Agnatorum domi cōſociatos greges videre: illorum affatu, aſpectuque amara curarum eluere: moleſtiarum onera cum vitæ Conſorte partiri: dolorem tuum illius dolore lenire, & illius viciſſim tuo, eadem velle, eadem odiſſe, eoſdem exitus vel perhorreſcere vel optare: ad illius gemitus ingemiſcere, eius lætitia exhilarari: collacrymari ad lacrymas: ærumnas nimium in humana vita multas vltro, citroque communicando, vel omnino tollere, vel eleuare; nonne ipſa videtur medulla dulcedinis? quid illa? propinquitatibus, & cognationibus amplis inſiſtere: ſobrinorum, conſobrinorumq; gregibus ſtipari? cariſſimorum coronam aſſidere moribundæ? viuere poſt obitum in ſuis? ſupereſſe ſibi, deſiderio ſui pleniſſima domo relicto! ab ijs, quibus viua ſponſalia dederis, mortuam exigere parentalia, nonne ſumma votorũ apud mortales: non beatum: nonne diuinum? Sint iſta: ſed quibus mixta doloribus? facile hæc dicuntur, & placidè fluunt: ſed exploranti; experientique ſalebro-

ſa,

ſa. ipſum verbum *Beatitudinis* obducitur: ſed quibus dilutum ſit angoribus non intelligitur, niſi cum ſentitur. Anhelant, percurrunt ad iſta Virgines vel naturæ illecebris illectæ, vel voluptatis præſtigijs irretitæ: & intimis venis venenum perpotant, & cum illo, quod expetunt, peſtis quam non expectant, acerbitatem. Cur hæc dum appendunt, illa non ponderantur? Mater eris, at poſt partum: filiorum, & filiarum choros circumduces, ſed patebis inuidiæ: ſed patebis tot in locis vulneribus fortunæ, quot capita cenſes cariſſimorum tuorum: ſed ad adultam ætatem tollendi, quos pepereris: poſt puberē ætatem tolerandi. Nepotes, ac Neptes ex te recenſebis: Sed ante emendi dotibus Generi: ſed Nuribus ſeruiendum, quas vel obtruſerit ingentis patrimonij auaritia, vel libido filiorum aſciuerit: ſed cenſus in capita deſcribendus: ſed familiaris res, ſi arcta, in immenſum pro numero amplificanda: pernoctandum, habitandumque cum curis: carpenda de ſomno tempora: ſomnus dilacerandus inſomnijs, ſortiendum quotidie quid optes, quid exparceſcas

ſcas à te diſcendum: ad Virum, ad communia pignora naturæ, ad omnem familiam animus deriuandus: illis omnia timenda, quibus omnia cupias: vota quotidie facienda: fœcunditas in optatis habenda: poſt fœcunditatem, orbitas deprecanda: explicanda ſæpe pompa feralis: funeſtanda cupreſſu limina atratę domus: ſæpe mœrendum: ſoluenda iuſta, Sandapilarijs, & Veſpillonibus quæſtuoſa, tibi luctuoſa. Viuax ſenectus aut non optanda, ne ſuorum ſit futura ſuperſtes, aut vt ſuperſtites habeat; breuis optanda. ſpe, metuque æſtuandum: vibrandus animus in longinguum, in ambiguum librandæ curæ.

Et hæc quidem omnia ſemper adſunt, vt illis voluptatibus annexa: illa vero perraro abſunt, vt non à mortali conditione aliena: in plena domo paupertas, & mendicitas, malorum vberrima meſſis: æs alienũ, verſuræ pecuniariæ, filiæ probra, filij flagitia, Mariti pellices Vxoris infames amores, amantium rixæ; Ancillarum nocturna furta, Scurræ, Mimi, Ganeones, nepotes, helluones, Gnathones: & vitiorum ille turpiſſimus comitatus, ſtuprum,

in-

inceſtus, impudentia, ebrietas, commeſſatio, temulentia, facinus, flagitium, rei familiaris conturbatio, iactura famæ, vitæ corruptela, execrationes publicæ Ciuium, illatæ, acceptæque iniuriæ, flammæ libidinis ardore accenſæ, ſuorumque ſanguine reſtinctæ ſcelera ſemper luenda, nunquam expianda: vincula, Latomiæ, exilia proſcriptiones capitum, ſectiones bonorum, venalis haſta triuialis ignominia inuſta familiæ nota, vita denique cum turpitudine tranſacta, cum infamia, cum mœrore, procul à ſuis, aut cum ſuis exacta, & e terris expulſa ſupplicijs.

Hæc Vxorij, & Maritæ non vident. Ineſcantur proinde, & obuolutum voluptate hamum exſorbent aut hæſurum ſemper in venis, aut cum viſceribus, & vita extrahendum.

Quanto illa & amœniora ſunt, & ad ſalutem memoriamque expeditiora? Numine intimis ſenſibus hauſto, eiecta mollitie carnis, animo à corporis obſequio vindicato eminere: mente in Cœlum reuolare, vnde animis noſtris genus eſt: & omni ſollicitudine deterſa ſpem in-

infi-

infiniti temporis æuum inchoare, & in Terris Immortalitatem benefactis debitam parturire, in Cœlo omnibus vbere voluptatibus parere! Vnam curam ſuſcipere, vt innumeris te exſoluas! Vnum timere, vt omnia contemnas! florem Virginitatis illibatum ſeruare, neq; ſenſibus, tanquam ſuibus proterendum debere, vt ex eo tibi vigens in ſempiternum tempus corolla texatur! cognationem cœleſtium Ciuiũ agnoſcere, & retinere! in illam immortalium Animorum familiam ſeſe perſimilem inſinuare: recurrere ad amplexus Optimi, Maximi, amãtiſſimi Parentis! fontem ipſum bonorum accedere! voluptatibus & puris, & vberrimis & ſempiternis innatare, & illiqueſcere! Oculorum aciem (Mortalitatis caligine diſciſſa, & diſſipata) veri luce, & claritate purgatam recreare! Poſſe à falſis vera dignoſcere: à malis diſpicere bona: à bonis meliora, à melioribus optima! Res humanas, e celſiore loco turbulentiſſimo motu fluitantes, æſtuanteſque deſpicere. Mortalia contemnere: non opinari cum vulgo: nihil mirari: plurima videre: animum nullis motibus agitari:

tari: pectore ſecuro, tranquilloq; eſſe: altiſſimo ſomno perfrui: placide conſopiri: ſomnia vel nulla, vel habentia voluptatem, occurrere dormienti: nec vitam amare, nec mortem metuere: obitum tã expectare, quam expaueſcunt alij: immortalitatis curriculum ſæpe decurſum cogitationibus, & curis, Cœliq; viam mẽte detritam ſoluto cuſtodia corporis animo ſemel excurrere: nuſquam offendere: nunquam repetere! Denique hæreditatem æterni Patrimonij cernere: & quæ ſeueris parce in terris, vberrimè in cœlo demetere!

Eiuſmodi hæc omnia ſunt, quæ & explicata Sorores, & iucunda ex iſto fremitu, & acclamatione (quãtum auguror) quod diu premo cõditum animo, libere profiteri me cogant.

Iam tacitè mihi ſuffragamini: iã pedibus itis in ſententiam meam: iam præſtare Virginitatem ſentitis emancipato coniugio, & citius corporis compage ſoluendus animus videtur, quam ceſtus. Hic muliebris cõptus, hæ Sorores, Armillæ: hæc Venuſtatis ornamenta, quæ morem Maritarum ſecutæ mem-

bris

bris induximus, oculos veſtros fortaſſe perſtringunt, & eſſe me, quæ videor, putabitis. profiteor, moneo, denuncio. Dedimus verba ſeculo: toros meos Nęreus non videbit. aliud agimus: alia ſenſa pectore fouemus: aliud molimur, quam vt Nęreo virginalia debeam. At Nęreo pacta ſum ſponſa. Poſſum inficiari: nunquam iſta conditione conueni, vt pudorem violarem. Sed det Næreus, quod & amabilior, & potentior, & melior ſponſus ante Næreum dedit, & daturus eſt: & tædas accendat. Quis hic ſit melior Næreo quæritis? Verbo abſit inuidia. Deus eſt. Spondeat Næreus me ſecundas non viſuram Nuptas: Spondeat florem non delibatum iri Virginitatis: pudorem illæſum, & integrum, & intemeratum futurum. Illos angores, illas vitæ miſerias sūmoueat à thalamis meis, quas ẹius riualis sūmouebit Deus: & pronubam deducat ad Næreum. Si non poteſt. æqua poſcimus, Meliori cedat. Sed non faciet: non me amat Næreus: candorem pectoris, animum meum, bona mentis aſpernatur: adhinnit tantum

ad

ad formam fluxi corporis. Dum-ſic amat: vitam mihi citius Emiſſarius iſte, quam Virginitatem Deo deſponſam & ſacram eripiet. At non eſt integrum infecta reddere, quæ perfecta iam ſunt. Nos tibi obſides amoris ſui Næreus dedit: Tu nos polliciti tui teſtes circumducis. equidem, quod ad me attinet, expediui pactionem meam: veſtra videtur impeditior. ſed niſi turpiter ad degeneres carnis amores deficitis Virgines; omnia explicabitis. Quas obſides Næreus dedit, reddam Sponſas Deo. Magnum vero, & diuinum quiddam, hoc eſt Dei ductu, & conſilio meo: imo & conſilio, & ductu Dei vos in hunc locum adductas eſſe; vt liberum vobis ſit deliberare de omni beata vita, antequam vos æſtus humani moris, & voluptatis abripiant, & ad illas ſyrtes, & ſcopulos differant.

Vobis igitur hodierna die (Virgines) optio datur, num mortalitate neglecta præmiũ pudoris intacti immortalitatem malitis, an ſpreto cœlo, in voluptatis cubilibus lutulentis omni miſeria circumuallatis participem illã Diuinitatis auram;

& ipſi

& ipſi cœlo parem Animum cum corpore volutetis.

Laudo vos, laudo Virgines lectiſſimæ. ſic equidē augurabar ex egregia indole veſtra: ſic equidem futurum ſperabā: vt præclariſſimæ oris formæ integerrimi animi reſponſura vox eſſet. ergo & amorem etiam meum, & vitam, & mentem, & animum, & ſi id parum eſt, & animam, & ſpiritum & ſanguinem dotalem habeat, qui mihi, qui vobis hanc mentem iniecit. Perſonabit ſcilicet minis Næreus, &, niſi diſceſſerimus à conſilio, fulminabit: Sed in irritum illius cadent conatus. pugnabit pro Sponſis ſuis è Cœlo Deus: altius exſurreximus; quam vt ad nos Nærei tela pertingant: extra iactum, atque ictum nos collocauit Deus. coniuret, licet, Næreus; nationes, barbariam omnem cogat: ad claſſicum milites circumfundat: arma diſtringat: fulgentes gladios iugulis intentet, extrema omnia, & dira minitetur: nos imbelles vulnera nulla perſtringent, irrita tela depellente Deo, cui meque, voſque, quod felix bonum, fauſtumque ſit; deuoueo, dico, ſacro: qui ſibi neq;

voſque ſuo Numine Sponſas aſciuit: ſuo, noſtroque ſanguine dotatas, paulo poſt, niſi animi fallor, immortalitate, cœloque donabit. Dixi.

PRO-

PROSA XVI.

DE POETICO DECORO

Fragmentum Poeticarum Inſtitutionum traditarum in ſcholis an. 1597.

SENTENTIÆ noſtræ Poetarũ magiſtrum egregiũ Ariſtotelẽ laudamus Auctorem, qui Poeſin Imitationem: Poetas Imitatores vocat haud ſemel in eo libro, quem de Poetica tranſmiſit ad Poſteros. Ariſtotelem ſequutus Romanæ Princeps eloquentiæ Tullius (quamquam aliter) non aliud dicere videtur, vbi Poeticam appellat picturam loquentem, & picturam Poeticam mutam: acute: nõ ſecus, ac vere. Pictor enim coloribus veri lineamẽta corporis: Poetarum ſtylus ſequitur actiones veras artificio ſimulandi. Ac Pictor quidem inter optimos numerabitur,

cum imitatione conſecutus eſt, vt à viuis corporibus abſint quam proxime ſimulacra corporum: vt ſi cũ viuis ficta conferantur, iudicium qui ſpectet explicare nequeat: at illud vſurpet Martialis de Catella Publij.

Iſſam Publius exprimit tabella,
In qua tam ſimilem videbis Iſſam:
Vt ſit tam ſimilis ſibi me ipſa.
Iſſam denique pone cum tabella:
Aut vtramque putabis eſſe veram:
Aut vtramque putabis eſſe fictam.

Ita Poeta Summus in primis habebitur cum quæ nunquã fuerunt, nũquam futura ſunt, poetico penicillo ſic pinxerit; vt illa, quamquam eruditiſſimis non ficta, ſed facta videantur. Et ille, ne manus aberret longius à natura; vera ſibi corpora proponit ad imitandum, ſi quid in animum induxit exprimere. Nihilo ſecius alter à vero conabitur exẽplo, ſi quid apta conformatione deſcriptum volet. Sed vt alter ex viuo

vi-

non viuū, at quaſi viuū: ſic alter ex vero nō verum, at quaſi verum aſſequitur hic figmentis, ille pigmentis. Verū artifex pingēdi ſuas res agat: nihil ad nos, quid ex illius lecythis emergat: feliciter opto, colores aſpergat in tabula, quam eruditis oculis probari cupit. fabularum faber, hoc eſt Poeta, noſtra res eſt. Hunc iam ſeorſum à Pictore formamus. Et quoniam ille velum obduxit tabulæ, quam elaborat, ne ſit cauillis prætereūtium obuius; ſeductus, & à ceteris ſecluſus non interpelletur. At Mythodædalus noſter iam nunc, dum fingitur, & quaſi lingua prælambitur; prouolet in apertum: à multitudine non abhorreat: immiſceat ſe ciuium cœtibus: vagus animi volitet Vrbe tota: ſuum negocium eſſe norit alienum: Gymnaſia, plateas, emporia, macellum, myropolia perreptet, vt ait ſenex ille Plautinus: frequens in theatris appareat: in ſtadio faueat Olympionicis: audiat in foro diſceptantes, audiat in Curia conſulentes: agmina ſpectet vtrinque duello commiſſa ſine parte periculi ſui: quantum ad Regū limina natura dediſcat animaduertat: alijs ad gloriam deuijs itineribus abreptis: alijs vaniſſima

ſui opinione tumefactis: alijs ad obtrectandum paratis, alijs ad aſſentandum, quolibet oculos arbitros coniectet: teſtem mentem quolibet intendat, animos, conſilia, mores, actiones, geſtus, ora, colloquia, veſtitum, inceſſum, inſtituta vitæ, cliẽtes, aſſeclas, familiaritates, amicitias, ſimultates, diſcordias, omnem denique vitam diligenter inquirat, & humani communionem, ſocietatemque commercij. Nullum ſibi putet ſanctum, & verendum locum, non à Regia ſe norit excluſum, non à taberna, non à curia, non à foro ſubmotum: non à lycæo, non à tẽplo, non ab hortulis, non à palęſtra, non à funere, non à conuiuio. quicquid cum adoleſcente filio difficilis,

Iratuſque Chremes tumido delitigat ore:

quicquid inſanit Adoleſcens,

Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper:

Quicquid in Gynecæo modeſte geritur à Matrona: quicquid à pediſſequa leuiter, Poetam noſtrum latere non debet.

Cyathos ſorbillantem Syrum: Pſeudolum emungentem argento

le-

ſenem: Gnathonem, cui nomen fecit Peniculo iuuentus, obedientem ventri ſuo, dum auribus ſeruit alienis: Thraſonem, ſe ſe magnifice circumſpiciētem, & venditantem glorioſè, ſicubi videbit, adire non dubitet. Et vt ſemel dicam, vbi olebit homo, Poeta naturæ diligens indagator accedat. At quorſum iſta tam vaga concurſatio? Quorſum? ne frigeat: vt Natura mihi ſpiret in actionibus fictis; quam obſeruauit in viuis. Etenim è foro referet domum, quæ domo deinde proferet in forum ſine controuerſia laudanda paucis, hoc eſt, doctis. Si vero ſimilia ſint multis, hoc eſt imperitis; à multitudine ſeligendum erit, quod maximè placet, profectò quod decet. Ita prorſus Apelles Gnidiam illam venuſtatis, vt ſuperſtitioſe putabant, Deam elegãtiſſima arte perpoliens in tabulam cõtuliſſe dicitur, quicquid eximij ſingillatim collegiſſet è multarum elegantia fœminarum. Simillime Poeta naturæ florem vndique decerpet: quo vitali quaſi colore fabulam perfundat ac pingat.

Et hoc egregium (dixerit quiſpiã) exemplum à multitudine petere,

quod ſequamur à cuius familiaritate receptui ceciniſſe ſapientiæ non vulgaris fuit? Aio: prorſus egregium eſt. Popularia mihi ſint ingenia Poetarum: quando Poeticam in propatulo natura collocauit, è plebe ſumendum, quod admirentur ſummi Viri, dabit imperita multitudo, quod plauſus approbet eruditorum: In fori luce venandum; quod ad lucernam relegat ingenioſus domi: natura quippe non alibi magis exiſtit, quam vbi nudos, humanarum mentium affectus, actionum detegit calor inter ſtrepitus negociorum. Vulgus in ingenij calore mentiri nouit: ſimulare non nouit. Nempe cui sēſus nullum obnubit artificium intimæ doctrinæ, tortuoſum, & callidū ingenium, & quamlibet à Proteo perſonam ſumpturum in loco, cuiuſuis potius eſt, quam illius apertū, quod in amicitia laudat Lælius, pectus habet. Vbi voles, omnem exſeret mentem: vbi voles in ſanctiorē theſaurum admittet cogitationum ſuarum. In fronte vultum mentis inſcribit: demum quicquid eſt, foris eſt. Arcana conſilia tegere: ſimulationis artificium ad tempus accommodare diſcimus, à Natura nō hauri-

rimus. Vitium non innatum, ſed in vſtum: non à natura, ſed moribus.

Quocirca, cum à natura Poeta ducat imaginem, conſtat illius quaſi vultum intuendum eſſe: ſiquidem imago fluere debet ab exemplo: at vbi quæſo melius exemplum capere, quam in publico licet? Vbi, poſtquam exarſit inter veras actiones ingeniū, omnis affectus ex intimo vocatus errat in vultu. Poetarum igitur in publico verſari debet induſtria.

Reſpicere exemplar vitæ, morum: que iubebo
Doctum imitatorem, & veras hinc ducere voces.

Atqui profectò multo magis vera iubebis Horati,

Veros hinc ducere mores.
Ne velut ægri ſomnia vana.
Fingantur ſpecies: vt nec pes, nec caput vlli
Reddatur formæ.

ne

Placidis coëant immitia

ne

Serpentes auibus, geminentur tygribus agni.

Quo poſito, colligitur illud, naturæ veras actiones inſpiciēdas eſſe: quod

inde funditur illud, quod in omni fabula ſeruari debet, *Decorum*: quod nemo Poeta bonus neglexit vnquã, niſi forte ſcurræ, non Poetæ famam aucupari ſibi decorum eſſe ſtatuiſſet.

Humano capiti ceruicem Pictor equinam
Iungere ſi velit, & varias inducere plumas
Vndiq; collatis membris, vt turpiter atrum
Deſinat in piſcem, Mulier formoſa ſuperne.
Spectatum admiſſi riſum teneatis, Amici?

At enim iſti tabulæ ſimilis inepti Poetæ fabula ſit futura, neceſſe eſt: ſi quod erat naturæ conſonum, neglecto, quod abſonum erat, affinxit; vt & totum ipſum à ratione ſit alienum, & totius non ſumma medijs, non media poſtremis, nõ poſtrema ſummis, & medijs apta rerum, & verborum collocatione cõſentiant. Qua conſenſione vim decori comprehendimus vniuerſam: vt decorum ſit, quod cum vnius naturæ dignitate conuenit. quod autem di-

ſcrepet indecorum, quod nec in fabularum, nec in naturæ conuenientia requiritur. fabula porro quoddam eſt totum ſuis partibus; & naturę congruere debet non ſolum in vniuerſo genere, ſed etiam in reliquarum diſtributione partiũ. Hinc fit, vt decori deſcriptio ſit duplex. Nam & generale quoddam decorũ intelligimus, quod eſt in omni fabula & cogitatione magis, quam re ſeiungi poteſt: vt à pulchritudine valetudo non ita facile ſecernitur. At alterum eſt huic ſubiectum, quod ſingulis fabulæ partibus aptum illas accommodata circumſcriptione complectitur. Prius illud ſic fere finiri placet. Decorum videri, quod eſt conſentaneum in eo, quod Poeſis imitabitur generatim, & vniuerſe: Poſterius, quod imitabitur in partibus ſingulis cum conuenientia totius, & partium. Superius illud in vniuerſam fabulam conuenit: hoc poſterius in fabulæ partes: illud à natura ducitur, propter naturam: hoc à natura petitur propter totum. Poëticum porro decorum illi decoro non ita diſſimile videtur, quod Philoſophi quærunt, & virtutis honeſtate, morumque dignitate me-

tiuntur. Nam & ipſum duplex eſt, & in ea quam dicimus conuenientia vertitur. Quoddam enim decorum ad omnem virtutis honeſtatem pertinet, latiſſime fuſum ad omnem vitam, omneſque mores illa virtute temperatos: quoddam in dictis, ac factis ſingulis inuenitur ab illa virtute præſcriptis. Vt illum eſſe moderatum exempli gratia dicamus, qui vitam omnem ad temperantiæ normam exegit: illum moderate feciſſe vel dixiſſe, cuius dictum aut factũ cum temperantiæ moderatione cõgruit. Ita decere fabulam dicimus, cum tota ſibi conſtat, ac conuenit: exemplo, quod ſumpſit à natura cũ dignitate ficto. & Poetam decori dicimus rationem habuiſſe, cum ad fabulæ totius dignitatem, partes ſingulas accommodauit. & decorum illud quod elucet in Honeſtate vitæ; mouet aeimos: cum, quemadmodũ concinnitudo, corporis, quam pulchritudinem dicimus, pellit oculos, & delectat hoc ipſo, quod apta ſibi compoſitione membra cum quodã lepore reſpondeant. Ita Virtutis, in altero cognitę decorum mouet ad probationem animorum, vbi quid in altero cernitur cum Virtutis ho-

neſtate, cum ordine, cum dignitate conſentiens. Ita fabulæ ſpectantium animos incredibili voluptate perfundunt, cum decorum apparuit illud, cum venuſtate naturæ conuenienter expreſſum. Verum Philoſophi, quẽ quid deceat, ex Virtutis ratione iudicabunt. Quibus æterna lex, ideſt, diuina Natura perſonas, & officij partes impoſuit. Poetæ non è Virtute ſolum, ſed etiam è vitio quid conueniat, & deceat videbunt. Nã cum in magna perſonarum varietate verſentur, quarum omnium partes, vt diximus, cum dignitate ſubſtinendæ ſunt; non minus peccent in Gnathone, ſi vituperet nepotem in patrimonio Pamphilum, quàm in Chremete, ſi laudet Gnathonem cum filio pergræcantem

Quod nolunt, velint.

Et

Ferrum tuetur Principem.

Et

Quid quid excelſum eſt cadat.

Si Minos legũ lator, aut Inſtitutor morũ Seneca diceret; indecorũ videretur: quod Minois, & Senecæ clementiæ fama percrebuit. At Atreo, & Nerone dicente, tota cauea plau-

ſus excitantur. Eſt enim impotentiſſimorum Tyrannorum perſonis digna oratio, quorum eſt præter ceteros nobilitata crudelitas. Conſtituatur igitur dignum perſona quod ſit, Decorũ eſſe: Decorum autem è natura ſpectari oportere: ſi quid Poeta procudere volet minio notãdum, ſæpe relegendum, Mnemoſyne dignum.

PRO-

PROSA XVII.

EXPOSTVLATIO

Vietæ

Contra Clauium confutata.
Romæ ſcripta anno
1602.

Expoſtulationis tuæ ſubitus, ac vehemēs impetus, quo tanquam fulmine Clauium doctiſſimum, eumdemq; religioſiſſimū & antiquæ, ſpectatæque fidei Virum afflaſſe tibi videris: magnam à doctis viris infamiam in te retorſit, ac præſentem reflauit, Vieta, ſi neſcis inuidiæ peſtem. Eam tu niſi primo quoque tempore quoquo modo ſedaueris, ac potius oppreſſeris apud æquos æſtimatores veri; ſcito iam nunc (quod miſerrimum eſt exitij genus) tuo tè vulnere confectum eſſe. Equidem niſi plane ſciam te natu iam

grandiorem, difficulter admodum, ab eo poſſe deduci, quod in animũ ſemel induxeris: magnopere, ſic me Deus amet, auctor tibi ſim pro eo, quanti Mathematicorum nomen, ac dignitas apud me ſemper fuit; vt boni potius, quam magni nominis eſſe velles. Verum quis ego ſum? vt, quem hominem non ratio veritatis æterna lex, non modeſtia ſanctiſſima Iuſtitiæ cuſtos, non doctrina fidiſſima ceteroquin dux caſtorũ animorum in tanta cæcitate vitæ, non officium, à quo diſcedere ſalua religione non poſſumus, non doctorum iudicium, quorum acies à gratia præſtingui nequit, non exiſtimatio bonorum, quorum offenſiones, qui recte ſentiunt, ſemper cauent, non Pontificum auctoritas, quam nemo defugit vnquam, niſi qui fuit ab Numinis auctoritate fugitiuus, non conſentio Nationũ ab eo, quod à te contra dicitur, abhorrentium, non poſteritatis verecundia, quæ nihil in ferendo ſuffragio demortuorũ gratiæ concedit, nõ conſcientiæ terror, non religionis metus, non humanitatis fides, quæ tria vincula generis humani, qui poſtrema ruperũt; vix vllum aliquando receptum ha-

be-

bere potuerunt ad vllam officij, iuſtitiæque partem quem, inquam, hominem tam multa, tam grauia, tam ſancta nomina moderationis, & humanitatis à maledicentiæ temeritate deterrere nō potuerunt: vt apud eum meam hominis priuati interceſſionem quicquam ponderis habituram putem? Stultus ſim, ſi putem: ridiculus, ſi ſperem: ineptiſſimus, ſi contendam. Meæ videlicet litterulæ moueant, quem Pontificū diplomata nō terrent: vnius hominis reprehēſionem audiat, qui Principum obiurgationes contempſit? admonitionibus hominis ignoti pareat, qui reclamantis naturæ vocem intimam non exaudit? An horter, vt ab Eccleſiæ Romanæ iudicio diſſentire nolit? qui Proteſtantium iam nunc appellat fidem? Quaſi vero nefas illis auctoribus ſit impium ſibi Kalendarium Eccleſiæ quærere, qui nouum ſibi Chriſtum nouam Eccleſiam ſomniarunt. Quid eſt? Numquid ego conturbo te? Nihil eſt, quod à me tibi timeas, mi homo. libero te iſthac iudicij cura: Nunquam tu quidem hoc nomine cauſſam dices, Proteſtantibus præſertim patronis, qui Romani Pontificis iu-

di-

Viam qui neſcit, qua deueniat ad
mare,
Eum oportet amnem quærere co-
mitem ſibi.
Ego malè loquendi vobis neſciui
viam:
Nunc vos mihi amnes eſtis: vos
certum eſt ſequi.
Si bene dicetis: vos veſtra ripa
ſequar.
Si maledicetis; veſtro gradiar li-
mite.

Sit hoc ſanè (quamquam aliud ago) beneficium à me tibi, ſit hæc moleſtia, ſi quando factum mutare volueris, in aliqua conſolationis parte, cum laxamentum quæres, & lenimentum doloris. Quotieſcumque videris à culpa nō abſuiſſe pœnam: cui, quod impunè dixeris aliquando non ita diu fuerit immune maledictum. Quod ipſum ad ſanitatem redire cogitantes in lucro deputant, etenim quoniam factum infectum, & dictum indictum vt ſit, reuocare non poſſunt; ad id quod proximum eſt bonis mentibus, confugiunt: vt voluntarium dolorē inurant ſibi, pudoremque ſuſcipiāt audaciæ, iuſtaſque pœnas dependant temeritati ſuæ.

ſuæ. Quam ob rem non poſſunt nō amice quamuis acrem eorum animadnerſionem interpretari, quos vlciſcendo dolori ſentiant idoneam ſibi materiam præbuiſſe. Atque hæc quidem tna cauſa, Vieta, dixerim: vt intelligatur me non temeritate ſententiæ, non iactatione doctrinæ, non maledicendi ſtudio, non contentione partium, adhoc officium reſponſionis adductum fuiſſe. Ceterum aliæ cauſæ ſunt, quod ad me ſpectat, eæque non paucæ nec leues. In primis eſt illa tam ſanctè tibi commemorata ſanctiſſima Veritas, ad quam indagandam, & obtinendum non ſolus tu natus es: ſed omnes eius cupidine ducimur, quicumque mentis intelligentiam hauſimus, & liberaliter inſtituti ſumus: ſi modo nobis aliquis alius homo naſcitur in terris præter te.

Veritatis autem auctoritas, quāti ſit, aut eſſe debeat apud Mortales omnes; vel id argumento ſit, quòd ſub eius nomine pugnauiſſimè deliteſcunt qui flagitioſiſſimè mentiuntur. Vt iam iniquiſſimum ſit in Veritatis Regno plus ſibi falſos homines arrogare, quàm veros. Huic ergo ſanctiſſimæ iuſtiſſimæque Do-

minæ

minæ ſatisfaciendum eſt omnino, ſi tibi conſtas: niſi tamquam fictam perſonam inane nomē Veritatis inducis. Cur autem adſentiaris tibi, ſi vere ſanari cupis; nullam cauſſam eſſe vides: vt aliud in pectore conditum; aliud ex promptum in oratione malis. Non omnes fallis: immo nec multos: & in multis, (vide quid audeo dicere) numero te. tacitos animi tui ſenſus teſtor, & intimas appello cogitationes tuas. exuenda proinde falſitas. rem enim tibi vides eſſe cum Veritate: vides eſſe cum Doctis, quibus verba dari difficillimè poſſunt. reijciēda fraus. fallacia repudianda: mendaciorum integumenta, quibus obuoluuntur turbellæ tuæ, tamquam putamina detrahenda ſunt, ſi quaſi nucleum adipiſci fructum veræ rationis ſtudes. Quædam etiam animi mollitudo, teneritaſque Indulgentiæ remouenda: quoad os vlceris aperiatur, latentiſque vitij caput penitus exulceretur. Durum: fateor. aſperum: concedo. difficile: non nego. Sed noſti, quomodo tibi ſe res habet? ſubamarum hoc poculum obducendum eſt, vt conualeſcas. Ineſt plerumque ſuccis, quos

ſtomachamur, non ingrata, quamuis iniucunda ſalubritas. An tu nimium delicatus es? an amariorem te ſenectus facit? Quin tu te confirma, bone Vir: ſac animo magno, fortique ſis.

Animus bonus in re mala dimidium eſt mali.

& in gratiam tecum ipſe iam redi, qua pote, qua licet. Nam à te ipſo, mihi crede, diſſentis. Interim noxia voluptas iſta quod potius, Veritati reſoluatur, & inimica rationi falſa gloriola renumeretur: quam à calumnia, concertandi ſtudio vindicaſti.

An etiam nihil eſt, quod Clauio Magiſtro meo permultis, atque immortalibus officijs obſtrictus, in eius hoc tempore contumelia conniuere nullo modo poſſim? Nam ſi contumelias tuas, iniuſtiſſimas, accerbiſſimaſque præſertim, tacitas præterire patiar; non video, qui ſuſpicionem prætermiſſæ gratię vitare poſſim. maximè cum eius Viri ſit ſuſcipienda defenſio, qui quanto pulchius ſibi ducit de virtute certare cum bonis; tanto turpius exiſtimat eſſe de verborum impunitate non conceſſiſſe maleuolis. Damus

hoc

hoc etiam Iuuentuti: ne ſenis hominis exemplo, ſibi contumelioſam audaciam conceſſam putet. Damus Chriſtiani nominis dignitati: ne Romæ deſerta Veritas: ne modeſtia cuiuſquam circumſcripta, ne ſanctitas oppreſſa, falſiſſima, improbiſſimaque criminatione videatur. Damus Poſteritati, cui tum optime cauemus: cum quam veriſſima doctrinæ monumenta tradimus: Romanæ poſtremo Religioni damus, Romanæ dum dico, Catholicæ dico; cuius diuina decreta, qui reſcindere conatur, ante de ſuo ſe crimine purget: quàm alium accuſet neceſſe eſt. Nam ne ſis, Vieta, neſcius, primùm promulgationem Kalendarij tui: deinde Clauiani criminis accuſationem, & Expoſtulationem tuam, qui Clauio ſtudent (ij vero plurimi ſunt, atque doctiſſimi) prodigam verborum inſcitiam, inanemque iactantiam nominant: qui morum modeſtiam in doctrina requirunt; perditam improbitatem animi malignitate ieiunam vocant: qui Romanæ dignitati fauent; hoſtilem fraudem perfidam inconſtantiam appellant, impietatem non ferendam, crimen execrandum, puniendam

nien-

niendum ſcelus: qui tibi nec irati ſunt, & modeſtiſſimè loquuntur; furorem, audaciam, temeritatem, inſaniam, cæcitatem. Habes quibus cauſis impulſus, tuas iniurias à Clauio defendam. quas quidem ille tibi vel ob modeſtiam remiſit: vel ob exaggeratam animi magnitudinem ad ſe non exiſtimat perueniſſe. Quorum alterum obiurgat inhumanitatem tuam, qui Virum modeſtiſſimum ne verbo quidem laceſſitus accuſatoriè lædere coneris: alterum ſtultitiam reprehendit, qui puerorum more tela nequicquam iaculeris, quo tua vulnera non pertingunt. Quæres, quid mihi negotij tecum ſit! Nihilo ſane plus, quã tibi ſit mecum. Tamen Homo ſum: humani, quemadmodũ ille Terentianus ſenex, à me nihil alienum puto. niſi tu forte magis humanũ putas aliorum circumuenire, qui te nunquam læſerint, innocentiam, quam defendere. Nam proh ſanctam, & priſcam fidem! Quid tibi vis? quid iſthuc, Vieta, conſilij fuiſſe dicam? Vt, quos ne de facie quidem noueris, & quos in re tua nulla, contra te veniſſe, niſi tibi planiſſime mentiri velis, teſtis ipſe ſis,

om-

omneſque teſtentur; in eos tam accuſatoriè,tam inimicè,tam inſolenter, ac contumelioſè tantum tibi iuris vſurpes: quantum,ſi tibi concedi modeſtiſſime poſtules ab improbiſſimis; audaciſſimus iudiceris? Poſt in reſponſione noſtra demonſtrabitur, quàm immane, quàm inſolens, quàm nouum tibi facinus licuiſſe duxeris. Nunc illud quæſo de te: liceat ne nobis ignotis, & alienis in hac Italiæ quiete litterarum otio frui? liceat in hac tranquilla Catholicæ Religionis cuſtodia patritam,& auitam tueri fidem? liceat per te citrà periculi metum in ſinu Romanæ felicitatis agitare ferias noſtras, & pacatiſſimæ Sanctitatis Alcedonia, ſic,vt hoc Pontifice nūc eſt, & ad hanc diem fuit bene de Repub. ſentientibus beatiſſime? liceat à Proteſtantium, ad quos procuraturus videris, impia falſitate diſſidentibus, & nihil, niſi vera, ac ſancta teſtantibus ignorare qui ſis? albus, an ater homo ſis extra dimicationem, & diſcrimen capitis innocentibus ignorare liceat? vt video, non licet. Qui modo (quod tu quidem minime vis intelligi) gloriolæ raudüſculus, ac leuiſſimi nomi-

minis fugacem vmbellam ab hominum ſermonibus aucuperis. quid deinde moueas, verum, an falſum: æquum, an iniquum: ſanctum, an profanum: humanum, an barbarum: nihil penſi habes.

Satis multis explicaſſe videor cauſſas Reſponſionis meæ. Venio nunc ad Expoſtulationem tuam. In quam verbum illud Plautinum conferre licet

Imitatur nequam beſtiam, & damnificam.
quam nam amabo?
Inuoluolum, quæ in pampini folio intorta
implicat ſe:
Itidem hæc exorditur ſibi intortam
hic orationem

turbidam, æſtuantem, tectam, obſcuram malitioſam veteratoriam, maleficam, inimicam. Verum habeo ſapientum in hoc genere coniecturam. quicquid turbulentum, incertumque ſit, quamquam ea non appareat, quam ob rem eiuſmodi ſit, non carere ſtultitiæ temeritate. Benè piſcator Mycalus

Ca-

Capſis tibi ſubnatat ad manum in turbido
Sepia non atramentum vides?

Vt autem, quemadmodum in dimicatione gladiatores ſolent, in aliqua ſtatione conſtituamus gradum; Expoſtulationem tuam particulatim, articulatimque concidam: ſic, vt in vnaquáq; parte, quam adſumpſero, velut in certo veſtigio figam pedem: & quoad eius fieri poterit (nec enim erit difficile) primùm à Clauio tua vulnera depellam: deinde qua nudum dederis latus, in te tua tela conuertam.

Hæc itaque ſit in aditu congreſſionis, & conflictus velitatio quædam, & prima de nominis inſcriptione proluſio.

VIETA *Franciſc. Vietæ adverſus Chriſtophorum Clauium Expoſtulatio.*

STEPHONIVS Plane tibi narro mi Tyreſia. quære tibi ducem aliqua te bona Manto paſſim offenſantem deducat domum. iam ... num ad limen turpiter offendiſti Accuſatum à te Clauium iamdudū. mox dices Cur cum illo nunc expoſtulatum oportuit? An quia pur-

gare ſe Clauius noluit? An quia Iudices tuam accuſationem recipere noluerunt? Vide ſis, vtrum malis: vtrumuis eligendi tibi liberam optionem relinquimus: aliud in Expoſtulatione tua nihil eſt tertium. Aut Clauium, aut Iudices accuſas. Vis reum Clauium iudicium contempſiſſe? Vis accuſatorem à Iudicibus neglectum eſſe? Si Clauiũ vis; An tu, niſi plane conficta tota hæc ratio iudicij foret: hominis opprimendi locum tam inſignem, atq; opportunum prætereires? Cur Expoſtulationis leuiore verbo vim elideres criminationis tuæ? Si vim vllam haberet intentum crimen: ſuperbe legibus (exclamares) aduerſarius non paruit: Contumaciam hominis conſtringens vehementius: rem intentius ad Iudices iterum referres: pro tuo iure grauius inſtares. cauſæ fideres: crimen vrgeres. Nimis tu quidem amice nobis inimicus es, qui quaſi cum colluſore nouitio rem geras, accuſatoris acriore telo remiſſo; plũbeum Expoſtulatoris gladiũ ſtringis: & Herculem, vt eſt in prouerbio, talitro percutis. At ego te primo ferocem putabam, vt implacabilem,

bilem, cum infeſtum te nobis accuſatorem gerebas. En placidior es, & æquior quam putaram. Qui nobiſcum, tamquam cum amicis familiariter expoſtulas de illatis iniurijs, tamquam acceptis. An à Iudicibus reiectam eſſe mauis accuſationem tuam? Hic tu ſi quicquã cauſſæ conſideres, homo moderatiſſimus videlicet taceres? qui Proteſtantibus vis eſſe cautum: non Cœlum, terram, maria clamitares? non Iudices appellares? non Superum atque hominum implorares fidem? non æquiſſimam cauſam iniquiſſimè deſeri teſtareris? Nihil horum facis. fatearis igitur Accuſator modo, nunc Expoſtulator, cum horum neutrum loco facias: immo cum perturbatè facias; vtrumque non minus inhumaniter, quam falſo totum hoc nomen inductũ fuiſſe Iudicij Clauiani: tibique neq; cum accuſabas, quicquam criminis, tum fuiſſe: neq; nunc eſſe, cum de Clauij cõtumacia vel non auditus à Iudicibus, vel irriſus expoſtulas. Quid igitur cauſæ fuerit, cur omiſſo Iudicio nunc expoſtulando ferociter ad multitudinem, re, verbo ad Iudices vociferere.

Quid ? neſcio. Niſi, ſi verum eſt, quod in cœtu Doctorum ab homine non inſulſo memini dictum in te facetè (nam ne ſis Vieta neſcius) in te dicaces homines reddidiſti. cum enim in conſeſſu nonnullorum nobilium, & eruditorum hominum proximè recitaretur Expoſtulationis tuæ libellus, vir ille de quo dicebam ſublato riſu nouum Monſtrum (inquit) & ad Ouidij Metamorphoſim adijciendum. En Vieta, vetulus, vt olim fingitur Tithonus, in cicadam verſus eſt. Auditis, vt ex inani pectore profuſa vox inconditè ſonat? Mirum, niſi, quia vera ratio defecit hominem, criminoſis vociferationibus obſtrepẽs in Clauium inceſſit: abſurdiſque declamationibus aures eruditorum obtundere non ceſſat. Cui ſubridens alius, imo ſi poëſim Ouidij locupletari placet; quin tu, cernis Soligenem in Soſiam verſum? Non vides, quemadmodum Vieta Plautinum Soſiam æmulatus diſſimulato Clauianæ confutationis metu, minacem iudicialis contentionis ferociam ſimulat? & in Clauium, vt aduerſus Mercuriũ Soſias pro fortitudine confidentiam adſumit? Vt ſe

deci-

decipit miſer! Quia lucem Veritatis reformidat: præſtigiarum artificium adſciſcit. quaſi verò fallere doctorum hominum intelligētiam, & ſuam conſcientiam poſſit. O Proteu, Proteu,

Quid toties vanis ludis imaginibus?

Quis finis obluctandi? infelix arctiſſimè teneris Ariſtei nexus iſta tua contentione Victa non exſoluis: arctius adſtringis. quid facias?

Tute hoc intriſti. tibi omne eſt exedundum.

Quid Clauium à ſcribendo deterrere contumelioſis vociferationibus paras? ridiculè ferox es. Remoue perſonam: fictum exue ſimulacrum: hæret altum in pectore fixum vulnus: admiſſæ fraudis ad animum permanat dolor: in cute tantum coloratus,foris audes: intus paues. Aduerſarij docti per iniuriam à te laceſſiti Reſponſionē times,mi homo: nec maior cum Clauio; quam tecū tibi diſſenſio eſt. Ridiculè. nunquam iſtis artibus Aduerſarij fortis certiſſimum, ac deſtinato accidens telum declinabis. vel pueri norunt impetus Soſianos. Imo,ne tibi præ-

dictum neges: fruſtrà tergiuerſaris. Clauius ſtrenuus, & exercitatus eſt. Citius Acheloum Hercules, quam ille te dimittet. Qui confutatis in Kalendario fallentibus rationibus tuis, ac propediem cum Gregoriani Kalendarij Explicatione vulgandis, te tibi ſerò metuentem, & nequicquã obluctantem egregiè iam nunc comprehenſum, ac constrictum tenet. Noſter es. elabi, Vieta, non potes. Iudicia, crimina, clamores, accuſationes, expoſtulationes inania declamantium verba ſunt. niſi forte declamitando vocem exerces, vt colligas ſitim. Proluſum eſt ſatis. Imo nec ſatis: proximos video græcos ludos. Tuum ne eſt hoc Epigramma græcum, quod ad libelli frontem adſcribis, an alienum? ſi tuum, in re grauiſſima putidiuſculè nugaris. ſi alienum: coronæ præconem ante victoriam adhibuiſti. ſed tuum eſſe narrant, qui te ſciolum eſſe norunt. Non equidem inuideo miror magis.

VIETA. *Accuſaui iam dudum Chriſtophorũ Clauium de corrupto Kalendario.*

STEPH. Accuſaſti, Vieta, Clauiũ nullis maleficijs infensũ tibi. Nihil quæ-

quæſieris inquis, de me, publica me, nō priuata tangunt. laudo tertium è Cælo Catonem, Reipublicæ conſulentem. Tamen exculpere poſſim ex te, quæ nam iſta ſint publica Clauij maleficia, quibus illum diris imprecationibus deuouendum putas? Nam hoc potiſſimum petere videtur accuſatio tua. quid ni poſſim? Kalendarium Romanum, quo rerũ publicarum adminiſtrationes, quo feſti, profeſtique dies, quo cærimoniæ, rituſque ſacrorum, quo demum humanæ vitæ ſocietas continetur omnis, infelix, & male feriatus adminiſter Gregoriani conſilij corrupit. En crimen, en cauſa. Morum corruptorem, hoſtem humanæ ſocietatis, commerciorum perturbatorem, euerſorem iuris, & ſanctitatis, hominem impijs criminibus coopertum, in iudicium adduco: quem æquiſſimis Iudicibus accuſem; & condemnem oportet. Mox iſtuc videro, num iſta tã immania crimina cõueniant in tantum virũ. Nunc illud edoce. Publici maleficij compertum accuſaſti: quo quæſo more? Maiorum? Quis dubitat? Scio. Non iſthuc quæro. Siquidem etiam qui calumniantur impuden-

tiſſimè, calumniæ quam ſanctiſſimũ nomen obtendunt. Illi quoque, qui nequiſſimè criminantur, accuſare ſe dicunt more Maiorum: eaque in re fœminas imitantur impudicas, cum vti fit, in altercatione primam pudicitiam teſtantur. Sed illud quæro, qua lege, quo foro, quibus teſtibus, quibus Iudicibus Clauium Virum iſtum peſſimum accuſaris. Hoc reſponde. Taces? æſtuas? hæres? Neſcio quid perturbatus videris. Aliquid excogita. Quid hæſitas? Quam miſerum eſt id fateri non audere, quod prolatum tueri non poſſis? Agè ſis, aliquid, vt ſoles, confinge ſaltem. Exprime certe quibus Iudicibus accuſaueris. Quæ (malum) iſta quæſtio eſt? Non dico: neq; ego tibi reſpondeo: neque conſuto leuiſſimam criminationem tuam, quamquã video quid premas, quod ſi patereris erumpere: tibi conclamata res eſſet. Dicas te iam triennium edito Kalendario tuo Clauianum] Kalendarium mendoſiſſimum oſtendiſſe doctis? opponam: Hoc vtrum erat accuſare ad Iudices: an diſputare cum doctis? Expectandũ igitur erat, quoad is, contra quem dicebatur, & quem id ipſum iam pri-

dem moliri ſciebas tuis rationibus ſatisfaceret. Quid illi, quaſi tibi nūc arma ſubmiſerit, iugulum premis? Nam, ſi quod mendoſum apparet in Mathematicorum rationibus, id capitis crimen ad Iudices, non ſententiæ dictionem apud doctos eſſe vis; vide quid de te futurum ſit, in cuius ſcripto tam multa mendoſa reperiūtur. At non tam, inquies, cum doctis, quam cum Romano Pontifice, penes quem eſt huiuſce iudicij ſumma, tunc agebam, cū rationes meas ſicut oportuit explicabam. falſum. Nam nec Kalendarium tuum Summus Pontifex vidit: & cum reſciuit in lucem prodijſſe, non probauit: non probauit autem? palam te tam confidenter inſanientem redarguendum, ac coercendum conſuit. Ecquid mentior? At ſi mentior; quin huc concedis, vt Clauium accuſes? Age, te committe in viam, ſi vales, & ſanus es. Roma noſtra non fugit. hoc forum eſt: hic iuriſdictio eſt. quid mihi declamitas ad multitudinem? quid ad Proteſtātes expoſtulando prouocas? faceret vtinam Deus, vt ad hoc publicum omnium Gentium conſilium te bona tempeſtas aliqua deferret. In-

terrogatus doceres nos hæc omnia.

Primum. Cur Clauianum Kalendarium maledictis, non enim rationibus, proſcindere auſus fueris, quod ſcires ante vigeſimum annum Gregorij Summi Pont. auctoritate compoſitum, ac promulgatum fuiſſe. Deinde, cur, quod apud Pontificū concilium per complures annos à doctiſſimis noſtræ memoriæ viris habitum, & frequentatū eſſet vſque eò, quoad id, quod ea de re Maximus Pont. inſtituendum, perficiendumque curaſſet, ex eiuſdem ſentētia tranſactum componeretur, promulgaretur, comprobaretur: tu tantæ confidentiæ fueris, vt doctorum concilium illud ſapientiſſimum nihili faceres, grauiſſima Pontificis decreta reſcinderes: nationum ſtudia, Principum conſenſionem, Reipublicę morem (mos enim tot annorum vſu tenebat) pro nihilo putares? Tertio. Cur exemplum Kalendarij tui publico litterarum prælo poſt ætatē mandaueris inſciente Pontifice? Quarto. Cur venale prius propoſueris, quam ſuſpicari Pontifex potuerit à te fuiſſe conſcriptum? Cur publicis conſignatum litteris ad Europæ

ropæ celeberrima Emporia tranſmittendum curaueris, inſciente Pōtifice? Quinto. Cur contra Pontificis auctoritatem, quod Pontificium negotium erat, pro tuo iure, (nullo dico, dum dico tuo) tibi ſumpſeris, Vietæi muneris eſſe volueris, vt Pōtificias litteras Pontificium decretum Gregorij diploma tuo Kalendario per fraudem adſcripſeris: ignaro, vel potius contempto Pontifice, quocumque facinore, quocumque periculo ſubuerſurus omnia, quæ doctè, ſanctèque Romanum Pontificis concilium, & Imperium cum ſumma Principum, ac populorum omnium conſenſione, & gratulatione ſtatuiſſet? Sexto; Cur falſa decreta confinxeris, vt auctoritatem Pontificis, quantum in te fuerit, eleuares? Cur aliud, hoc eſt, falſum Kalendariū nouæ conſuetudinis architectus machinatus ſis? Demum cur Pontificias litteras in tua mendoſiſſima ſcripta translatas ſignis adulterinis obſignaueris? Hæc inquam omnia nos doceres, hic ſi eſſes Vieta. Hæc tu tam immania, tamque capitalia facinora concipere animo, nedum manu aggredi potuiſſes, niſi Proteſtantium præſidijs ſeptam eſſe
 tuam

tuam audaciam, & tutam fore conſideres? Sed ſcelus in ſcelere cognoſcamus. Quid enim aliud faciat perditis rebus conturbator, ac perturbator audax, quam temerarium inceptum temeritate tueatur? Ergo Vieta crimen admiſſæ fraudis, quo niſi gladijs factioſorum fideret, Iudices, illum omnibus legibus condemnari neceſſe erat; quoniam id tueri non poteſt, à ſe emoliri, & crudeliter, hoſtiliterque in Clauium innocentem, atque amiciſſimum quietis deonerare conatur. A Clauio corruptum eſſe clamitat Gregorianum Kalendarium, qui ſuum ipſe mendoſiſſime compoſitum, ſceleſtiſſime propoſitum audaciſſime defenſum Gregorianis litteris adulterinis vigeſimo poſt anno reclamãtibus nationibus, in os Pontificis temerarius Soſigenes impegit. Sic plane eſt: vigeſimo poſt anno: Cur enim, aut quo modo mentiamur in re præſertim tam aperta, tamque omnium prædicatione teſtata? quæ cum in totius Orbis Chriſtiani luce, atque in hoc omnium Gentium Theatro geſta ſit, in ea locus mendacio eſſe nullus omnino poteſt. Ipſum, ipsũ inquam, ſolidumque decennium, in

Ka-

Kalendario Gregoriano cōficiendo, conformandoque Gregorio Pontifice. tranſactum eſt ab Eccleſiaſtici Computi peritiſſimis, quod iuſſu Gregorij XIII. ſtrenuè ſuſceptum, atque inchoatum à doctiſſimis noſtrę tempeſtatis Mathematicis, quos tu faſtidioſiſſimo conuicio vulgus imperitorum appellare ſoles, ſummaque cura, ac diligentia elaboratum, confectumque; poſtremo Pontifex ipſe primo ſic probauit, vt inſpiciendum tamen, atque expendēdum diligenter ab alijs duxerit: nec ante perſpectam, expenſamque rem tranſegit: quam iudicia cognouerit Imperatoris, Regum, Principum, Academicorum, Gymnaſiorum omnium Chriſtiani nominis; quibus cum exemplum eiuſce laboris communicauerat. Per idem tempus omnium ſermone memini fuiſſe celebratum, ab nobiliſſimis huius ætatis Aſtronomis omnibus (liberam enim omnium poteſtatem eſſe Gregorius voluerat corrigendi, ſi quid eſſet vſpiam erratum) fuiſſe reſponſum nihil vſpiam peccatum videri. Quid multis opus eſt? Rem ſummis ſtudijs expetitam, & perdiù votis omnium Gentium exoptatam, exorna-

tam demum & comprobatam mira
conſenſione doctorum omnium no-
uam ſcilicet anni Romani conſtitu-
tionem Deo bene iuuante, cum bo-
nis omnibus, egregio decreto, gra-
uiſſimo Diplomate communitam,
GREGORIVS XIII. prodendam
in populos, impertiendamque cen-
ſuit. Ex illo vigeſimum & alterum
hunc annum agimus; cum ad eam,
anni rationem omnem cuiuſq; mo-
di morem accommodamus: officio-
rum, & vitæ tempora partimur: mu-
nera demum omnia priuata, publi-
ca, ſacra, profana moderamur. Hic
velim mihi reſpōdeas quid tibi cau-
ſæ fuerit, cur verbum nullum tunc
feceris (nam inter doctos in aliquo
numero tunc eras) cum apud Hen-
ricum III. Gallorum Regem in cō-
cilio veſtrorum Mathematicorum,
ea res agitabatur? nō erat, inquies,
modeſtiæ meę tantorum virorum,
iudicijs meam ſententiam oppone-
re. Ergo nunc per eandem mode-
ſtiam adulterinum cum falſo Kalen-
dario diploma ſupponis? Tunc,
Vieta, tunc licebat improbare, ſi
quid haberes: tunc integrum erat
Pontifici Romano probare, ſi poſſes,
rationes tuas. Nihil noſtrum tunc
im-

improbaſti: nihil poſtea probaſti tuum: nunc extraordinarius, & intempeſtiuus es: & ſero, imo importune baccharis: ac verum prouerbium facis: Actum agis. Tu ne, quod ſemel iure iudicatum conſtabilitumque ſit, id temere ſublatum, & audacter te auctore reſciſſum, & cõuulſum velis? Saltem, cum extra ordinẽ non vocatus adcederes, non extra chorum ſaltares: & ſerus aliquo bono compenſares moram: acutius aliquid, qui cæteris acutior haberi vis, quam ſuperiores Aſtronomi videres. Nunc nihil eſt te lenius, qui cæca nominis cupiditate raptus Kalendarium inauditum, ac nouum infeſtumque, ac nefaſtum, & fallentibus rationibus incertum, vacillãs, caducum, ſuppoſtor importunus obtrudis, In eo tuo, non Kalendario, ſed ſomnio, quam multa, quamque ridicula monſtra vanis opinionibus inflatum animum eludant tuum, omnibus irridenda proponerem; niſi ſcirem Clauianam eius confutationem propediem in tuas peruentur ã manus. Redeo ad Expoſtulationem. loquere. Quid ais?

VIETA. *Accuſaui iam dudum Chriſtophorum Clauium.*

STE.

STEPHON. Cur iſtum ſolum? Kalendarium Clauius confecit ſolus? Atqui, ne diutius erres, interfuit ille conſtituendæ rei cum alijs compluribus eruditiſſimis, & omnium litterarum exercitatione limatis Viris. Cur Clauij proprium eſse vis, quod Clauio vides eſse commune cum plurimis? An quia plures inter ſe conſentientes laceſſere ſolus non audes? An vnum è numero ſeducis, vt olim Romanus Horatius Albanum in Tergeminorum pugna? quo Clauio proſtrato peruertas deinde cęteros? Quid ſi diuelli nō poſsunt? quid ſi facto agmine cohærent? quid ſi ne dimoueri quidem loco poſsunt, qui Pontificis immobili auctoritate nituntur? omneſque ſimul in vnam Romanæ ſententiæ concordiam mirifice conſpirant? At, at, erumpit hinc aliqua mala peſtis: vtinam fallar: aliqua te mala crux, Vieta, vexat. Quàm vereor ne per Clauij ruinam ad ipſam cauſæ totius arcem euertendam affectes viam: quam machinam ad hanc vſque diem Proteſtantes mouent.

VIETA. *Accuſaui iam dudum Chriſtopharum Clauium de cor-*

ru-

rupto Kalendario.

STEPHON. Et tamen hic heres inquies: quid aliud agam? Improba eſt ratio tua: cuius non ſolũ verba, ſed etiã Syllabæ omnes malitiam olent, & calliditatem improbam ſpirant. Ain tu vero? Chriſtophorus Clauius Kalendarium Romanum corrupit? Tanto poſt tempore, tantam Reipublicæ labem tu ſolus ex omnibus, Vieta, compereris? Vbi fuimus nos interim hominum figuræ? Viginti totos annos totum ne dormiebat ebrium humanum genus? Solus tu ſobrie Vieta, vigilabas? O belluas inertes Capitolinos Canes. O cæcos Pontifices. O ſtultos Reges. O Mathematicos imperitiſſimos, qui tantam communis exitij lacunam tamdiu non viderunt. Actum erat de Repub. niſi vigiles Anſeres, & quidem gallici nos excitaſsent. Vin tamen libere dicam, Vieta, quod ſentio? Vix tibi, vix ipſis Proteſtantibus perſuaſeris (modo ſitis extra contentionem) Clauium tantum Virum in ea diſciplina tam turpiter eſse lapſum, quam immortalibus ingenij monumentis illuſtrauerit. De quo Viro, Vieta, maledicere tu

pu-

putaſti? Impius, credo, Clauius: imperitus Clauius. At quomodo tandem impius, cuius egregiè ſpe-ctata virtus, & per omne tempus ætatis exercita maximis, plurimiſ-que pietatis, & modeſtiæ documen-tis ad placidiſsimam vſque ſenectu-tem conſtanti cum dignitate perue-nit? Et in eo religioſorum hominũ Ordine peruenit, cuius ſplendore ſemper, quoad erit humanum ge-nus Chriſtiana Reſpublica gloriabi-tur? Ille ne imperitus? cuius inge-nij præclara monumenta, ſi vera loqui vis, ipſe tacitus admiraris: præſens adlaudat ætas: conſequens requiret docta poſteritas? Cuius vo-luminibus bibliothecæ locupletan-tur: præconijs gymnaſia perſonant, laudibus eruditorum aures aſſi-due celebrantur? An vero Clauius Romanum Kalendarium corrupe-rit? an Vieta? Quamuis nullus mo-neam, omnes vident. &, ſi qui for-te ſunt, quorum animis aliqua reſi-dua dubitatio hæreat: ijs omnis breui ſcrupulus planiſſimis Clauij rationibus eximetur. Quibus ego rationibus planè prædico te non cõ-foſſum eſſe, ſed effoſſum, atque ob-rutum: quod ſatis erat: Nam te

iam

iampridem Pontificium Diploma iugularat. Illud ipſum Diploma, quod hic tu diuinum, & auguſtum vocas, vbi contra nos agis: at vbi pro te, nullum eſſe ducis, & irritum facis.

VIETA. *Quam enim diuinum, & Auguſtum eſt Gregorianum de anni reſtitutione diploma, tam profana, & infelix eſt Gregoriani diplomatis Clauiana exſecutio, defenſioque.*

STEPHON. Multa tu quidem inuoluis, & fortiris quid loquaris. Dixi iuſſum à Pontifice Clauium ei rei conficiendæ cum alijs Correctoribus adfuiſse: nunc illud amplius dico: iuſsu Ponticis diploma Pontificium à Clauio perſcriptum fuiſse. Quid hic ais bonæ vir? quia mentem Pontificis Clauius animo non ſit aſsecutus; ideo profanam & infelicem eſse Gregoriani diplomatis executionem, & defenſionem Clauij? Mira narras. An non ſimile portenti ſit Clauium, vt dicis, non intellexiſse, quod ipſe ſcripſerit? Vide quam hoc diſſimile veri ſit. Et ſi tu quidem apud te non eſses, cum hæc ſcriberes contra Clauium: nanquam tamen auſim

nega-

negare te percepiſse, quod ſcriberes. Executionem quoque, quam tu Clauianam eſse contendis; nos, qui Romæ tunc fuimus Gregorianam fuiſse ſcimus. niſi forte tu plus abſens quam nos præſentes vides. Dicebam hunc locum inuolutum, atq; implicatum eſse: ita eſt, quemadmodum dico. Quare diſtincte ſecernenda ſunt hæc omnia, quæ cōplicantur, eodemq; temere conuoluuntur. Primo loco Pontificis imperium iubentis, auctoritas mandantis, approbatio iudicantis, Diploma ſancientis. Secundo loco Congregationis conſtitutio, conſenſio, comprobatio, conſtitutio in re finienda, conſenſio in iudicanda, comprobatio in decernenda. Tertio Clauij adlaboratio, compoſitio, defenſio diligēs in eo munere, quod Pontificis iuſsu Congregatio ſuſcepiſset. Nam executio non magis eſt exequentis Clauij, quam exequi iubentis Pontificis, & Congregationis ex communi ſententia iudicatum egregie comprobantis. His ita diſtinctè diſtributis, quæro de te, quid horum reprehendendum putes? Imperium Pontificis? Non exiſtimo te eſse tam impium. Au-

ctoritas

ctoritatem? Ne id quidem Approbationem? Non puto. Diploma? Minime tu quidem omnium: ſi ſapis. Caueſis; nullus es tu, ſi Gregorij diploma nullum. Oblitus es ſub eius vmbra latitare mendacium tuum? Cum igitur nihil eorum, quæ pertinent ad Pontificem reprehendas: de Congregatione exſpecto quid dicas, cuius eſt Kalendarij Romani conſtitutio, conſenſio, & cõprobatio. Si conſtitutionem vituperas, eſt qui te redarguit: Si comprobationem, & conſenſionem: Cur in ea re Viros doctiſſimos conſenſiſſe nobis, eamque comprobaſſe, quam optime conſtitutam eſſe, negare tu quidem audes, ſed indocte negare conuinceris? Tum cuius eſt arrogantiæ, vt doctiſſimorum hominum vna de re mirifice cõſentientium ingenia, præ tuo nihil vidiſſe dicas? In eadem ergo naui eſt Clauius: eſt enim Conſiliariorum cauſa communis. Is enim Gregoriani conſilij particeps fuit, & in opere adminiſter, cuius erat Auctor, Cognitor, Moderator, Confirmator Pontifex. Clauius in re conficienda pro ſua parte cum reliquis adiutoribus, & Cõſiliarijs col-

labo-

laborabat. Clauius Diploma iuſſus à Pontifice conſcripſit: ſcribendo Conſultores adfuerunt: ſcriptum approbauit, & confirmauit auctoritate ſua Pontifex. Idem ille Clauius nunc Kalendarium ex Conſultorum ſententia conſtitutum, & à Pontifice cognitum, approbatum, & Diplomate ſancitum defendit. Aude nunc dicere defenſionem auctoritatis Pontificię profanam, & infelicem eſſe. Certe tu ſacer, & ſanctus: quem, quia Gregorianum Diploma, quoad licuit obtentui habuiſti: aio habuiſſe contemptui. Quamquam non audeo negare felicem eſſe te: cui tantum tamdiu fuerit felix, & impunitũ ſcelus. Relinquitur igitur; vt cum cætera cum Clauio cæteris ſint communia: ſola dicatur Clauij propria, quæ dicitur à te profana defenſio. Hoc ais? an non? Ais? quid ſequatur vides. Negas? ergo reſorbe illud, *profana*, quod vomuiſti: niſi tu verius profanus, & improbus haberi vis. Perge tu.

VIETA *Soſigene vſus erat Gregorius Aloyſio Lilio: cuius fato prærepti aduerſaria cum non intelligeret Clauius, deprauauit miſerè, & in*

& in contemptæ Religionis crimen incidere maluit, quocumque periculo ſubuerſurus omnia, quàm rerum imperitus videri.

STEPHON. *Quid domini faciant: audent cũ talia fures?*
Non ſoles reſpicere te, cum dicas iniuſte alteri?

Quid tibi, Vieta, hic dicam? Tui ſimilis es: Perſonæ decorum tenes. Pellem Leonis induiſti, quemadmodum in Cratylo Socrates: ideo ferociam te decere putas. Et laudo. Nam

Qui ſemel, vt ait ille, *verecundiæ fines tranſierit: eum*
bene, & nauiter oportet eſſe impudentem.

Aloyſij, inquit Lilij *aduerſaria non intellexit Clauius: non intellecta deprauauit miſerè: in contemptæ Religionis crimen incidere maluit, quocumq; periculo ſubuerſurus omnia: quam imperitus videri.* Deus bone facinora quæ fiunt? *Aduerſaria Lilij Clauius non intellexit.* Hebes eſt. *Non intellecta deprauauit miſere.* Iam idem eſt & hebes, & improbus, & perditè miſer. *In contemptæ Religionis crimen incidere maluit.* O' nefarium homi-

minem. Hebetudinem mentis, praui-
uitatem animi, cum impietate con-
iunxit : *quocumque periculo ſub-*
uerſurus omnia. Reipublicæ teme-
rarius, impius, improbus, hebes,
hoſtis, & qui ne videatur imperi-
tus, nulla facinora, nulla diſcrimi-
na recuſet, nec dubitet Gygantum
more bellare cum Deo. Si te non
noſſem, Claui; timerem tibi vehe-
menter ab hoc homine tam vero.
Adeo multa de te fœda dictu mala
dicit hic Poeta Soſigenes. Tu non
intellexeris Aloyſij Lilij aduerſaria,
qui nobis tam multa, tam inuolu-
ta, tam abdita, tam diſerte, docte,
luculenter aperuiſti? In aduerſarijs
Lilianis intelligendis hebetior tu
fueris, quam Vieta, qui Lilium, &
eius aduerſaria nunquam vidit?
ipſum etiam aduerſariorum exem-
plum ipſius Aloyſij manu conſcri-
ptum, & Gregorio traditum Romæ
ſemper, & in manu tua fuit? Ad
Vietam quis detulit? Aut quomo-
do Vieta diuinat, quid à Lilio per-
ſcriptum in eo fuerit? Quid à Cla-
uio non intellectum? Vieta ne, quã
Clauius acutior? qui, niſi, quemad-
modum Epheſius ille Dianæ nobi-
lis incenſor, in te falſorum criminũ
in-

inuidiam inflammare tentaſſet: nũquam in hominum ſermones peruenire potuiſſet? qui de te ſi tacuiſſet, obſcurum de illo ſilentium omniũ fuiſſet: natum illum diceret nemo? At ſi Aloyſium fato præreptum nõ accepiſti: ne fratrem quidem eius fraternæ voluntatis, & mentis hæredem Antonium Lilium ſuperſtitem amicum tuum, immo pernecessarium, vnum e Conſultoribus, & Correctoribus eruditiſſimum in primis audire differentem, ſi quid in Aloyſij ſcripto non perciperes, potuiſti? Tum Vieta ne quicquam intelligat, quod Clauius non poſſit? Iam aduerſaria tu non intellecta deprauaueris? At quo, quæſo, pacto deprauare potuiſſes, ſi frater fratris monumenta, teſtamento ſibi legata tuebatur? Aſſiduus erat in cognoſcendo cuſtos: ad finem vſq; non conſcribendo ſolum interfuit, ſed etiam ſcribendo præfuit? Conſequens igitur eſt, quoniam Aloyſius in eo numero Mathematicorum eſt, vt vel Ipſi Vietæ cũ Aſtronomorum nobiliſſimo Soſigene cõparandus eſſe videatur: cumque Aloyſij aduerſaria melius Clauius intellexerit, qui ea cum eius fratre per-

perſpexerit, quam Vieta, qui nunquam aſpexerit: conſequens eſt inquam, improbe feciſſe Vietam, qui falſo Clauiũ inſimulet Aloyſij monumenta *non intellecta deprauaſſe: crimen in ſe contemptæ Religionis admiſiſſe; nullo periculo potuiſſe deterreri, quin omnia euerteret.* Facinoroſum denique maluiſse, *quam imperitum videri.* At quam confidenter Clauium dixit in contemptæ Religionis crimen incidere quocumque periculo ſubuerſurum omnia? quaſi neſciatur Vietam, non Clauium omnia ſubuertere conatum, ſuſque deque pedibus traxiſse: cum Pontificum decreta ſuſtulit: Diplomata ſubiecit: auctoritatem neglexit: humana diuina miſcuit: nouum anni principium inſtituit: nouas lunationes induxit. Quid dicam amplius? Omnia noua maluit. Quid contra Clauius meus? Nihil tale commentus eſt ex ſe. Conſultorum communem ſententiam, Pontificis grauiſſimam auctoritatem, ſecutus, & in monumentis Lilianis diligenter, ingenioſeque verſatus, antiquum Eccleſiæ morem eximiũ ſemper habet, egregieque cuſtodit: eaque tantum

ex-

explicat, & confirmat, quæ de Reſtitutione Kalendarij prudenter inſtituta, decretaque ſapienter, doctiſſimorum hominum, & ſanctiſſimorum Iudicio inde vſque ab Niceni Concilij tẽporibus accepiſſet.

VIETA *De ipſius in Mathematicis rebus, & Theologicis peritia, vel imperitia nihil ad me attinet pronunciare.*

STEPHON. Laudo modeſtiã. Non omnis in te extincta eſt ſcintilla mentis.

VIETA: *Pronunciabo tamen; neque perperam, ſi neceſſe habuero.*

STEPHON. Retexo orationẽ meam. Non laudo. Vieta ad ingenium redis.

VIETA *Sed qualiſcumq; ſit Mathematicus.*

STEPHON. Eruditiſſimus ſine controuerſia. Quis negat? Quod omnes fatentur, & fatebuntur quo ad litteræ fidei memores, temporum teſtes, antiquitatis interpretes, poſteritatis nunciæ loquentur.

VIETA *Falſam periodum lunarem induxit ad epactarum æquationem.*

STEPHON. Velis, nolis: falſa non eſt: imo nec noua, nec Clauius illam lunarem periodum inuexit primus: ſed eam multis ante ſæculis Ptolomæus, Hipparcus, Alphonſus, Copernicus, alijq; permulti iampridem excogitarunt, ac tenuerunt. Hoc tu ſi neſciebas, cũ contra Clauium ſcribebas; nimis peregrinus eras artifex in artificio tuo: ſi ſciebas; te iudice, non falſam periodum, aut nouam induxit Clauius. ſed falſus es, & mendax ipſe, qui dicas contra quam ſentias.

VIETA *Synodos in panſelenis, & panſelenos in Synodis aliquando collocaturus.*

STEPHON. Vidit iſtas ſynodos in panſelenis, & panſelenos in ſynodis Clauius. At quanto ante, quam tu, Vieta? nec vidit ſolùm, ſed longius etiam, quam tu prouidit. Is enim huic incommodo diligenter occurrit, & apposite medetur certis rationibus traditis, quibus olim ſynodorum, & panſelenorum incommodæ concurſiones tollerentur, & in quam longiſſimum tempus hoc incommodum reiecit. Citerius enim centum annorum

millium ſpatio Clauiana deſcriptio nunquam errare poteſt in Lunis. Ad quod tempus, haud nihil ambigam, an ſub Luna quicquam operis humani peruenturũ ſit. Tu qui meliore coniectura es, quid exiſtimas? Miror tamẽ te Vatem tam bonum præſentire non potuiſſe, quem in Clauio reprehendis, errorem tuum. Nam in idem incommodum imprudens & deuenis, nec emendas. Nimirum antiquum illud, & germanum Aſtronomorum tenes: qui cæleſtia ſpectans non videas, quod tibi ad pedes obiacet. Hic etiam, vt te Chiliadas, & Apophtegmata lectitare ſciremus, græcum prouerbium immittis. idem græca paſſim dicta putidius inculcas. Equidem

Inſanire licet quoniam tibi;

totam iſtam laudem, ſi tamen eſt aliqua, ceu lymphatorum quouis ſermone quicquid in linguam inciderit impune deblaterantium; non grauate remiſerim. Veteres Auctores admiratus, nõ æmulabor nouos. Igitur, vt meliorum præceptum eſt Rhetorum, vbi res id non poſtulet, nec Atticiſſem in Latio, nec in Attica Latiniſſem. Quod ſi mihi ſtomachum commoris; tri-

duo me profiteor tam bonum graeculum futurum, quam te malum Latinum.

VIETA *Et qualiſcũq; ſit Theologus, profanum anni ad ſolennia principium adſumpſit, ex quo ſequuta eſt abſurda epactarum ordinatio.*

STEPHON. Totus hic locus inductus eſt, vbi non de ſententia doctorum more diſceptetur inter doctos, ſed inimiciſſimo diſceptantis animo de Capite Rei non ſatis docti decernatur ad Iudices Capitales. Nec Mathematicus imperitus dicitur ſolum, ſed etiã vt Theologus impius in diſcrimen vltimum vocatur Clauius. mathematicum lapſum, ſpretæ Religionis crimen aduerſarius eſſe contendit. In quo ſi vlla eſſet humanitas, hominem fama ſibi notiſsimum, verſantem in animis, & ſermonibus omnium: & (quod caput eſt) de Republica ſemper optime meritum, ac ſentientem, ſi quid indoctius dixiſset; ad veram ſententiam reducere conaretur, non in capitis diſcrimen adduceret. Sed hoc eſse fatetur inhumanitatis ſuæ. Age Mathematici doctrinam & Theologi ſanctitatem

tem

tem in Clauiano correctore videamus. Profanum, inquit, anni principium adſumpſit. Hoc tu profanum principium appellas, quod à Concilio Nicæno ſapienter inſtitutum Eccleſia ſemper vſurpauit? quod in anniuerſarijs ſacrorum tēporibus exequendis requirere perpetuo conſueuit? Hoc principium profanum? ex quo continenter in Kalendarium Romanum epactarũ deducta ſeries, & ordinatio manauit? Hoc tu profanum vocas, quod vbi vbi Chriſtiani Nominis diuina Virtus audita eſt (vbi autem non eſt audita?) quaſi per manus ab Eccleſia Romana traditum Gentibus Nationes, & Ciuitates omnes in inſtituendo Kalendario, metiendiſque temporibus ſecutæ ſunt? faſti reuoluantur templorum: replicentur annales ſacri: veteres Myſtarum hiſtoriæ conſulantur. Vel, ſi nimis hoc longum eſt; liber vbi Kalendarium explicatur, ſumatur in manus: Intelliges, quoniam id ſceleſtum, & profanum eſse vis, non Clauium ſed te fuiſse profanum, & nefaſtum, qui reprehendere volueris in Clauio, quod Eccleſiæ perpetuum, ac ſollenne fuerit, ac neſcias

eſse ſacroſanctum. Quod autem in extrema clauſula poſuiſti, magnum à Clauio veræ Religionis noſtræ myſterium eſse contemptum, qui Niſam menſium dignitate primum prætermiſerit, ex quo conſentanee ſollemnia renouarentur: id tu falſo inſimulas. Clauius enim, vel vniuerſa potius Congregatio cum Clauio primùm menſem Paſchalem tenet: cum ab octauo Martij die, quod ipſum Nicęni Patres inſtituerant; principium ducit. Indidem tamen exordium, & continuationem Cycli, ne diſsentiret à Nicęnis Patribus, inchoare noluit, quos octauo Martij diei non Aureum numerum primum, ſed ſextumdecimũ adſcripſiſſe meminiſſet. Quid? quod vt id fiat nulla neceſſitate cogimur? Cyclum enim ex qualibet epacta cõmodiſſime, ac congruenter exordiri licet. Quid ſi vere licet, à vigeſimatertia quoque octauo diei Martij adſcripta non incommode exordiri, & continuari licet: quo loco aueo ſcire, quid reprehendas.

VIETA. *Ergo falſa periodo lunari Clauianæ veram, & vere Lilianam, & Gregorianam oppono.*

STEPHON. Gregorianam

Li-

Lilianam? Tu Gregorij mentionem facere non dubitas? cuius diploma, quod in te fuit, ſuſtuliſti? tu Lilij? quem ne lectum quidem, ne dum intellectum deſeruiſti, cum Clauiũ oppugnaſti. Totus enim apertus eſt ex Lilio Clauius. ſupra demonſtratum eſt eam periodũ non eſſe Clauij, ſed Aſtronomorum Veterum inuentum. quam Lilius ſecutus Cõgregationi probauit, & Clauio: tu tamen ſemper hic infodis.

VIETA *Et profano anni aſſumpto principio principium à Patribus Nicænis, ex lege Dei præfinitum oppoſui: ex quo ſecuta eſt conſentanea epactarum ordinatio, & æqua menſium partitio, Neomenia paſcali Cyclum inchoante, & ab ea reliquis anni Neomenijs legem, vt decebat, ſecundum diuina Patrum decreta accipientibus.*

STEPHON. O impudentiam ſingularem! Quid aliud explicationis Clauianæ liber docet, quam hoc ipſum, quod tibi iudicas eſſe palmarum: abſurdam, nouam, diſſentaneã epactarum ordinationem & Vietæo principio, non Nicęno: tum incommodam nec vllo tempore corrigendam oriri? Quod ſi tam tibi cer-

gia nihil habeo, quod decernam. Nec mihi nullas in hoc Regio nomine ſtylus tuus ſuſpiciones de te monet: ne qui falſus in Pontificis Diplomate deprehenſus es: ideo in fortiſſimi Regis auctoritate fallax fueris, & mendax. Certe de Summo Pontifice illud affirmare habeo libellum tuum Pontifici Clementi, vel numquam exhibitum, vel non probatum fuiſſe. Qui te poſtea contra ius, atque fas omnia permiſcere cupientem ad ſanitatem auctoritate reuocaſſet, ſi Maximi Pontificis auctoritas tibi ſumma: ſi ſanctitas ſacra: ſi grata clementia fuiſſet. Quo loco, Iudices, hominis ſtuporē cognoſcite; qui non intelligat, dum omnem latebram occultandæ fraudis indagat; quantam inuidiam aduerſus fortiſſimum Regem concitet, & quam indignam infamiæ labem in ampliſſimam Chriſtianiſſimi nominis dignitatem ex abiecta, malitioſaque defenſione ſuæ fallaciæ deriuet.

VIETA. *Sub titulo Relationis Kalendarij vere Gregoriani ad Eccleſiaſticos Doctores, quorum iudicio, ac cenſura me, meumque ſcriptum ſubmiſi,*

STEPHON. Remoue *ſcriptum ſubmiſi*: repone Diploma ſubieci. Vieta: Si te,quemadmodum, dicis, tuumque ſcriptum Eccleſiaſticorũ Doctorum iudicio, ac cenſuræ ſubmiſiſti: cur igitur eorum de tuo ſcripto ſententiam non expectaſti? Cur prius à te publicis conſignatam notis, ac litteris Relationem tuam, & in vulgus editam in celeberrimo totius Europæ mercatu publice propoſitam eſſe voluiſti, quam ea de re Pontificis voluntatem, doctorumq; iudicinm expectandum,aut omnino quærendum putares?

VIETA. *Non enim erat æquum indicta cauſa reum condemnari*.

STEPHON. O religionem homi nis admirabilem. Ergo nunc, quaſi dicta, non ficta cauſa nec reum,condemnari licet.

VIETA. *Itaque libelli mei copia facta Clauio iam à biennio eſt*.

STEPHON. Itaque libelli tui copia facta Clauio; ſed Clauio libelli tui falſa non probata ſententia iam à biennio cõfutatur à Clauio. Quod ille non ingenij tarditate toto biennio ducit: non tuarum ineptiarum difficultate retardat: ſed ille ſic eſt.

Diu

Diu premit, quod æternum parit. Tu contra raptim omnia conuoluis: & modo ſcriptites quid,aut quomodo ſcribas; nihil tua. Deucalion, aut Vulcanus viderit.

VIETA. *Quæ igitur tandem partes Clauij erant, æqui Iudices?*

STEPHON. Quæ? non furere cum furente criminatore. Iudiciũ, quod nulla lege conſtitutum erat, nullum putare: Aduerſarij temeritatem prudentia eludere: ſcriptum ſcripto, falſitatem ratione, crimen conſcientia, contumeliam æquitate, ferociam moderatione refellere: teque communis concordiæ hoſtem, euerſoremque veritatis oſtendere. Vel ſi hoc manis. Clauius has eſſe ſuas partes exiſtimauit; vt verum, & Gregorianum, & à Gregorio vere Romæ conſtitutum Kalendarium, ſummo doctorum, Regum, Principum,conſenſu comprobatum, & ſecundiſſimis omnium gẽtium ſtudijs acceptum pro virili parte tueretur, quocumque periculo ſui capitis,cui ſimilium inimicitias contemneret: aduerſariorum dolos, machinas,fallacias, præſtigias aperiret. Conſiliũ Romani Pontificis non dolo malo,

vt tu inſimulas, ſed fide, quam qui optima, promoueret. Idque ne laboribus vires, ne viribus ingenium, ingenio doctrinam, doctrinæ virtutem, virtuti felicitatem, felicitati diuinum auſpicium, auxiliumque defuiſſe ne credas; Clemẽtis VIII. Põtificis Maximi, cui te Kalendarium exhibuiſſe mentiris, iuſſu ſuſcepit, conſilio gubernauit, liberalitate perfecit.

VIETA. *Suum ne errorem vltro agnoſcere, & confiteri?*

STEPHON. Qui poſſet errorem ſuum, ſi nullus erat, vltro agnoſcere ac confiteri? Et ſi vllus eſt, is vero (ſæpius id iam dico) Clauio communis eſt, cum ſapientiſſimis Viris: quibus cum malim errare, quàm cũ Vieta ſapere videri.

VIETA. *In cauſa præſertim publica.*

STEPHON. Quæ Clauio vnicè cordi ſemper fuit:

In qua de miſterijs noſtræ Religionis agitur, quam ille pro ſe ſarctam, tectam, (vt aiunt) ab omni detrimento ſeruauit.

VIETA. *In Republica Chriſtianæ concordia.*

STE-

STEPHON. Cuius cauſa Clauius grauiſſimas ſuſcepit inimicitias improborum.

VIETA. *In Diuina ſupremi Pontificis auctoritate.*

STEPHON. Quam tu verbo diuinam, & ſupremam, reapſe, poſtremam, nec humanam ducis: qui contra publicam hominum fidem, diplomata Pontificia tuo marte cõfingens, auctoritate quoque Pontificis ad tuum arbitrium, & modum infimis exęquandam putas. At Clauius, qui per tot annos eam aduerſus perditos hoſtium conatus, cum ingenti ſui capitis diſcrimine propugnat, vere ſanctiſſimam, vere maximam, vere ſupremam putat. Magnum eſt hoc: ſed in illo Ordine viſitatum. Id enim (vt tuis verbis vtar aduerſus te verius) ab homine Theologo e Societate IESV ſperãdum maxime, addo etiam exſpectãdum videbatur.

VIETA. *Rapimur omnes Philautia.*

STEPHON. Ipſe dixit. quia hic eſſet ipſe: niſi græce hoc ipſum efferret: Ipſe dixit; dirumperetur. Nunc audite Philoſophũ Thaletem non illum Græcum, ſed Gallogręcũ.

Ra-

Rapimur omnes philautia quantumcumque ſimulemus ſanctitatẽ, & qua poſſumus arte veritati vim facimus: ne victi vllo modo videamur. Etiam ſapientibus cupido gloriæ nouiſſima exuitur. De te quæſo iſta prædicas, an de Clauio? Si de te nemine refragante ſuffragium etiam noſtrum habes. Si de Clauio. Quæ tua eſt iſta de intimis alterius cogitationibus, conſilijſque iudicãdi tam proiecta libertas? Num ne Maximi Præceptoris, & ſummi Iudicis dictum illud oblitus es? Nolite iudicare: & non iudicabimini? Quod ſi de factis, atque dictis manifeſtis in coniecturam occultorum venire poſſumus animorum; cum tu tam intemperanter loquaris, ac facias, idque tibi laudi ducas, opprimere falſis criminationibus innocẽtes: in te veriùs iſta, quæ de cæca cupiditate gloriæ dicuntur quam in Clauium moderatiſſimũ, & ſpectatæ ſapientiæ Virum accomodari queunt.

VIETA. *At pertinuiſſe ad Clauium in eo, quo conſtitutus eſt reatu, recriminatione vti: id vero nemo vere dixerit.*

STEPHON. Imo vero iure nemo

mo non dixerit ridiculum eſſe, ne in humanum dicam, quemquã poſtulare Mathematicorum Controuerſiæ, forenſi vt iudicio ſedentur. Hoc quid eſt aliud, quam (vt prouerbio fertur) in Cælum tela iaculari? De lunis xiiij. tibi cum Clauio diſſenſio poſt Kalendarij Romani reſtitutionem, hoc eſt intempeſtiue, orta eſt. Vtriuſque ſcripta circumferuntur: Iudicent Mathematici: ſed non vt tu cruenti, de controuerſia Mathematicorum quam non Prætorum ſententia, ſed Aſtronomorum ratione dirimere rerum earum periti ſolent. Tu ſolus repertus es, qui tuos Aduerſarios è mathematico puluere protrahas ad ſordes carceris. Vt lunarem errorem in Clauio puniendum: & ſi Deo placet, Endymionis etiam ſomnum Clauij ſopore ſempiterno vindicandum putes. Satis apertè tuũ in nos infeſtũ, & inimicũ animũ oſtendiſti. Scholã forum eſſe vis: ſententiæ peccatum, capitis crimen eſſe cõtendis: reprehenſionem, accuſationem nominas: defenſionem recriminationem vocas. Qui, ſi humaniter tuliſſes publicum ſcriptum tuum contra Clauium à Clauio publico ſcripto refelli; nunquam

quam eo deueniſſes, vt velles de veſtra controuerſia iudicium capitale nouo more, nulla lege, peſſimo exẽplo decerni: in quo nulla, neque cauſæ, neque criminis iudicatio, aut ſuſpicio reperiri poſſet. Totum igitur hunc locum de lege, de Canone, de neganda Rei licentia criminandi, de Rubrica cõtra Clauium laudata; ne quis in ſua cauſa iudicet, vel ius ſibi dicat: totum, inquam, hunc locum, qui leuiſſimum, & puerilis oſtentationis eſſe video à te memoriæ iactandæ magis, quam cõfirmandæ ſententiæ gratia expoſitum, prǽterire malo, quam tecum ridicule inſanire. Tu vero homo peracutus non vides, dum Clauium accuſas, Pontificis à Te, & Congregationis accuſari factum. quandoquidem vt ſæpe iam demonſtrauimus, Kalendarij confectio Congregationis fuit, Comprobatio Pontificis: Clauio ſola defenſio propria, & explicatio relicta eſt. Iuſtam autem defenſionẽ Clauij non magis recriminationis appellatione nominem, quam accuſationem dixerim reprehenſionem tuam: aut ſi tamen recriminatio eſt, non ante recriminator æquiſſimus fuit in ſe defendendo Clauius, quam
cri-

criminator in accuſando iniquiſſimus tu fuiſti.

VIETA. *Nulla tamen Diuini, & humani Iuris habita ratione Clauius calumniatur, vt meo nomini ac famæ apud ſummum* Pont. *detrahat pro ea, qua apud eum valet gratia.*

STEPHON. Si tecum agerem inimice, quantis clamoribus hic te vexarem? Enimuero peropportunus hic eſſet ingentis inuidiæ in te conflandæ locus. Humanius, quam tu de nobis meritus es, agam tecũ. De cõtentione multum, de meo iure plus multo remittam. Calumniator, inquis, Clauius. O peſſimum virum, qui calumnijs oneret hominem tam modeſtum. Tantum nefacinus audet Clauius? nulla diuini, nulla humani iuris habita ratione calumniator Clauius? Reus, recriminator, calumniator improbus, æquitatis aſpernator, contemptor Religionis Clauius? Immane quaſi multa peruerſe peccat hic Clauius? At enim neſcio quo modo, pace tua Vieta dixerim, tibi nemo credit. Ego libentius alij de te, quam tibi crediderim: & hic citius inſiſtam, quã progrediar ad maledicentiæ licentiã

iſtam

iſtam effrænatam, & contumelioſiſſimam importunitatem tuam confutandam. Illud vide ſis, quomodo defendas, qui ſuſpicioſiſſima contumelia non tam Clauium, quam Pontificem lædens, arbitraris æquiſſimũ, certiſſimumque Iudicium Pontificis à Clauio per gratiam corrumpi: nec dubitas affirmare nõnſini, ac famæ tuæ apud Summum Pontificem à Clauio detrahi, teque malis artibus à Clauio, tamquam ab ignauo hoſte in inuidiam Pontificis, quaſi ſtulti, ſtupidi, creduli ſenis vocari fretum virtute, non gratia. Quid? tu his artibus Romæ viui putas? Iam iam nihil ampliùs exſpecto. Dictum factum: niſi tibi res hæc ex animi tui ſententia euenerit, quo tuam inſcitiam, & inconſtantiam tegas, crimini Clauiano, quod oſtendere nõ potes, Maximũ, Optimum, Sapientiſſimum Pontificem inuolues. Vt veriſſimum eſt antiquum Poetæ dictum. Res cùm ſemel ire cæpit in deterius ruit: Gratiæ, non Veritati quicquid dederit, Põtificem dediſſe vis? Actum eſt de te: ilicet. Dum ita ſedtis, numquam redibis in viam.

VIETA *Plurimis autem, quas ad*

ad plures conſcribit litteris ſignificat, ſe meum libellum plane refutaſſe in libro nouæ reſtitutionis Kalendarij, aliquando ſi Deo placuerit, in lucem emittendo.

STEPHON. Videlicet, vt quã virtute non poteſt, gratia tueatur difficillimam cauſam? Tum quid? Si plurimas ea de re ad plures conſcribit litteras? Id ne tu crimini Clauio dederis? An tibi contra Clauium famoſos libellos excudere publicis mãdare litteris: in vulgus ſpargere: per emporia diſtrahere: diplomata Pontificum ſubijcere: cauſarum ſuſpiciones grauiſſimas comminiſci: hominem accuſare: inſtare inimice: vrgere vehementer: expoſtulare contumelioſe: exprobrare maledice: calũniari, criminari, deteſtari demum licet: Clauio contra hiſcere non licebit? Clauio crimini ſit, ſi vocem vllam emiſerit? Quæque poſtremis, & nequiſſimis hominibus vltima ſolatia dolorum, & poſtrema familiarium officia naturæ rogatu, beneficio legũ concedi, vel ab iratis Tyrannis benigniſſime ſolent: ea Clauio negentur? & leuamina verborum intercludantur: ne tantiſper

ægri-

ægritudinem animi laxare liceat; miſeriæque partem in amicas aures effundere beneuolorum? Ita ne vero? hoccine humanum eſt? hoccine vſitatum? communem calamitatem cum amicis ad extenuãdum dolorem deplorare nobis te criminatore flagitio noxæque ſit; Quis iſtam inhumanitatem ferat? ferat dico? quis omnino non efferat, & non odijs infeſtiſſimis execretur? Et hæc tu tamen inhumaniter peccas: etiamſi daretur, Clauium eas litteras miſiſſe. At ego illud plus dico, quod ex ipſo cognoui (ne teſtem, & auctorem riſeris. Clauium minime mendacem eſſe norunt, qui hominis conſuetudine familiariter vtuntur.) nullas omnino de te litteras ad amicos, aut alios, à Clauio fuiſſe miſſas, præter vnas ad D. Adrianum, qui Clauium pro amicitia per litteras rogauerat quid de Vietæo Kalendario ſentiret. Huic ipſi non reſponderet? inhumani erat. Sententiam ſuam non exponeret? imperiti: quorum vtrum à Clauio magis alienum ſit, difficile iudicium eſt. Imponis igitur, imponis, Vieta, Clauio falſiſſimam, inhumaniſſimamque calumniam: quem, ſi is

eſſet,

eſſet, vt tibi tutè fingis: næ tu cum iſta diceres forſitan timeres. Sed facile eſt audacibus innocentiam opprimere non repugnantem.

VIETA *Quæ iſta Cõtumelia eſt Claui? quæ inſolens, & varia iactantia?*

STEPHON. Per gradus ad sũmum adſcendit oratio. Et quaſi dilucide demonſtrauerit, quod hactenus perperam aſſumpſit ad elidendum aduerſarium, ad Iudices permouendos concionalis amplificationis artificium conuertit. Spiritum concitati Rhetoris vide. Mirum, ni, cum iſta ſcribebat, præſentem Clauium ſibi videre videbatur. Ideo aliquid de oratorio geſtu addens, poſito ſtylo, percuſſaq; menſa, vociferans hæc declamitabat. Quę iſta contumelia eſt Claui? Iamprimum vehementiſſimum illud telũ in Catilinã ab eloquentiſſimo Conſule vibratum. Quouſque tandem? frigidum eſt, præ vt efferueſcit hoc Vietum. Vietæum volui dicere: ſemper hic erro. Ipſum mihi præſentem videor intueri: tumentibus buccis, acriter oculis intentis, & prolato indice, tamquam præſentem aduerſariũ iugulaturo: nunc in

ſum-

ſummos digitos pedum erigentem ſe ſe: nunc ſupplodentem pedibus, & identidem incurſantem: & hæc in miſerum Clauium oratorio clamore, non verba, ſed fulmina torquentem. Quæ iſta contumelia eſt Claui? quæ inſolens, & vana iactantia? Si placide, & ſedate quæris; in Clauio nulla eſt, mihi crede. Tu tua ſomnia ſuſpicaris: vmbramque tuam (vt dicitur) perhorreſcis. Non hi Clauij mores: non hæc vita: quod neceſſarium eſt, & veriſſimum pro ea, qua ſemper fuit erga Romanum Pontificem obſeruantia; Romani Pontificis Kalendarium confirmat, infirmat tuum. Quod ille cum facit, vt Chriſtianum, & Religioſum hominem decet, cum veriſſime, tum modeſtiſſime facit: nulla hic contumelia: nulla inſolentia: nulla iactatio. Quid iſtas furias ex Acheronte citet Clauius, ſi Superis amiciſſimis vti poteſt? Quorum cauſſam tuetur dum veritatem in Pontificis facto tuetur. Tu vero nimis iracundus, & vehemens es. tempera poſthac iracundiam, ſodes: & ſedatius, ac placidius perores. Id ætatis hominem dedecet, (mihi crede) geſtus præfractior:
vul-

vultuoſus habitus oris: color ardens: tumētia labia: minaces oculi intenta ſupercilia: geſticulatio digitorum: ſupploſio, excurſio, vociferatio: tum etiam refrigeratio caloris in vetulis aridam tuſſicellam mouet: nec ſanè citra periculum fauces, & latera exercent grauendinoſi ſenes. Quin tu Clauium aduerſarium vide. Vir alius ille. Nam quintum, & ſexageſium pene iam egreſſus annum, quod ætate feſſis corporibus omnem contentionem inimicam eſſe nouit, moderatiſſime fert & tuam criminationem, & ſenectutem ſuam. Amares hominem vel inuitus, ſi videres. Ita nihil illa comitate gratius eſt: nihil illa lenitate morum, & coloris ſuauitate iucundius. Itaque Vir leniſſimus, & miræ placabilitatis ſenex, ad hanc diem corporis, & ingenij viribus integris, & opportunis eſt ſemper vſus.

VIETA *Prodeat ille conatus tuus, & ego volente Deo eum infringam erat, atque hodie.*

STEPHON. Non tu quidem volente, ſed inuito Deo. Pius eſt enim, & verus Clauij conatus, quæ duæ laudes in audaciam tuam non

ca-

cadunt. At vehementiam hominis cognoſcite. *Prodeat*, inquit, *ille ſonatus tuus*: *& ego volente Deo eum infringam cras*. (non ſatis eſt) *atque hodie*. Nimium ſatis eſt. Euge, quocumque nomine vocari gaudes. Euge, mathematice Thraſo: Euge, Polymachæroplacides Soſigenes: Euge Pyrgopolinices, Euge Gradiue, Vieta. Quidlibet es: modo; nobis iratus ne ſis. Te ne ego nobis iratum velim?

Qui, quaſi ventus folia, & paniculam tectoriam, legiones difflauiſti ſpiritu? Martemq; ipſum ſeruaris.

In Campis Gurguſtidonijs,
Vbi Bombomachides Cluninſtaridyſarchides
erat Imperator ſummus, Neptuni nepos!

Extra iocum nimis, tu quidem Vieta, ſerues: & vide quantum. Ad hunc locum vbi perueniſſet, qui nobis recitabat Expoſtulationem tuam; alius, alia de te facetiſsime dicere: cuncti riſu emori: nec defuit, qui Grammaticis gratiam habendam diceret, qui niſi verbis inflectendis ſtata momenta quædam temporum præteritorum, præſen-

tium,

tium, futurorum, certa terminatione poſuiſſent, quæ tranſilire grammaticis flagitium eſſet progreſſurũ te dicebat vlterius fuiſſe: Is erat impetus tuus; vt dicturus etiam fueris. *Et ego eum infringam cras, hodie, heri, nudius tertius, quartus, quintus, & decimus*. Rurſus amoto ioco: breui liber explicationis Kalendarij demonſtrabit quid de ſubito, atque præferuido iſto ingenio tuo metuendum noſtro Clauio ſit. Et vtrum firmiſſimas eius rationes non dicam infringere: ſed leuiter inflectere ac tantillum commouere loco poſſis: poſtremo Clauium ne falſum in hac re Mathematicum aut Theologum, an Vietam fuiſse iudicandum ſit.

VIETA *Non is eſt ordo Iudiciorum, & proceſſus*.

STEPHON. Eandem cordam ſæpe cies, & peccas ſemper eadem. O ridiculum citharædum.

VIETA. *Te falſum Mathematicum, ſiquidem Mathematicus es, demonſtraui: & falſum Theologum, ſiquidem Theologus*.

STEPHON. Vbi, quæſo, Vieta, demonſtraſti? Suggere: non enim commemini, Nam in hac quidem

Expoſtulatione Græculus potius è triuio rabula, quam mathematicus aut doctus e ſchola Theologus videris, & in Relatione mera mapalia & in tota cauſa, Bacchanal non æque bacchatur,ac tu. Et ſi tibi tantum in vtraque diſciplina ſumere videris; vt præ te nemo Theologus, nemo Mathematicus vſpiam in mundo ſit. Qui ſi de Clauio, quem vereri debes confutantis abſurditates tuas; hæc ſentis,ac dicis; quid ſperem de ijs te æſtimaturum, qui tuum ingenium admirantur? illos tu certe in hominum numero non habes.

VIETA *Itaq; quando te Reum peragere conſilium eſt; dicenda tibi eſt cauſa iuxta formam conſtitutionum, non loquendum ex Plauſtro.*

STEPHON. Græcis amicum te noui. Miror, qui miſsos hic feceris Græcos. Nam illud ex Plauſtro, illi Ἐξ ἁμάξης dicunt. Ecquid oblitus es? multo vero magis miror te tot criminum, quot ſupra docuimus, Reum, mentionem audere facere iudiciorum. Iudicia minitaris Clauio, quæ? Proteſtantium ne? Iſtorum in hoc genere, & iu

& in Romana cauſa nulla ſunt. Ciuium tuorum? qui Romanam rem Romani fori iudicant eſſe, non Gallici? At illi, præterquam pauciſſimos, ſi qui tamen ſunt, qui tibi aſsentantur; taciti iudicant ex hac te cauſa penitus excidiſſe. An Romanorum? Hoc vtinam faxit Deus, vt huic te iudicio committas. En ſaltus: En Rhodus. Quid ceſsas? Vadem ſiſtendi Clauij do. Non audes? Sapis quod ſi auderes; aliquando ſentires aliam eſſe vim Clauianæ ſententiæ, aliam temeritatem confidentiæ tuæ. Iamuero ſi Clauium Reum agis, aut ad nullum (quod verius eſt) aut ad omnes agis, ad quos Clauiana, & Vietæa ſcripta peruenerunt: ſed omnes, qui hæc iudicare poſſunt, Clauio redarguẽte demonſtrationes irrident tuas. nec video qui Clauius Τεκμηρίοις tuis coniunci potuerit, quæ cum fallacia ſint, atque fallentia, dici vix poteſt quam multas abſurditates ex infelici atque arida iſta ieiunitate pepererunt.

VIETA *Ante vero Abſolutionem.*

STEPHON. Omnino placari Clauio, Vieta, non potes? Ita ne

vero? tibi niſi Clauij capite litari non poteſt? quo iure, quaue iniuria, nihil ad te. Deus aliquis hæc explicabit. Nimis hoc inimice quidem. Age quoniam ad huius iudicij terrorem reuolueris toties: ex hac arce te tandem exturbare certum eſt.

Tibi fabellam narro: mercedem para.

Canit Cæcus in triuijs: Itidem, ego, quamquam Poeta non ſum, Poetarum ingenium amaui ſemper. Illorum igitur hoc inuentum eſt. Orilum quendam Gygantem, immanem hominem, imo trucem malamque beſtiam Herilo peiorem, fuiſſe fingunt,

Naſcenti cui tres animas Feronia mater

(Horrendum dictu) dederat terna arma mouenda;

Ter letho ſternendus erat.

hoc inquam Herilo Præneſtino Orilus Aegyptius peior erat. Nam vulnerabilis immortalis erat. Crinem illi narrant in capite fuiſſe fatalem, beneficio naturæ datum, inde vitalem vim in totum manare corpus, & ad omnes partes pertinere, qua membra ne cæſa quidem,

& de-

& deiecta de corpore intermori poſſent, quin amputata continuo redirent ad locum: vbi de integro obducta cicatrice coaleſcerent. Brachium quis ferro deieciſſet: ad thoracem ſuapte ſponte ſublatum humo reſtituebatur. pedem abſcidiſſet: repetebat illico pes abſciſſus iuncturam loci. Caput obtruncaſſet ipſum. collo repoſitum etiam cicatricem delebat. Demum occidi Orilus non poterat niſi, qui latebat in multo capillo, fatalis ille crinis à ſtirpe funditus euelleretur. Adeſt ex Lybia volaticus eques Aſtulphus, vt olim Perſeus Pegaſo vectus. Oblato certamine congreditur cum Gygante. impar pugnæ diſcrimen videt: Gygantem millies occiſum interfici non poſſe. Quid faciat? Quo ſe vertat? Inaudiuerat. vnde? neſcio, Orilo, cuidam fatalem quãdam vim ex capitali crine fũdi, quæ Libitinæ nihil deberet. Hunc igitur illum Orilum eſſe ſuſpicatus eſt. quamobrem ſortitus fortunam vulneris demit ferro caput: arreptumque confeſtim aſportat citime procul, quantum poteſt, ac ſe ſe fugæ mandat. Orilus exſecto capite ſtãs in eodem veſtigio hæret. truncus

erat. viuebat tamen: caput etiam viuum erat, quod ſecum fugiens Aſtulfus gerebat. inclamaſſet videlicet Orilus ex trunco. ſed animam per hiantem arteriam incondite fluentem canora, vel potius articulata vox non ſequebatur. Pulmones truncus habebat, oris plectrum, opificem vocis, mentis interpretem linguam non habebat. Nec minus victor Aſtulphus interim æſtuabat, qui vitalem in vberrimo capillo crimen internoſcere non poterat: & interuellere quamuis multum laboraret, fruſtra conabatur. Etenim neque colore diſtabat à ceteris ſetis, vt purpureus Niſi crinis, quem Scylla filia totondit, & ad Minoem detulit amoris pretium: neque per otium, vt Dalidæ Sampſonis amicæ dormientis, attentitius cõtemplari fugienti fas erat. Ad extremum, init ex tempore conſilium. Pugiunculo caput deglabrare incipit, & cum ipſa cuticula capillum abradere, nimiſit ille quidem ad viuum; Inter hæc animaduertebatur quo propius accederet ferrum ad fatalem locum, eo deterius immutari fortuna capitis, & magis, magiſque euaneſcere trunci color. Ne multis.

Om-

Omni cum cuti detracto capillo, lethalibus oculi tenebris obruuntur, Orilique truncus tanto ante exciſus, nunc demum occiſus occumbit.

Quid rides? mutato nomine
de te
Fabula narratur

Quę tibi huc euadit: vt fruſtra cauſſæ confictæ caput, & arcem iſtam Iudicij, vnde tota hæc cauſſa pendet, occupaſſe falſitatem tuam omnes intelligant. Nullum hic, Vieta, iudicium eſt vbi nullum eſt crimen. Hoc firmamentum accuſationis tuæ: hoc propugnaculo tua ſe continet & tuetur audacia: hinc quamuis ſæpiſſime deiectus, ſæpiſſime membratim cæſus; tamquam in illo vitali Orili crine reuiuiſcis tamen. falſitatis tuæ membra diſiecta paſſim iacent: Relationem Kalendarij tui nullam eſſe Clauius oſtendit: diploma falſum: accuſationem nouam: criminationem improbam: Expoſtulationem furentem omnes vident. Omnia deniq; tuæ cauſſæ momenta particulatim, articulatimq; deciſa ſunt. Caput etiā ipſum egregiæ conqueſtionis tuæ ſæpiſſime detruncatum eſt: tu ta-

men artus amputatos colligis: diſperſa membra componis: iacturam laceræ cauſſæ reſarcis hoc intentati iudicij terrore, quaſi tibi quicquam eſſe poſſit in iſta cauſſa tota, ne cõcidas. *Vt* ex iſta latebra falſitatis educaris aliquando: nunc id quod ſæpe dixi, dicam apertius, vt omnes intelligant. Nullum iudicium eſt, quod Clauio intentas: nullum eſt inquam, Vieta iudicium, quod intentas Clauio. Num planius dici poteſt? nullum, inquam, nullum eſt. Quoties id iterandum eſt nullum, nullum? *Vide* quid dico, à Clauio, inquam nullum: à te vero non nullum: qui capitalibus criminibus multis, atq; magnis in te ſuſceptis, ijs legibus irretitus, & deuinctus teneris: vnde te (ſi iudicia valebunt) nulla Proteſtantium potentia vindicabit: Tu, cum ea conuellere funditus, ac delere velles, quæ per annos ipſos viginti grauiſſime mandata, conſulta diligentiſſime, ſapientiſſime conſtituta, compoſita, iudicata, decreta, ſancita, perlata, promulgata fuiſſe non ignorares; ijs te iudicijs implicauiſti, ex quibus te nulla vis, niſi factioſorum expedire poſſet. Tu: Tu Nicæni Concilij

diui-

diuinam auctoritatē pro nihilo duxiſti: qui nouam contra quam eo Concilio cauebatur in ordinandis ſolennijs rationem ingreſſus es. Tu ſanctiſſimum, ac vetuſtiſſimum in ea re ritè adminiſtranda morem Eccleſiæ ſuſtuliſti. Tu grauiſſimorum Patrum conſilium, Tu nobiliſſimorum Auctorum ſapientiam, quam tuam leuitatem, & ſtultitiam deſerere maluiſti. Tu falſa diplomata commentus: Tu Pontificias litteras ementitus. Tu ſacrorum conſuetudinem demolitus, auguſtiſſimam Pontificis, & Eccleſiæ Dignitatem Maieſtatemque violaſti. Tu Reipublicæ perturbator: Tu moris euerſor: Tu iuris exitium: Tu factioſorū concitator: Tu Proteſtantium fax, atque furia. Tu ſeditionum flabellum, turbulentiſſimus hoſtis Quietis, & Concordiæ tu fuiſti. Tu Vieta, Tu. ecquid audis, importune criminator? Tu læſæ Maieſtatis, & Religionis reus; Tu fallaciæ nefarius machinator, Pontificis, Imperatoris, Regis, Reipublicæ ſecuribus ceruices ſubieciſti. Tu Tu: ecquid audis? an non Vieta? An etiam expectas noctuam, quæ tibi vſque occinat. Tu,

Tu? Iam ne ſentis? iam ne vides nihil eſſe tibi cauſſæ, quamobrem in quo hæreas, ipſe alijs iudicij oſtentes metum? Atqui, vt iam nunc ſpe præſumere fortunam eius diei poſſis, ſi, quemadmodum affirmas, tibi conſilium eſt Reum Clauium peragere: ſimul hoc cogita, quibus præſidijs inſtructus aleam huius iudicij ſubire poſſis in cauſa contra Aduerſarium. Pro te ſunt falſitas, & improbitas: ab Aduerſario contra te veritas, atque virtus: A te fraudatio, & ſcelus: contra te Pietas & fides: A te ignoratio, & impietas: contra te Religio, & doctrina. A te iactatio, & Vanitas: ab Aduerſario conſilium, & modeſtia. A te audacia, & furor: ab Aduerſario bona mens, & moderatio. Tum Aduocatorum etiam opes æſtimandæ ſunt. Tu conuenticulorum latrocinio armatus: Clauius Eccleſiæ concilijs ſeptus eſt. Tu Proteſtantium furijs: Clauius ſanctorum Patrum immortalibus virtutibus, Pontificum decretis, Imperatorum, Regum, Principum Gymnaſiorum, Gentium, Ciuitatum ſtudioſiſſimo, lectiſſimoque comitatu ſtipatus ad hoc iudicium accedet. Aude nunc,

ſi tan-

ſi tantum cauſſæ tuæ fidis, forenſem experiri iudicij fortunam. Quod tibi conſilio turpe, diſcrimine formidoloſum: Clauio certamine glorioſum, periculo nullum eſt. Cur autem periculo nullũ? quia ſerum; quia nouum; quia falſum, quia iniquum, quia flagitioſum, quia nulla lege conſtitutum, quia nullo more tranſlatum; quia te ſolo auctore confictum, quia tibi miſcere humana diuina cogitanti à ſapientiſſimo Pontifice non datur. I. nunc: quęrere Athenis. iacta te ad multitudinem, vel etiam ad Proteſtantes, ſi potes. Nunc quoniam totum hoc iudiciale nomen ſublatum eſt è medio; reliqua citius percurram. & Orilum iſtum humi iacere proſtratum ſinam.

VIETA *Nullius autẽ momẽti sũt* ἀντικατηγορίαι, & ἀλαζονείαι tuæ.

STEPHON. Quæcunque ſint illæ, quanti momenti ſint intelligis ipſe: ſed impudenter concertare mauis, quam ingenue confiteri. Quid autẽ occultaſſe prodeſt, quod videant, ac teſtentur omnes? Nam omnes te nihil vidiſſe iudicant. docti, inquam, omnes iudicant, quorum iudicium in hac diſceptatione

eſt verius. Quam autem *ἀλαζονείαν* tu dicis in Clauio gloriarum ipſe pleniſſimus non oſtendis. Conniueo tamen, & amo liberalitatem tuam. Tuæ facilitatis eſt alijs obiectare falſo laudes tuas.

VIETA *Et quæ te de libro nouæ reſtitutionis Kalendarij noua ſollicitudo tenet?*

STEPHON. Imo quæ te tuarũ rerum tam otioſa ſecuritas tenet, vt aliena ſolliclte inquiras? Num Gregoriani conſilij particeps, vt Clauius, tu fuiſti?

VIETA *Cum ſit à me editus?*

STEPHON. At quibus artibus editus?

VIETA *Qui vel à die Diplomatis locum, vt par erat, & vim obtinet.*

STEPHON. Audes Diplomatum mentionẽ facere? Iudicij vim non times? Quoties id reuocandũ eſt te in diplomate falſum eſse, & ſcriptum tuum cum diplomate pugnare, quam quæ maxime pugnant inter ſe? Sed ſit impudens Cõfidentia in tuis laudibus. Aliud eſt quod à te mihi reſponſum. velim. Exiſtimas ne antequã librum tuum adeo magnifice iactares, glorioſæquè per

ma-

manus hominum diſpergeres, oportuiſse conſuli quid cōtra te ſcripſiſſet Clauius? Vbi nunc illa in Clauio φιλαυτία, & ἀλαζονεία, quā argumentis omni luce clarioribus in te tenemus? Huius igitur cęcitate prę̨ceps librum illum tuum innumerabilibus, ac ſi nullis erratis reſperſum glorioſiſſime venditas, impudentiſſime obtrudis, pugnaciſſime tueris. Equidem hominem vidi nullum, tam alieni iudicij ſecurum.

VIETA *Tum quam meditaris editio intemtempeſtiua, & aſpernenda deinceps.*

STEPHON. Tua videlicet tēpeſtiua poſt actum: tua videlicet tempeſtiua, quæ nulla cuſtodit moris, & officij tempora: que nullum nouit opportunitatis locum: quæ ſe ſe impudentiſſimè ingerit: Tua deinceps amplexanda quæ nihil præter diuina, atque humana omnia peruertit. tua vera; tua ſacra; quid ni? quæ tam ſancte peierat.

VIETA *Vt falſa & Plagiaria?*

STEPHON. A me præmij quid vis auferes: ſi ſyllabam vnam e tot calumnijs in Clauium à te coniectis oſtenderis non eſse falſam.

VIE-

VIETA. *Falſitatem vel repetita dies arguet.*

STEPHON. Tuam arguet. Sed à Clauio nihil aliud repetita dies quã veritatem arguet. Et vero quis ignorat, ante vigeſimum annum Clauianæ Rationis initium eſſe repetendũ? Relationem proinde tuam tanto poſteriorem, importunam, intempeſtiuam, impudentem, aſpernendam eſſe?

VIETA. *Plagium meus liber.*

STEPHON. Veriſſime dictum. Ex lege Flauia; Nihil muto.

VIETA. *Mea, inquam, relatio Kalendarij vere Gregoriani firmamentis Theologicis, Politicis, & Aſtronomicis, vndique communiti.*

STEPHON. Fateor: tu ſolus omnia didiciſti: vt nihil ſcires. Verum illud de Plagio reuocetur, & diligentius inſpiciatur. Qua fronte Plagiariam editionem Clauij tu vocas? quam ne perdidiſti? nihil aliud eſſe poteſt. Etenim antequam litteram vnam tuam vidiſſet Clauius, aut omnino potuiſſet ſcire te natum eſſe, ſuam Explicationem Kalendarij diligentiſſime tranſegerat. Epiſtolam etiam ad Summum Pontificem Clementẽ VIII. nũcupatione notatam,

tam,

tam, & eadem de re cōſcriptam habebat ad manum. Quod ipſum ego non auribus ab aliquo, ſed oculis percepi. Qua ratione plagiarium, cum exaduerſo pugnantia tu loquaris? & Clauiana ratio Vietæis rationibus te etiam teſte repugnet? Vel, niſi repugnat, cur tu Clauium, vt confutes, oppugnas? falſum ex vero qua ratione plagiarium? Hæc vt quæ maxime, pugnant inter ſe. Vbi eſt acumen tuum? Conſtantiā quoque hoc loco, Vieta, requiro tuam. Nam, ſi quæ falſo ſuſpicaris, in ſuum librum vere Clauius ex tuo tranſtulit, quo pacto Clauium falſitatis inſimules, non video niſi prius eiuſdem falſitatis condemnes tuum, ex quo Clauianum librum contendis eſſe locupletatum. Hæc pugnātia ſunt, nec ſibi conſtant, mi Vieta. At ego te ſatis acutulum exiſtimabam. Reſponde id quoque. Ecquādo legeris Apologiam Clauij contra Meſtlinum? Ecquid oſtendere potes, quotus hic annus, ex quo Meſtlinum confutauit Clauius? Quid ni? Valde poſſim, inquies. Diutule eſt. Nihil eſt notius. Sed quid iſta quæſtio ſibi vult? hoc tantum, ſolem, & pluuiam pro ſemente. Cum tanto

ante,

ante, quam tu Clauius eam defenſionem ſcripſerit, in qua permulta non diſſimilia tuis vel potius eadem cum tuis reperiantur. poſſe te Plagiarium verius videri, qui poſterius ſcripſeris; & è Clauiano fonte permulta deriuaueris ad irrigandum hortulum tuum. *Hoc vel repetita dies arguet*. Nam & æquationem ſolis in quadrigenteſimum annum (quamquam ea quidem res ab alijs adinuenta prius) & æquationem lunæ in annum trecentiſſimum inſtitutam, quemadmodum Aequationis Clauiana tabula declarat, eiuſdemque perueſtigãdæ Epactæ ratio aperte docet. Hæc, inquam, à nemine, quod ſciam ante Clauium pertractata, quæ cernuntur in monumentis tuis, fortaſſe vere non ſuſpicioſe quis dixerit, E Clauio te non mutuatum, ſed eſſe furatum. *Hoc arguet repẽta dies*. Quamquam prudenter tu quidem cautionem illam in viginti quinque centenarijs adhibuiſti: ſed hoc ipſum edoctus à Clauio, qui primus omnium; certè te prior rem illam à Congregatione repertam, & in ea couſultatione multum, & ſæpe verſatam in omnes partes comprehendit animo: litteris prodidit: in

ca,

ea, quam aduerſus Meſtlinum ſcripſit, defenſione patefecit. Et *Hoc repeſita dies arguet*. Iam de perpetuo epactarum Cyclo nihil dico, quē noſter Clauius primus in Kalendario, quod Gregorius Pontifex emiſit, ex expanſa Lilij tabula coactum in ſummam, ac breue compendium, contraxit, & in ſua contra Meſtlinū defenſione repetiuit. *Et hoc dies arguet repetita*. Hæc omnia, ſi dicas ingenij tui marte perueſtigaſſe te: putare debes Clauium quoque potuiſſe fretum ingenio aliquid inueſtigando aſſequi. Habent enim hoc Diſciplinæ proprium vt in ijs, qui multum elaborant in eadem veſtigia ſæpe numero ſimilitudine qua doctrinæ qua ingenij incurrant. Tum ipſa principia facultatem ad eandē tendentia rationem, tamquam capita viarum in magnis Vrbibus ad celeberrimum forum ducentia, in ipſo plerumque exitu ſibi ocurrent.

VIETA. *Odium autem Pontificium, quod, vt in me concites, mala arte eniteris; caue ſis, ne in te potius ſentias exacerbari.*

STEPHON. Quæ te intemperiæ Vieta tenent? Nunquam cogitabis quid loquaris? Tunc iſta vere ſu-

ſuſpicareris (vt Clauium omittam) ſi Pontifex is eſſet, qualem tibi cogitatione fingis hebetem, ignarum inconſideratum, nihil conſilio prouidentem res non ex Veritate ſed gratia iudicantem.

VIETA. *Quid enim? Si Proteſtantes veram anni Rationem, quam ſyncere ex Gregorij mente retuli, amplectantur?*

STEPHON. Proh ſummi Cœlites, veſtram fidem. Hem quid, hoc ſceleris aures meas vulnerat? Sanctiſſimi Pontifices, Imperatores Auguſtiſſimi, Chriſtianiſſimi, Catholicique Reges, Dynaſtę ſapiētiſſimi. Regna, Ciuitates Nationes audite, audite hæc ſcelera, quæ Vieta loquitur. Placiturum ſe Proteſtantibus Vieta ſperat, quibus non diſplicuiſſe miſerrimum eſt. Nobis, qui veſtra veriſſima decreta, qui templa, ſacra, moreſque ſacrorum, qui Pontificum iuſſa, ſcita, iudicata, ſancita defendimus, qui Proteſtantibus in veſtra cauſa diſplicemus; malum Vieta denunciat, & minatur, ab illis turbinibus, & procellis, quod non ſatis intelligo. Enimuero hæc plus quam ciuilis, pluſquam humana diſſenſio eſt. En Vieta pietatem: en

Re-

Religionem: en erga Rempub. ſtudium: en concordiæ cupiditatem: en aduerſus Pontificem obſeruantiam, en Eccleſiæ reuerentiam: en veritatem: en fidem. Vos, Vos appello Reipub. Rectores turbulentũ hominis ingenium obſeruate: clamo; prædico, denũcio: quiddã hæc eius oratio olet, quid illud ſit, neſcio: bene certe non olet. Redeo ad te Proteſtantium Soſigenes. quid ſi Proteſtantes amplectãtur rationem meam? Quid? Si illi dementiſſime inſaniant? Semel ſi Clauium deſerant, iterum ſi te ſequantur? Nugator ſeditioſiſſimus ipſe ſis. Nam bene de Repub. ſentientibus id ſolum placet, quod Proteſtantibus in Romana cauſa diſplicet. Quid, quamuis bonum id eſſe videretur, quod nobis ab iſtis hoſtibus, offerres, nõne tamen omnes, quicumque Romanæ Eccleſiæ ſtudent; tuum munus oculis, auribus, animis aſpernarentur? Quid ita: quia donum ab iſtis ſuſpectum odioſum hoſtile donum, nec donum.

Timeo Danaos, & dona ferentes.

audio Thyeſtem in medias inſidias, Atrei delapſum.

Cum

*Cum quid datur ſpectabis? & dã-
tem aſpue.*

Et tu cũGræculis diceres τῶν ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα. Tu vero glorioſum, atque amplum tibi putas aliquid tuum Proteſtãtibus te probare poſſe? Vide potius, ne ſit iſtuc poſſe turpiſſimum. Nec ſane magnum facinus faceres: ſi quod ſperas, tibi contingeret aliquando. Proteſtantes nouimus quidlibet iſtos citius, quam bonos Aſtronomos, & bonarum partium ſtudioſos eſſe dixerim. An, qui ſibi nouum Chriſtum, nouam Eccleſiã, nouum Eccleſiæ Principem, Sacrorumque Pontificem, noua templa, noua ſolennia machinantur: ijdem non conuenienter (ſi libeat) comminiſci liceat nouũ annum, noua tempora, nouam lunã ſolem nouum nouumque denique confingere cœlum: & ad ſuum arbitrium, ac libidinem Mundum architectari nouum? I ſanè: vendita te: magnificeque circumſpice: cumq; lectiſſimis iſtis Auditoribus, quibus belliſſimus es, ſpatiare qua libet in recentiſſimo veſtro Mundo, vel potius in intermundijs Leucippi. Nos Profanos & male feriatos hic relinquite, ſinite quiete vtamur hoc per

ue-

uetuſto Mundo, ſtelliferis orbibus perplexo, ſicut Deus voluit,& complicato. Vobis ex nouis Aſtris noua tempora metientibus nos miſeri nihil præter vetera laudantes ex hac detrita luna, atque ex hoc ſole plebeio vetuſtiſſimis ſacris operantes ad noſtrum vſum momenta temporum partiemur. Quid huic antiquiſſimo domicilio faciatis, quod miſeris homullis, Proteſtantium noua ſtudia deteſtantibus dedit Deus? Et in quo Chriſtus Eccleſiæ Sponſus æternuſque Pontifex Proteſtantibus ingrata ſacra celebrauit? Noua quærite, quærite, quæ ſenſum, quamuis non integgerrimæ voluptatis recentiſſimum habent. Vetera iam exoleta, iucunditate nulla nouitatis animum pellunt: vt quæ vieta magis, quam Vieta ſunt, Auditoribus Vietæis.

VIETA. Quam ſyncere ex Gregorij mente retuli.

STEPHON. Syncere tu illam? qua nihil eſt mendoſius, vt oſtendit Clauius? & quæ Gregoriani Diplomatis armata nomine, cum Gregorij mente, quam quod maxime, pugnat?

VIETA. *Cui tam obſtinate falsã*

tuam

tuam & profanam & preterea abſurdam, & prodigioſam tribuis.

STEPHON. Dixi millies: iterũ dico. Multa nobis ex tuarum virtutum theſauro liberaliter impertiris. Habe tibi, quæſo, res tuas: nos hac noſtra miſera paupertate contenti, ſumus: affatim diuites, & læti quamuis illaudati ſatis. Nimis es Vieta contumelioſus, qui tuas fraudes cum Clauio communicatas velis. Nimirum is eſt, in aqua pereuntium mos, vt quidquid proximum nacti ſint arripiant; vt ſecum in gurgitem profundum trahant. Cæterũ eam anni rationem Põtifici Gregorio tribuit Clauius, quam Eccleſiæ conſuetudini Pontificum decretis; Concilijs Patrum, nobilium Aſtronomorum ſententiæ maxime conſentaneam Congregatio vniuerſa, conſentiens cum Clauio ſtatuiſſet. eam tanto poſt tempore miror à te labefactari, & falſam, & profanam, & abſurdam, & prodigioſam, & à Clauio nimium pertinaci natam impudentiſſimo conuicio dici: quam Summus Pontifex, Imperator Auguſtiſſimus, Reges Potẽtiſſimi Chriſtianiſſimus, Catholicuſque, Cæteræque Clariſſimæ Ciuitates, Academiæ

miæ florentiſſimæ omnes deniquè Chriſtiani Nominis nationes accẽperint, comprobauerint, retinuerint conſeruauerint.

VIETA. *Sed non minor Magni Clementis gloria.*

STEPHON. Quot verba, tot fallaciæ. Imo profectò non minor gloria tribuatur Clementi: qui tuũ nouum, & abſurdum anni principiũ reijciendum, atque aſpernandum putauit: falſam epactarum deſcriptionem tuam explodẽdam cenſuit: Rationẽ tuam veris rationibus aduerſariam iudicauit: Gregorij Deceſſoris Kalẽdarium anno ſeſquimilleſimo octogeſimo ſecundo conditũ, emiſſumque per populos conſentaneum, legitimum, optimè conſtitutum approbauit: approbatum amplexus eſt. eaque, qua ſecundum Deum præſtat Mortalibus omnibus auctoritate ſanciuit. Cur autem non ſanciret, quando non (vt tu falſo aſſumis) illæ hypotheſes Periodique legi Diuinæ repugnant, ſed omnia decreta Patrum & Sacroſanctum Conciliorũ auctoritatem, quoniam ab his rebus lex Diuina non diſcrepat, diligentiſſime conſtantiſſimeque ſeruant? quod autem hoc

loco

loco Clauius ad præſens tempus Pō-
tifici os oblinere dicis. vt leniſſime
reſpondeam, ſapientiſſimi Pontificis
amplitudinem prudentiam, grauita-
tem pueriliter æſtimas. Nunquam
ne tuo periculo timere diſces? Ad
hoc ſaxum iam tertium fregiſti ra-
tem.

VIETA. *Tu niſi monitus reſipiſ-
cas. crimina, quorum reus es, neceſ-
ſe habes diluere.*

STEPHON. Siquidem crimina
ſunt neceſſe habet. ſed ſi nulla ſunt,
vt oſtendi, te criminatore, non ha-
bet.

VIETA. *Sed vos obteſtor Vene-
randi Patres, Antiſtiteſque e Socie-
tate IESV.*

STEPHON. Hæc Expoſtula-
tionis tuæ poſtrema pars quia con-
cionalis peroratio magis videtur cō-
citati Rhetoris, quam prudens &
ſedata Viri ſapientis oratio, nec vlla
certa rationum firmitate ſtabilita
eſt, ſubductiſque ſuperiorum partiū
adminiculis, ſuo nutu fertur ad ter-
ram; deſeratur. Tantum illud, Vie-
ta, te monitū volo, Venerandos il-
los Patres & Antiſtites obteſtari
mitte: ſi me audis. Noui grauiſſi-
mos eſſe homines: apud quos plus
recta

recta ratio ſapientis quam cuiuſquã eloquentis oratio valet, turbulenta, & falſa præſertim. Illi videlicet nõ nouerint Alumnum, Socium, Doctorem ſuum? Illi ne, quorum præter cætera ſeueriſſima diſciplina laudatur: ſi malus vir eſſet Clauius: ſi glorioſus: ſi vanus: ſi contumax: ſi impie arrogans: ſi proiectus, & procax: ſi falſus ac fallax: ſi tam ſceleſtus Reipublicæ hoſtis, quam tu fingis: ſi ſimulator, & obſcurus: ſi Superis, hominibuſque tam infeſtus eſſet: non ante ſuo iudicio, quam tuo indicio ſacrilegam furentis hominis audaciam compreſſiſſent? Veritatem autem, quam aſſiduis vigilijs, lucubrationibus nocturnis, diurniſque laboribus, quam vitæ plurimis incommodis, maximiſq; quam acerrimis dimicationibus, & grauiſſimis inimicitijs impiorum, quam peregrinationibus, exſilijs, ærumnis, ſanguine tuentur, atque in alijs cõſeruatam volunt: in ſuis neglectam & abiectam eſſe patiantur? Ne falſo id putes: fieri non poteſt. Contra vero, ſi plurima ſunt eorum, eaque cum integerrima, tum honeſtiſſima de Clauij ingenio, doctrina, ſapientia, virtute, moderatione, grauitate

conſtantia, pietate, fide, religione, morum integritate iudicia: ſi Pontificum gratia, ſi Principum beneuolentia, ſi Doctorum amicitijs, ſi Gymnaſiorum præconijs floret Clauius: vereri profecto, Vieta, debes; ne tu potius, qui Clauium odiſti, quam qui diligunt, in hac Clauiana cauſa à veritate diſceſſeris. Hæc tecum. Vos autem Religioſiſſimi doctiſſimiq; Patres, quos in hac extrema reſpõſionis meæ parte non tam voluntate mea, quam aduerſarij prouocatione teſtor. Diſciplinæ veſtræ cupidiſſimum, & doctiſſimum virũ fouete, quemadmodum facitis ſtudijs beneuolentiſſimis: amplexamini magnum hominis ingeniũ, acerrimum publicæ cauſæ propugnatorem, quem per tot annos improbiſſimis calumnijs exercet falſitas inimicorũ, clariſſimum veſtri nominis ornamentum, ac lumen quibus maximis poteſtis honoribus cumulate per Deum. Conſtituite in Clauio exemplum, quid è vobis veſtri Iuuenes ſperare debeant. In hoc vno virtutes educite cæterorum. Alite Iuuentutis ingenia, ſapientiæ cupidinem, induſtriam, & alacritatem ingenioſorum acuite. Qui ſi (quod pro-

proprium veſtri nominis eſt) diuinę gloriæ ſeruiendum putatis: exiſtimare debetis rem agi diuinā in Clauij cauſa; cuius ante doctrinæ fama, nunc etiam caput vt quiſque confidentiſſimus eſt Veritatis hoſtis inimiciſſime oppugnat.

Hæc ego, Vieta, pro Clauio magiſtro meo contra te habui, quæ reſpōderem ad Expoſtulationem tuā, adductus officijs priuatis, publiciſq; permultis, ac maximis humanitatis amicitiæ, Veritatis, Religionis, æquitatis. Hæc ſi vera ſunt, vt veriſſima eſſe intelligunt, quorum iudicium nulla perturbat contentio ſtudiorū; collige iam tu te, Vieta, per Deum obſecro: ad relictam animi tui pacē ad communis concordiæ conſenſionem redi. Non eſt, quemadmodū putas, non eſt, mihi crede, præclarum tibi tam vehementer, ac turbide per vllam cupiditatis impotentiam efferri. Id ætatis hominem, ingenioſum doctumque præſertim & honeſtiſſimum loco, inimicitias quærere voluntarias turpiſſimum & moleſtiſſimum eſt. Multa ſunt in te, quæ quamuis inuidus obtrectator (vt memini ſæpe dixiſſe Clauiū) obſcurare nemo poſſit præter te, ge-

nus, ingenium, opes, nobilitas, litteræ, eæque multæ, variæ, reconditę, ſingulares, elegantes: vnam his bonis adde modeſtiam concordiæ cupidam: ſolidiſſimæ gloriæ cumulum addes. Me quem iratum tibi fortaſſe ſuſpicari potes. quo in numero velis apud te eſſe: tuum eſt ſtatuere. Equidem tibi nec iratus ſum, nec inimicus eſſe debeo: exque ijs, quæ Reipub. cauſa pro Clauio contra te dixi, contentiosè quædam, multa vehementer: inimice nihil dixi. Mihi igitur, vtcumque voles: Clauio placare ſaltem: quē tibi amiciſſimum ſeruare potes: & fuiſſe, nihil dubitare debes. Omnino Rēpublicam, cuius multæ, maximæq; partes in hac de Kalendarij Romani diſſenſione vacillant, vt reſpicias, vt cōpoſitam & ſedatam velis eſſe, te per Deū, Vieta, vehementer etiā atque etiam oro, atque obſecro. Huic tu cum omnia perſolueris officia virtutis, vt eius in vnumquemque noſtrum infinita promerita cōſtant; nihil, aut parum admodum te reddidiſſe ſenties. Quapropter inane iudicium iſtud quod tibi peragere certum eſſe dixiſti: nulla lege conſtitutum à Doctorum exedris, ad

Tri-

Tribunal Prætorum nouo exemplo, nullo more translatum omitte meditari ſi ſapis.

Non aliæ deſunt tibi permultæ parandi nominis viæ, ſi tanta gloriæ te dulcedo tenet. Clauium omitteſis: cuius ingenium, neſcio quomodo, fatale ſemper ſeditioſis, ac turbulentis fuit; iuxta pene dixerim, ac Reip. glorioſum, Reſpice potius tu te: recordare qui ſis, & quo loco: fac, vt te potius amemus, quam natum eſſe doleamus. Omnino velle debes, vt litteræ, quarum vbertate, ſane quam abunde polles; quoniam filiæ Veritatis & Alumnæ tranquillitatis eſſe perhibentur: veritati concordiæ deſeruiant: non Vanitati & Diſſidio lenocinentur. Illecebram iſtam falſæ gloriæ reſpue. Nimium quãtum inimicus eſt bonis ingeniјs guſtus eius: Age macte Vir Virtute ſis: ab iniuſta duriſſimæ dominæ ſeruitute.

Te redime captum quam queas minimo.
Si nequeas paululo: at quanti queas.

Et ne te afflictes.

Iactantia leuiſſimum peccatum eſt:
ſuſceptum,
inquit ille, defenſum grauiſſimum.
a qua, ſi veræ pulchritudinem
Virtutis adamaſti, (quod optabilius
velle debes) animum ad Veritatem
recipe: vt Proteſtantes Chriſtianorum
errantia ſimulacra: vmbræque
voluceres, inconſtantes, leues inanes
inquietæ, tuum ingenium ſibi diſſimile
ſuſpiciant potius, & vereantur,
quam ſimilitudinis aliqua ſuſpicione
contaminent, & contemnant. Ne
iurgijs, aut diffidijs, obſecro, mutuã
diſſenſionem foue. Neu vulnus iſtorum,
qui Gregorianum annum, Romanumq; Kalnndarium, neſcio quo
ſuo malo ingenio, concoquere non
poſſunt; adceſſio ſententiæ tuæ tamquam
admotus vnguis exulceret.
Qui ſi (quod omnes exoptant, & expectat
ex te non nemo) tibi ipſe imperare
potueris, vt ingenium tuum
ad Clanij firmiſſimas veriſſimaſque
rationes accommodes: verbis iam
vtar tuis: Nullus apparebit in orbe
Aſtronomus: nullus in verba peritorum,
in arte iurans: qui admittandam
Gregoriani anni reſtitutionem
non admirabitur. Hoc omnes pij
habent in votis. hoc, Vieta, quod
om-

omnes impij oppugnant, omni ope defende. Tanto Reipublicæ Chriſtianæ bono qui obſuerint ope, conſilio, dolo malo; ſacri, & inteſtabiles ſunto, & à felici Piorum conſeſſu extorres arcentor.

PROSA XVIII.

DE STYLO LACONICO, ATTICO RHODIO.

Fragmentū ad Bartholomeum Koſtrium. ſcripta Mutinæ an. 1620.

Vita Auctoris vltimo.

EXSOLVO fidem de Lacone, quod receperam; ſimul Atticum, & Rhodiū, quod non receperam, ſed cogitatione deſtinaueram, ſi quando ſolutiore fuiſsem animo, repræſento. Solutione ſcilicet nunc ſum in totum hoc triduum Pentecoſtes, intermiſſo munere docendi, quò tempore meus hic Princeps Adoleſcentulus litterarij ludi ſollicitudine tantiſper omiſsa, ritè Deo feriatus ademptum literis otium, referet pietati. Sat habes, cur hoc potiſsimum triduò! cur autem non

aliàs ante hac, quod fortaſse neſcis; hoc quoque ſcito (ſi tamen id te ſcire quidquam refert) quantum pueri Principis litterarijs oblectatiunculis quotidie tribuam temporis ex eo, quod mihi ſuperat extrà vitæ quotidianas, Ordinis ſolennes, officij perpetuas neceſsitates.

Tu nimirum intereà loci (nec tamen inuideo, lætor potius) ne ſtudiorum intentiore cura frangantur corpuſculi vires; ex vetere Romani Collegij conſuetudine cum cetero ſodalium tuorum Iuuenum ſuauiſsimorum cœtu, ſtatis, ac certis, atque ad ſingulas hebdomadas recurrentibus identidem ferijs, interquieſcis, obambulas, ruſticaris, colludis, fabularis, aut alicubi certè ſiue cum Muſis in vmbraculis, ſiue cum Muſicis in Odæis Auli Perſij verbo Saturnum Ioue frangis, nobilium olim puer artium, nunc Iuuenis horarum omnium. Quid mihi? quid interim? nihil horum penitus relictum eſt. Mihi (vide quæſo quem hominem Poetam vocatis) nullus omninò vacat ab exercitatione ſuſceptarum moleſtiarum dies. nonus hic menſis agitur: vt me Mutinæ Roma credidit, inter hæc nullum

mihi punctum temporis immune, præterijt ab labore; nulla ſpecies amœnitatis obiecta: nulla ruſticationis exhilaratio, nulla ruris, præterquam curarum, nullæ viciſsitudines, induciæ nullæ rerum ſeueriorum. è circumfuſa vero mœnibus palude perpetuò Muſis obſtrepit abſurda coaxatio ranunculorum. Itaque profectò cum Muſis abſterritis Muſici quoque volatici volerones aut aliò conuolarunt, aut, quia vocaliores eſſe non poſſunt, ne quid abſurdius exaudiamus; certare cum ranunculis ſilentio maluerunt. oleum, littus, ſolitudo taciturnitas non æque tacet vt hæc à muſis obmutuit ἀγαχώρησις.

Niloticis ripis, Aegeriæ nemore, Mutiſcæ Tetrico taciturnior. nam de ruſticatione quid quæris? credas hoc mihi licet. ſemel hoc toto tempore, ſemel tantum extra portas Vrbis extuli pedem antemeridianus animi gratia progreſſus ad mille paſſus, aut paulò vix amplius. Cũ domi ſum, mihi ſum, & in cubiculo plurimùm ſeſſito: nec in ſolitudine ſolus, nec in otio videlicet otioſus. lectito, ſcriptito, commentor, comminiſcor aliquid: demũ vltra tem-

pus

pus in æternitatẽ iaculor ſpei meæ; ſi quid intercapedinis eſt; laterum, dentium articulorum doloribus ingemiſco; paucis illis veteribus noſtris amicis relictus, vetulis, inquã, libellis noſtris, qui meam huc peregrinationem ab Vrbe ſoli ſunt omnium proſecuti, pauciſſimi ſunt omninò, quos mihi lectitandos, non legendos ſeponere conſueuerim. Atqui plures, niſi lectulum, ſellam, candelabrum, pluteolum, armariolum, & memetipſum extrudam foras, hæc in ſumma contignatione ſummo ſuffixa tecto Dieta perbreuis, & perangusta non recipit: vt in malis haud ſanè male materiata eſt. Auſtros auerſos, Septentriones aduerſos habet. an vt Boream ſpectet, an vt hyemem expectet? expectat verò, nec infrequenter, nec illiberaliter exceptat hoſpitio frigori commodior, quam Domino. Dietulæ feneſtœlla tantum hortuli ſubiecti ſibi perforat quantum intra domeſtici parietis ambitum ſubdiualis areola diſtincta ſemitis, non vijs; immo ſtrijs nõ ſemitis ad acetaria perpaucorum hominum ſufficiendis oluſculis ad vtilitatem exculta diligenter, ad voluptatem ine-

eleganter. loci latitudo, qua patet, decempeda finitur: lōgitudo quorſum protenditur in arctos obiecta vicinorum oculis maceria, dum externos introſpectus ad nos amplè ſecludit alienos intimos proſpectus ad alios nimis anguſtè concludit ſuis. ea quinquies circiter altero tāto decempedæ ſpatio terminatur liberi cœli tantumdem haurit aëre non inſalubri, ſi ſe nubilo deterſit: at vbi nimbis inſonuit, vt perſæpè fit, aut nubes offudit dies, quoad procella fœda deſæuiat, auribus, oculis, capiti malè parcitur, niſi confeſtim ingratus animo corporique foribus occluſis, prohibetur aſpectus. hoc ipſum ſpatium à læua fauonijs oppoſita coarctat hypetra gradaria cum proceſſio compluuijq; ſuggerendium proiectis colliquijs onuſtum ſolem orientem & Euros excludit contiguus ædificij veteris è coctili laterculo paries imminens, & multifariam dehiſcens. Intra ſubdiuale compluuiū fundus noſter eſt, & ruſticum hortuli domeſtici latifundium, de quo paulò ante dicebam. Hic areolis aggeſta corhibus humus humecta ſemper, vtique ſub vdo ſolo ſudoque Cœlo,

ſatiuam nobis ſuccidiam præbet ad inemptas noſtrorum hominum dapes, fœniculum, intybum, lactuculam, oxalidem, mentaſtrum, eruculam, cicoreum, nepitam, apium ſaluiam, andrachnem, ſerpyllum, apiaſtrum, ſerratulam amaracum, ſtellitem, pulegium, rutam, hyſopum, abſyntium naſturtium, papauer, & id genus herbulas, quas ad appetentiam acuendam elicit artifex manus, & veſpertina fermè commendat proluſio cœnarum inibi raris diſpoſiti locis Adonis florent horruli calathiſcis mobilibus innutriti. Saliuncam, roremmarinum violam, calthulam, clauiculum, heliocryſum, narciſſum, iridem ad tempus oſtentant ritu ſolſtitialis inuoluuli; nec niſi verno tempore, vel æſtiuo ſole crediti ſeminis fidem ebblanditur aut exprimit pertinax cultu labor iniuſſi graminis ſolum ferax laurum, myrtum lentiſcum, & frutices in topia ſequaces reſpuit. Libenter trifolium, libentius vrticam offert olitoribus & minimè poſcentibus internaſcentem vberrimè peſtem herbis edulibus inimicam, niſi ſæpius interuellas, ilicet irrito labore ſpem omnem herbariam veſper-

nu-

nularum perdidiſti. Illud memoratu iucundius. condito iam die primis in noctem ſe ſe intendentibus tenebris per hunc æſtum ſpectaculo ſunt otioſis cicindelæ noctilucæ ſanè frequentes, interuolant intermicantque paſſim, vti ſub humido fit ex herbeſcente viriditate ſubortæ per impluuium ſilentio peruagantur: primò quidem attonitis ad volucris ignis oſtentum felibus, & veluti miraculo defixis: mox ad proximam prædam neſcio quã ſibi viſam inhiantibus, & aperto mox nũc adſultu vadentibus, nunc ex inſidioſo ſpeculatu ſenſim prorepentibus, nunc in ignitas beſtiolas audacter exſertis vnguibus & collucentibus oculis inceſſentibus, & inane ludibrium diſcerpere nequicquam conantibus. Interim pyrolampades facile periculum euitant diſperſim impunè volitãtes hiantem prædonem viciſſim pinnarum nunc explicatu fulgentes irritant, nunc compreſſu ſcintillulam obducentes eludunt. hæc domi poſt compoſitum diem ante ſomnum, qui ridere poſſunt habent ſpectacula, per quæ concuſſo ſplene vel inuitis riſus erũpat. At ego matutinus & interdius

ex-

extra domum tãtum quotidie ſpatij facio, quantum publicæ directæque per mediam Vrbem à noſtris ædibus ad Prætorium Principis interiacet viæ porticibus penè perpetuis, hæc vtrinq; contecta frequentior, quam longior inter opificum officinas vltrò citroque commeantiũ oculos aſpectu lætiſſimo tenet, breuiſſimo dimittit. quater hæc eadem eundo redeundoque quotidie remetienda nobis, dum ex compoſito antemeridianis, & pomeridianis operis ad erudiendã vnius Puſionis animulam idonea tempora captantur. Senas vbi plurimum, quinas, aut quaternas vbi minimũ, horas profeſtis diebus impendimus in eam curam; feſtis verò ſæpè binas ſæpè ternas omninò non illibenter abſumimus. hui tantum temporis compedium inquies! at quo? quæris? in illud quod tu quoque fortaſſe noſti, quinquertium veterũ ſcholaſticorum. commentandi, legendi, ſcribendi, communicandi, congrediendi. hæ noſtri Panthatli vices in orbem iuſta per interualla temporum ex inſtituta docendi ratione reuocantur: hæc meditamenta futuræ laudis: hæc exercitamentà
præ-

præſentia ſolitariæ, domeſticæ, publicæ prudentiæ, nobilium qua priſcis mandata litteris, qua ſancita legibus, qua moribus expreſſa Sapiẽtum. ſi quando verò vel latinè tibi quod iucundius quàm ſæpius; vel vulgari ſermone alijs, quod ſæpius facio quam iucundius, vel officij, vel nepotij cauſa ſcribere cogitamus; quia cum abſentibus colloquendum eſt, eas ſubceſiui temporis horulas illiuſcemodi confabulationibus occupamus, quas, vt noſti, nobis à cibatu ſurgentibus, binas matutinam,& veſpertinam animis iucunda ſermocinatione relaxandis inſtitutionis domeſticæ conſuetudo dedit. Ne metue, neque capiti neq; pectori noxius eſſe poteſt ille ſtatim à cibo repetitus cõmentationis, aut ſcriptionis labor. Ad eam abſtinentiam adſueuimus ob inſolẽtiam, inſuauitatem, parcitatem ciborum quam ad conficiendum diſtribuendumq; ſanguinem per venas authore Sanctiſſimo Viro Hieronymo didicimus eſſe poſt menſam meditantibus ſcribentibus orantibus innocentem.

Ceterum inopinatas Amicorum familiarium, hoſpitum alienorum inter-

interpellationes, officia ſalutationum, deductionum, reductionum, & ceteras vrbanæ vel beneuolentiæ vel elegantiæ reſponſiones, & crebrius interdum, quam velis obiectas neſcio vnde ſuperuenientium negotiorum moleſtias tum inualetudinem imbecillitatemq; iam penè perpetuam affecti corporis, & ſexcenta iam ingraueſcentis ætatis incommoda ſuffuſiones oculorum, aurium hebetudines, grauedines, diſtillationes, dentium, pectoris, articulorum, laterum dolores anhelā aridamq; tuſſim, ſanguinis eiectiones, expreſſioneſque ceteroſq; morbos ſeneſcentium ægrum corpus ex ordine repetentes quibus indotatam cæteroquin, & illocabilem ſenectutem egregiè ſcimus eſſe dotatam; has inquam curas auocationeſque vel ab aliis incertas, & extra ordinem incidentes, vel à nobis certas & ſemper vrgentes inter impedimenta non numero, nec recuſo ſeu quod natura diu viuentibus munus obtulit: nec incuſo ſeu quod onus impoſuit, & tamen mihi crede mi Roſtri nihil aridius hac vita dicerem nihil ærumnoſius, niſi deficientem inter ærumnas corporis,
ani-

animum ſpes illa melior erigat ac recreet interdum; Chriſto rerum Domino deditis, & ſumma Chriſto duce meditantibus quæſtuoſiſſimam eſſe penuriam rerum omniũ, quæ tanto plura referet à Deo, quãto ſibi plura negauerit. Hic enimuero tangor iiſdem affari verbis te Iuuenem ſenex quibus affatur attritus laboribus puberem Iulium Aeneas filium Pater.

Diſce puer virtutem ex me verumque laborem,
Fortunam ex aliis &c.

Verum quis ego ſum? aut qui tandem mihi videor? eſt ne demum aliquid in me quod glorioſè venditem, & proponam melioribus ad exemplum, cui neſcio quid de virtutis tantummodo nomine ſomnianti deſidia ingloriæ ſenectutis exprobrant? & ſuas heroicæ virtutis admouent ardentes faces animæ magnæ Viri fortes lectiſſimi Iuuenes ingentes Senes, Heroes inclyti: cui Campianus equuleos, Henricus laqueos, Rodulphus acinaces, Aranea ſagittas, catenas Ignatius, Sarciani ſcopulum Xauerius, Noſocomium Aloyſius, Catherina rotas, ſterquilinium Iobus, exilium dome-
ſti-

ſticum Alexius, Saluias Paulus, Ianiculum Petrus, Caluariam Chriſtus obiectat ad pudorem ignobilis & degeneris animæ ſempiternum?

At longius à Lacone quo me prouexit ſolito liberior tecum garriendi ludus? alienam à propoſita quæſtione verboſitatem niſi vis amori, mœrori tribuito: Senectutis collectos ex longos ſenſus, quo moleſtiā intimi pectoris euomat, in aures, vt adſolet, beneuolorum liberè profundentis. eſt enim ne vitium excuſare videar, ſenectutis ipſa ærumnoſa præſertim ſuaptè natura verboſior.

A diuerticulo repetatur fabula longo

Tria ſunt omninò dictionis genera, quantum equidem à græcis, latiniſque litteris mihi videor animo complexus: Laconicum, Atticum, Rhodium. eorum ſingula, tum digna cognitu per ſe, tum nobilium Scriptorum illuſtrata monumentis, & præceptis per Illuſtrium Rhetorum conſtituta ſunt; & ſuum è ſingulis Ciuitatibus ſic indepta nomē, in quibus orta primum, & celebrata memorantur; vt exinde longius

ad

ad exteras peregrinata gentes, licet ſonum patrij ſermonis exuerint; vbiq; tamen notam ſui retinuerint generis, appellationem gentilis nominis non amiſerint. etenim è finibus Græciæ profecta primum quocumq; deinde gentium triplicis huiuſce præceptionis inſtitutio cõmigrauit, in alieno ſermone Laconicũ, Atticum, Rhodium, inditum à ſtirpe, ſeruauit extra Græciã & nomen & genus, hæc enim à dicendi Magiſtris vbi rerum inter ſe diſſimilium affinitatem atque diſtantiam obſeruaſſent, apta rebus & definita genera traduntur, & adnotata generum nomina ſingulorum. Hos enim tres tantum Oratores habuere medios ingenij præſtantia laudabiles duos inter extremas rabulas ineptiſſimos minimè ferendos. Nam & ex hoc latere Thracium exilitatis irridendæ ruſticum infãtiſſimum: & Aſiaticũ ex altero futilis plane profluentiæ loquacitate redundantem & inſulſiſſimum barbarum: vtrinque ſeclusos elegantium Rhetorum perdiligens diſciplina retinere non debuit quos reſpuerent teretes eruditorum aures & græcarum ſcholarũ iampridem exagitaſſet vt putidos,

atque

atque exſibilaſſet Vrbanitas. ita, trium tolerabilium Rhetorum doctrina ſuis quibuſdam circumſcripta cancellis, ſui quæq; generis, qua ſimilitudine, qua diſſimilitudine cōtinetur, & moribus prope longius diſiuncta quam locis, domi quidem ſonat, & docet idem, peregrè verò rem docet eamdem non eodem ſono. Quamobrem Lacedemoniam in latino Senatore grauitatē agnoſcit, & Atticam ſuauitatem, & Rhodiam amplitudinem, & intelligenter Roma diſtinguit nec minus quā Græcia prudenter vſurpat. Eorum Roſtri ſi placet, & niſi quid te detinet aliud agentem, quantū vnumquodque valeat & quæ de quoque præcepta ſint Rhetorum videamus.

Primum omnium nemo non intelligit, dum humani ſibi ſermonis artificium expediret in patria voce modulanda ſuis quodammodo moribus auribuſque lenocinatam hominum eſſe naturām. Id animaduertere licebit quócumque te verteris in ſingulis, ſiue quas gentes manſuefecit humanitas: ſiue quas immanitas efferauit. Nam quibus deſerta cultu ſiruq; ſenta trucis in-

ge-

genij vis ineſt; ijs cum omnis vitæ ratio ſylueſcat; Orationis quoque facultas ſqualet horridius: vt non in viuendo maiorem, quam in loquendo naturæ ſuæ feritatem, cum ſe tamen ipſi non exaudiant imitẽtur. At quorũ ingenium lætius finxit, & quaſi cõdoceſecit ad humanitatem natura cõmodior; ijſdem cum idoneæ diſciplinæ manum facillimè patiuntur: tum nullum reſpuunt cultum vitæ politioris, & linguæ: qua præſtantiſſima rationis & ſocietatis humanæ laude facilè Græcia ceteris antecellit. Hic primum, & quidẽ apud Atticas Athenas multò apud reliquas Græciæ Ciuitates omnis humanitatis eruditione limatior ſeſe multiplex extulit Orator: hic intelligi cęptum eſt eſt quid in orationis ſtructura maximè deceat: ſimul quo quidque lumine verborum, quò colore ſententiarum illuminare ſcienter, & diſtingui peropportunè queat; ſcilicet & ſentiri iucundius inſatiabilis ille concentus in omni tum volubilitate tum concluſione numerorum, quem animus primũ ipſe ſui ſequutus ingenij ductum lenocinio quodam iucunditatis tacito delinitus au-

aurium dimenſione, terminatione, ſpiritus, ſententię circumſcriptione, ſonorum percuſſione conficeret; & dedita opera modulationem quandam in fabrica verborum ad oblectationis illecebram Auditoris gratia quæſitam attemperatè molliret ac variaret attentius. Hic animaduerſum, quemadmodum non cauſſæ, non perſonæ, non tempori ſemper & vbique coloris eiuſdem tractus idem vnumque dumtaxat, & ſimplex congruere poſſet orationis & continuationis genus: quid quibus in cauſis, aut orationis partibus acutè, conciſeque dicendum ſit: quid ſubtiliter, & enucleatè: quid callidè, quid placidè, quid ſedatè: quo nihil in definiendo, ratiocinando, docendo poſſit eſſe limatius: quid contra grāditer, incitatè, contentiosè, ſplendidè, quò nihil augendis cumulādiſq; ſententijs ad illuſtrem verborum & rerū ornatum cumulatius augeri nihil exaggerari poſſit elatius quare neceſſe ſit, vt quemadmodum ad aurium ſenſum ſuauiter impellendum in fidibus, aut vocibus acuti, flexi, grauis artifitiosè nunc intenduntur, nunc remittuntur; nunc flexibili

fle-

varietate permiſcentur & obſcurantur ſoni ſic ad vnumquemq;motum in Auditorum animis excitandum omnes infimi, medij, ſummi perſequendi ſunt in oratione contentionis,& remiſſionis gradus. eam porrò ſuauitatem prudentiſſimamque diſtinguendæ varietatis induſtriam atque ſolertiam lætioris ingenij videtur illa quaſi luxuries, ac potius amœnitas oſtendiſſe Græcis peracutis hominibus animi cultum hilariorem naturæ facilitate ſortitis. Poſteaquam ipſa ſe ſe reſpexit ac ſenſit & à ſe progreſſa longius natura quò ſemper illud idem de induſtria iucundius faceret, quod iucundè fortuito fecerat, non ſemel perpetuam & conſtantem ſuæ iucunditatis inuenit inque ſuis veſtigijs impreſſit artem. & elegantia quidem vitæ linguæque ſic græcarum Ciuitatum communis eſt omnium vt tamen eadem aliter ſpectetur in ſingulis eiuſque ſplendor alibi quidem illuſtrius efflorefcat extenuatũ alibi deliteſcat obtuſius, quo factum videtur vt integerrimi Iudicij natio dum rem vnam prudẽter excoleret Orationis elegantiam orationẽ ipſam variè tractarit eiuſ-

que

que diſſimilitudines plurimas ſecreuerit non genere ſed gradu.

Neque vero tam natura corporũ, aut animorum, quam elementorum temperatio quædam circũfuſa corporibus animiſque ciuilium Inſtitutio morum, ac legum inſculpta, quam alteram quaſi genitricem atq; naturam vocat Ariſtoteles, & verò etiam domeſticæ cognata ratio cõſuetudoque diſciplinæ tantam in liberas pacataſque Ciuitates inuexit eloquentiæ, cum artificij laudabili diſſimilitudine varietatem, ſeuerũ, acutum, acre vehemens, elatum: nec minus laboris quã laudis egens, aut appetens, & humana ſuperbè contemnens Lacedæmoniorum genus Lycurgi moderatoris grauiſſimi lex & diſciplina ſeuerior adſtrinxit arctius, ideò vitæ cultum, & orationis ornatum à ſe remouit omnem, qui viros dedecet fortes, à delicatioribus non abhorret. Contra come liberale, iucundum Athenienſium ingenium ad omnem humanæ conſuetudinis ſuauitatem, elegantiamque liberalior expolinit & omnibus rebus inſtructior exornauit Inſtitutio Solonis ex quo quemadmodum humaniſſima Ciuitas periucundam

ſuis ſcilicet conſentaneam moribus, orationem adſciuerit vides, & quo tandem acutiſſimos homines ſua præceptis Inſtitutiſque liberalibus adiuta natura prouexerit. Rhodum autem Cœli clementia ſalubrem, ventorum adſpiratione mitem, opportunam adceſſu, victu facilem, cultu lætam, &, quod caput eſt, māſuetiſſimis Incolarum moribus & Conditorum leniſſimis legibus temperatam ſinus haudita vaſtus (quaquauerſus inſpexeris) interfuſus Carpathij maris propè longius ab Europa ſubmouit, quam admouit, Aſiæ propius. Igitur olim è florentiſſimis oppidis habitabatur frequentiſſimè & inter Græciam Lydiamque finitimam, ideſt inter elegantiam atque barbariem interiecta celeberrimo rerum omnium mercatu nobiliſſimoque Gymnaſio Diſciplinarum & Ciuilium artium Emporio longè præclariſſimo florebat.

Affluente proinde qua parandæ gloriæ ſtudio, qua doctrinæ quæſtu, qua rei quærendæ cupidine de vicinis atque longinquis Ciuitatibus incredibili multitudine conuenarum, tametſi diſcolor eſſet moribus & diſſona ſermonibus; nihilo tamen ſe-

cius ex illa vicinitate Græcorum ad omnem ingenij laudem velut humanitatis excitata clamoribus adſiduè doctrinarum omnium eruditiſſima iucundiſſimaque voce reſonabat.

Ad Natalem Roſtri trium Rhetorum deuenimus Sedem, vnde, quemadmodum vides, vniuerſe cõfuſeque germanum triplicis eloquẽtiæ nomẽ Græcorum prius ingenio, poſterius artificio tripartitum, eque clariſſimis trium Ciuitatum incunabulis eductũ breuius quam res ipſa poſtulat, lõgius, quam exigit Epiſtolæ modns exorſi ſumus. Exequendũ eſt deinceps è generis infinitate diſcedentibus, & propius inſpiciendum quid in ſingulis partibus proprium quid partium commune ſit omnium.

Ac primo quidem communis omnium videtur finis; idem enim propoſitum eſt ſingulis, perſuadere dictione. Tum officium, vt adpoſitè dicatur ad faciendam fidem, gignẽdumque motum: ſubiectam quoque materiam, quam ad manum habent, etſi diſſimiliter elaborant, ac tractãt eamdem, ea rerum omnium eſt humanarum & diuinarum, quæcumq; diſceptantibus in vtranque partem,

aut omninò ratiocinantibus, vt adſolet, inter homines in quæſtionem cadunt verbo Rhetorum ipſam materiam quæſtionem intelligis: Tum eadem attribuitur omnibus, & ſingulis doctrinæ ſupellex, eadem ſylua Sententiarum, ijdem argumentorū loci, quos & Topicos, & communes vocant; Patrij ſermonis vſus, & tractus alius ſenſus, & intellectus idem. Ad omnes itidem pertinet omnis partitio Rhetorum, & nobilis illa quinque partita diuiſio Rhetoricę facultatis. Inuentionis, Collocationis, Elocutionis, Memoriæ, Pronunciationis. Ac genera quidem quæſtionum in Ciuili dicendi facultate tria numerantur omnino; Senatorium deliberantium: Forenſe diſceptantium. Concionale demonſtrantium: eaque prima nominantur in ludo Rhetorum, ita tamen vt inde minorum partium diuortia multa fiant; longius enim ex vnoquoque capite progredientes quas deinde repererunt ad quotidiani ſermonis vſum artificij ſui faciunt, & ſingulis eorum generum innumerabiles propè formas ſubijciunt ſcriptionum, ceù poſteriorem ſobolem ex eadem ſtirpe propagatam, Nam

vt rem ediſſeram planius.

A Senatoria quæſtione, quam, deliberantium eſſe diximus; tamquam ex fonte præcepta deliberationum varia promanant: Suadendi, Diſſuadendi, Monendi, Denuntiandi, Deterrendi, Diuidendi, Inuitandi, Petendi, Rogandi, Conſulendi, Conciliandi, Conſolandi, Commendandi, Reuocandi, Retractandi, Dubitandi, Cohortandi, Dehortandi: tum Obiurgandi, tum Reprehendendi. quamquam hæc ad Iudicialem quoque diſceptationem perſæpè referuntur; tum Obteſtandi, Deteſtandi, Obſecrandi, Deuouendi, Execrandi quæ nonnunquam demonſtratiui ſunt generis. Itaq; libentius hæc interdum in concionibus apparent.

Inter forenſes verò Iudiciorum, quæſtiones cenſentur Accuſationes, Defenſiones, Excuſationes, Intentiones, Criminationes, Recriminationes, Concitationes, Mitigationes, Eleuationes, Eluſiones, Irriſiones & quæ ſunt generis eiuſdem, Conqueſtiones, Expoſtulationes, Obiurgationes, Inſimulationes, Purgationes, Comminationes, Percul-

ſiones , Depulſiones , Depreſſiones.

Reſtat Demonſtratio Concionis, eius principes partes faciunt binas. Laudationem & Vituperationem, At Inſtrumentum , velut hæreditarium patrimonium,æquo Iure ſic proprium trium eſt Rhetorum ſingulorum vt è tota demonſtratione nihil inter illos adhuc diuiſum ſed commune ſit omnium quod fortaſſe me fugiſſet,niſi Laconicæ tuæ tuã illam de Laconica Panegyri dubitatiunculam obieciſſent. oriuntur ex hac demonſtrariua quæſtione, quæ de gratijs agendis de beneficijs commemorandis humana ſunt officia verborum & quæcumque pro tempore ſentiunt aut dicunt humaniter homines in aduerſis, ſecundiſque rebus cum mœrorem alterius conſolando minuunt : aut dolorem commiſerando leniunt : cum aſperitatem iracundiæ demulcent : cum furores libidinum ſedant : cum cupiditatum molliunt turbidos motus : cum ſuperbos animorum ſpiritus frangunt : cum inter lætos optabileſque rerum euentus priuatis gaudijs interſunt, & publicis gratula-

la-

lationibus offeruntur; Et quas ſiue ſictè, ſiue verè geſtientes in Victorijs, in Triumphis, in Natalitijs, in Nuptijs, in Sacrificijs, in Ludis, in Circulis, in Celebritatibus, vt olim facere Græcia conſueuit, In Panathenaicis, in Pithijs, in Deliacis, in Corynthiacis, in Eleis, Olympijs, Iſthmijs, Nemæis in quauis demum Laudationis, aut Gratulationis opportunitate quam tu Panegyrim dicere videris, lætitiæ noſtræ partes inter officia mutuæ charitatis, aut neceſſitudinis perhumaniter obimus.

Ex eodem genere volunt exiſtere quæ Bona Verba concepimus cum coniunctiſſimos, & quos plus oculis amamus, aut è peregrinatione reduces amplexamur, aut bonis ominibus proſequimur abeuntes. adcedunt eodem, Votorum nuncupationes Inſcriptiones Donorum, Anathematum Dedicationes Corollaria munerũ, Acroamata Victoriarum, Elogia meritorum, Scholia conuiuarum vt cũ Inuitationes ſuperpoculo fiebant more Græcorum: tum Xenia, tum Apophoreta, tum Analecta, Liberalia, Sponſalia, Repotia,

Per-

Peruigilia,Sympoſia cuiuſque liberi generis. Ad genus idem ſpectant ſupremi parentalium honores, in quibus principem obtinet locum illa maioribus humano modo mentibus heroicisque virtutibus hominum conſenſione vel veneratione decreta diuinitas, quã Apotheoſim Græci,noſtri conſecrationem magis latinè quam propriè dicũt, alij magis propriè quam latinè modo Canonizationem, modo Deificationem,modo Sanctificationem nominant. Ad hæc ſecundo loco numerantur Epitaphia mortuorum eiuſcemodi ſcriptionis exemplum ſanè luculentũ reliquit poſteris Vir Sanctiſſimus idemque doctiſſimus Hieronymus in Nepotiani demortui laudibus excitatum, in eodem cenſu proximè ſunt Monodiæ funebres eius fermè fili quo Laurentij Medici ſupremum diem mœroremque ſuum flebilibus modis Angelus Politianus intexuit; & quo Tarquinius Gallutius è Societate noſtra Poeta venuſtiſſimus, Politianum imitatus, Beatæ Mariæ Magdalenæ Metaneam flebili querimonia temperauit. tum Næniæ lamentabiles

& que-

& querelæ lugentiũ & Elelei mœrentium, eiulatus & quas è priſcis latinis alij lamentationes alij laudationes, græcè quidam threnos, oelinos oelithr nos vocant. ididem ſunt Acclamationes, Commendationes, Admirationes, Orationes, & tripudia geſtientium euocationeſq; Cæleſtium, Implorationeſque Numinũ & Melici cantus omnis, Dityrambus, Galliambus Hymnus & pſalmorum innumerabiles formæ nec non Epęni Virorum fortium & Pæanes ante pugnam, & Epinicia poſt Victoriam, & quæ demum Epipõpeutica nominantur cum ſpolijs hoſtium opimi Victores lætitijs omnibus inceſſunt, & lætabundi coronas, ac manubias transferunt inter fercula donorum, Illæ quoque luctificæ quæ cędem & ſanguinem ſpirant, hinc arma ſumunt imminẽtis Iræ ſatellites Expoſtulationes, Irrogationeſq; mulctarum, Imprecationes, Deuotiones, Execrationes inſtinctæque furijs Vindices querimoniæ quibus Eumenides, Erymnes, Diras vltrices priſcorum Deas nomina fecerunt.

Trium quæſtionum recluſimus ſon-

ſontes è quibus multiuagæ varieta-
tis copia promanat in vitæ conſue-
dinem vſumq; diſſimilem ſcriptio-
num & Scriptorum, in quibus om-
nibus pro re nata triplex ille noſter
Laconicus, Atticus, Rhodius de-
ſudat optimus artifex eloquendi
Stylus.

F I N I S.

R O M Æ,

Typis Reu. Cam. Apoſt. 1658.

Superiorum permiſſu.

E R R A T A grauiora corrigenda.

PAg.23. lin.13. hac. hanc. 140. 26.deriuaui. deriuauit. 159.16. caſiſſæ. cauſſæ. 180.12. illeue. illene. 181.3. erupuiſſet. erupiſſet. 188.3. haurire. haurirent.196.25.erectum. erectam.202.4. dum. dele. 226.24. ſexgenitos. ſe genitos. 288.3. colludit. colludi. 331.18. pereamus. pareamus.

612

Digitized by Google

Vita Nova
di M. Sellitti
Latina-(B. Piave)
1970